3

HYMENOPTERA,

ICHNEUMONIBUS AFFINIA.

HYMENOPTERORUM

ICHNEUMONIBUS AFFINIUM

MONOGRAPHIÆ,

GENERA EUROPÆA ET SPECIES ILLUSTRANTES.

SCRIPSIT

CHRIST. GODOFR. NEES AB ESENBECK DR.

ACADEMIAE C. L. C. NATURAE CURIOSORUM PRAESES, PROFESSOR VRATISLAVIENSIS.

VOLUMEN SECUNDUM,

PTEROMALINORUM, CODRINORUM ET DRYINEORUM MONOGRAPHIAS COMPLECTENS.

STUTTGARTIÆ ET TUBINGÆ

SUMPTIBUS J. G. COTTÆ.

1834.

MONOGRAPHIA

PTEROMALINORUM EUROPAEORUM.

FAMILIA III.

PTEROMALINI Dalm.

Försök til upställning af Insect-Familjen Pteromalini in Act. Holm. 1820. *I. p.* 123 — 174 *et II. p.* 177 — 181 (*additis nonnullis generibus, a b. Dalmano Codrinis adscriptis*). *Idem opus, seorsim expressum, p.* 1 — 96. *)

Diplolepariae N. ab E. in Nov. Act. Ac. Caes. Leop. Car. Nat. Cur. IX. p. 300 *n. III. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 209 *sqq. Essai d'une nouvelle classification des Diplolépaires Ann. du Mus. des sc. nat. VII. p.* 138 *sqq.*

Cynipsera Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 21 *sqq.*

Antennae fractae, articulis non ultra quatuordecim. *Alae* areolis nullis aut indistinctis. *Terebrae* vagina bivalvis, exarticulata.

Antennae fractae, thorace plerumque breviores, articulis septem ad quatuordecim compositae; primo articulo (*radicula*) brevi, secundo (*scapo*) longo, in multis longissimo, rarius pedicello paulo vel vix longiore; tertio (*pedicello*) brevi, plerumque obconico, tum *flagello*, in omnibus a scapo magis minusve deflexo, **) in aliis filiformi,

*) Cl. Dalmani tractatum de Pteromalinis duplici modo citabimus, scil. eundem Actis Holmiensibus insertum: „*Dalm. Act. Holm.*" et s. p., editionem autem propriam: „*Dalm. Pterom.*" et s. porro.

**) In distinguendis *Pteromalinorum* et *Codrinorum* Familiis diu multumque haesitavi, quo tutissimo facilique simul uterer charactere; tandem in *antennis a scapo magis minusve deflexis, scapo autem ipso adscendente*, nec porrecto, acquievi, utpote cujus respectu non solum utraque Tribus, sed etiam *Leptomerorum* Tribus Stirps secunda, *Pteromalinos ambulatorios* complectens, priori apte connectuntur. Ubicunque hanc

in multis extrorsum crassiori, vel etiam clavato articulis sensim brevioribus; numero articulorum flagelli, a quatuor ad undecim vario, in feminis quandoque uno minore, quam in maribus.

Labrum brevissimum, vix conspicuum, membranaceum, rotundatum. *Mandibulae* corneae, breves, aliis latae, tri- et quadridentatae, aliis angustae, bidentatae. *Maxillae* coriaceae; *mala* rotundata. *Labium* breve; *lingua* membranacea, integra, vel retusa. *Palpi maxillares* labialibus non admodum longiores, tri-quadriarticulati, in paucis quinque-, vel sexarticulati; *labiales* bi- vel triarticulati, clavati.

Alae superiores nervo unico, *subcostali*, simplici, basi a costa separato, tum costam petente et cum eadem conjuncto, magis minusve versus apicem excurrente, in plerisque autem ramulum obliquum variae longitudinis, modo basi modo apici propiorem emittens, ad cujus originem vel nervus subcostalis desinit, vel paulo ultra excurrit. In paucis ramulus ille, quem *stigmaticum* appellamus, omnino deest, et costa, nervo subcostali aucta, ejus loco veluti abrupta desinit.

Habitus. Insecta plurima parva a quarta parte lineae

---

antennarum directionem inveni, etiam alteram notam Familiae, *terebram* dico *duabus valvis*, Ichneumonum solita ratione, inclusam observasse puto, qua quidem in prima stirpe infra anum egrediente, in secunda autem ab ipso abdominis apice provecta, utraque stirps facili negotio discernitur.

Nexus autem affinitatum, mediante *Ambulatoriorum* stirpe, intime conjungit *Pteromalinos Codrinosque*, atque adeo, ut si quis in singulis partibus summam discriminis quaerat, laborem perdere videatur. Sed restat aliquid, visu facillimum, dictu difficillimum, quo *Codrinos*, cum paucas tantum species cognoveris, statim a *Pteromalinis* distingues; idque arbitrario illo, uti videri posset, *antennarum fractarum* charactere non tam efficitur, quam proditur. *Pteromalini* omnes agiles sunt, circumspecti, oculati, astuta quasi facie, semperque antennis nutantes, speculatorii, murium instar ad praedam, ad fugam intenti. Contra ea *Codrini* segnes ambulant sedentque quieti, hostem appropinquantem nec longe praesentiunt, neque celerem fugam moliuntur. Loca hi humida sordesque amant, illi solem et frondium vigentium umbras, nisi autumnali frigore coacti sub foliis dejectis refugium quaerant. Corpore denique *Pteromalini* sunt vel breviori et crassiori, coacto, vel, ubi magis extenuata statura, tenerrimo et gracillimo; *Codrini* autem omnes longiusculo corpore sunt, neque tamen debili aut extenuato.

ad summum (paucissimis exceptis) tres lineas longitudine explentia, colore nigro vel laete metallico insignia. *Caput* thorace paulo humilius; fronte in multis pro recipiendo scapo antennarum excavata. *Prothorax* vel arcuatus vel margine postico recto distinctus; in aliis brevis, antice truncatus, lateribus ad alarum originem protensis; in aliis antrorsum magis minusve prominens, conicus, ovatus, vel saltem, antico margine rotundato, lunatus, alarum insertionem non attingens. *Thorax* medius (*Mesothorax*) brevis, convexus vel depressior, trilobus; lobo anteriori obtrigono, vel trapezoideo majori; lateralibus (scapularibus) hoc paulo vel multo minoribus obliquis. *Scutellum* discretum, ratione corporis magnum. *Metathorax* in aliis prominens, convexus, in aliis brevissimus et recta fere a scutello descendens, subverticalis. *Abdomen* in plerisque sessile, in aliis petiolatum, metathoraci infero, in paucissimis supero, ut in *Evanialibus*, insertum, sex-septemannulatum (segmentis in quibusdam in loricam concretis, vel posterioribus sub anterioribus, iisdemque majoribus, reconditis, quo abdomen tri- vel quinqueannulatum oritur), spathulatum, ovatum, oblongum vel lanceolatum, saepe trigonum, dorso rarius gibbo, in aliis convexo, in plurimis depresso; in quibusdam totum abdomen a latere compressum. Feminarum abdomen plerumque acutum, marium obtusum. *Terebra* in aliis *ventralis*, recondita, rimaque carinae ventralis recepta, vel exserta, recta; in *Leucospide* genere dorsum versus reflexa, eidemque incumbens; in aliis ex ipso abdominis apice emergens, plerumque recondita; his omnibus terebrae vagina bivalvis, setam includens. *Pedes* breves; coxis et femoribus posticis in multis crassioribus, saltatoriis; in nonnullis pedes medii longiores et saltatorii. *Tibiae* et *tarsi* in multis pallida. *Alae* hyalinae, rariusve fasciatae vel maculatae, glabrae, vel ciliatae et in superficie pubescentes, subenerves; stigmate minuto in ramulum abeunte et in paucis macula punctove nigro notato; in paucissimis, ut in *Leucospide*, *Anteone* etc.; areolae brachiales, vel subcubitales indicatae. Feminae nonnullae apterae sunt.

Differentia *sexus* in aliis vix ulla conspicua, in aliis magis declarata. Differt praesertim *mas* a femina, praeter terebrae defectum, *corpore* paulo exiliori et graciliori; *antennis* gracilioribus magisque compressis, in plerisque etiam uno alterove articulo auctis, in paucis ramosis, cum feminarum antennae simplices inveniantur in omnibus, segmentis denique abdominalibus septem, ubi sex declarata in fe-

mina adsunt, tribus autem in *Leucospide* genere, ubi feminae quinque segmentis abdominis gaudent.

Metamorphosis in ovis, larvis et pupis aliorum insectorum, Lepidopterorum, Coleoptratorum, Hemipterorum, Hymenopterorum et Dipterorum *) plerumque socialis; **) quarum intestina larvae parasiticae, in iis degentes, sensim destruunt, ad extremum tempus servantes ea, quae maxime ad vitam larvae hospitis necessaria.

Larvae Pteromalinorum pallidae sunt, albidae vel virescentes, breves, oblongae, caput versus aliquantum attenuatae, indistincte annulatae, apodes.

Pupa vel nuda, vel tela laxiori involuta, chartacea, saepe fusca vel nigra, insecti futuri pedes, alas etc. monstrans; vel in ipsa larva pupave restans, vel in larvae hospitis tela nidulans, vel, prodeuntibus ante metamorphosin larvulis, extrorsum matrici aliisve corporibus vicinis glutine quodam e corpore exsudante adnexa.

Insectum perfectum, perforata, ubi pupa in corpore hospitis latitabat, cute ejusdem, pascitur floribus, et saepe in foliis plantarum et fruticum, vel etiam in terra sub foliis deciduis, a vere in serum autumnum usque, quid medio quoque hyeme, invenitur. Volatus et meatus saltatorius, alarum magis imperfectarum et debilium culpa, quam viribus femorum cruriumque.

---

*) Memoria dignum videtur, duplicem ejusmodi intussusceptionem haud raro inter has occurrere. Sic v. c. *Aphidii varii* (Vol. I. p. 9. n. 21) larvae, in *Aphide Rosarum* inclusae, *Chrysolampus suspensus* ova sua imponit, perforato primum *Aphidis*, tum demum *larvae parasitae* corpore. Simile quid accidit, ubi *Cyniphis* larva, in galla sua degens, *Torymi Bedeguaris* aliorumve ejusmodi, vel *Cecydomyiae* larvae in habitaculo galliformi, *Torymi nigricornis*, *juniperini* etc. ovis, percussa prius a matre galla, impraegnantur.

**) Centum et ultra e larva mediocri Lepidopteri saepe excludi, Dalmanus refert.

SYNOPSIS
GENERUM PTEROMALINORUM.

I. Femora postica maxima, ovato-lenticularia; tibiae arcuatae.

A. *Terebra* reflexa, abdominis dorso incumbens . . . . Gen. I. *Leucospis* Fabr.
B. *Terebra* recondita.
  a. *Fronte* ad antennarum basin sulcata . . . . Gen. II. *Chalcis* Fabr.
  b. *Capite* antice profunde emarginato-bifido . . . . Gen. III. *Dirrhinus* Dalm.

II. Femora postica aequalia, vel parum crassiora.

A. *Terebra* e ventre infra anum progrediens. *Halticopteri.*
  † *Alae* ramulo radiali praeditae.
    * *Pleurae* scutatae, i. e., lamina integra, convexa, suturis non divisa, tectae. *)
  a. *Antennis* undecim-vel duodecimarticulatis; *tarsorum* mediorum articulo primo magno, subtus rigide ciliato; *terebra* exserta. Species quaedam apterae vel hemipterae . . . . Gen. VII. *Eupelmus* Dalm.
  b. *Antennis* undecim-vel duodecimarticulatis; *tarsis* mediis non scopigeris; *terebra* recondita (species quaedam apterae) Gen. XX. *Encyrtus* Latr.
  c. *Antennis* novemarticulatis; *alis* nullis . . . . . Gen. XXI. *Sphenolepis* N. ab E.
    ** *Pleurae* planae, non scutatae. **)
  a. *Antennis* duodecimarticulatis; *abdomine* sessili, apice in tubulum contracto; *terebra* subexserta . . . . Gen. VIII. *Siphonura* N. ab E.
  b. *Antennis* undecimarticulatis; *abdomine* sessili, truncato; *terebra* exserta . . . . Gen. VI. *Torymus* Dalm.
  c. *Antennis* undecimarticulatis; *abdomine* sessili, gibboso; *terebra* non exserta . . . . Gen. V. *Perilampus* Latr.

---

*) *Cleonymus elegans* ex altera Sectione huc revocandus.
**) Excepto *Cleonymo elegante*.

d. *Antennis* undecimarticulatis; *abdomine* sessili, depresso-trigono, elongato; *terebra* non exserta; *prothorace* antice elongato . . . . Gen. IX. *Cleonymus* Latr.
e. *Antennis* decemarticulatis, clavatis; *abdomine* sessili depresso; *terebra* exserta; *prothorace* brevi, antice subprominulo Gen. XII. *Corynocere* N. ab E.
f. *Antennis* novem-vel undecimarticulatis; *abdomine* sessili, depresso-trigono; *terebra* non exserta; *prothorace* lineari-transverso . . . . Gen. X. *Pteromalus* Swed.
g. *Antennis* undecimarticulatis; *abdomine* brevissime petiolato; *palpis maxillaribus* apice lentiformi-clavatis . . . Gen. XI. *Phacostomus* N. ab E.
h. *Antennis* decem-vel undecimarticulatis; *abdomine* petiolato; *palpis* filiformibus; *prothorace* brevi, lineari-transverso . Gen. XIII. *Chrysolampus* Spin.
i. *Antennis* novem-vel decemarticulatis; *abdomine* petiolato; *palpis* filiformibus; *prothorace* magno, transverse-quadrato Gen. IV. *Eurytoma* Ill.
k. *Antennis* septem-vel octoarticulatis; *abdomine* petiolato . Gen. XIV. *Elachestus* Spin.
l. *Antennis* septem-vel octoarticulatis; *abdomine* sessili . Gen. XV. *Eulophus* Geoffr.

†† *Alae* ramulo radiali nullo.

a. *Antennis* octoarticulatis; *abdomine* sessili; *terebra* exserta: . Gen. XVI. *Myina* N. ab E.
b. *Antennis* decemarticulatis; *abdomine* petiolato . . . Gen. XIX. *Eutriche* N. ab E.
c. *Antennis* decemarticulatis; *abdomine* sessili . . . . Gen. XVIII. *Aneure* N. ab E.
d. *Antennis* duodecim-vel quatuordecimarticulatis, flagello basi filiformi; *abdomine* sessili . . . . Gen. XVII. *Gonatocerus* N. ab E.

B. *Terebra* analis, seu ex ipso abdominis apice progrediens.

† *Abdominis* segmenta subaequalia.

a. *Prothorace* brevi, transverso; *stigmate* distincto . . Gen. XXII. *Sparasion* Latr.
b. *Prothorace* conico; *stigmate* nullo . . . . . . Gen. XXIII. *Scelio* Latr.

†† *Abdominis* segmentum secundum maximum.

* *Antennae* fronti mediae insertae (*abdomen* omnibus petiolatum).

a. *Abdomine* compresso (*stigmate* nullo) . . . . . . Gen. XXIV. *Eucharis* Latr.
b. *Abdomine* transverse gibboso (*stigmate* crasso) . . . Gen. XXVI. *Heterolepis* N. ab E.

** *Antennae* hypostomati infero supra clypeum insertae.

a.	*Ramo radiali* nullo, vel brevissimo, juxta basin alae oriente (*antennis* undecimarticulatis). Species paucae apterae	Gen. XXXII. *Platygaster* Latr.
b.	*Ramo radiali* ante mediam alam oriente (*abdomine* sessili); Species quaedam apterae	Gen. XXX. *Teleas* Latr.
c.	*Ramo radiali* postico, curvo; *stigmate* nullo; *abdomine* subsessili. Species quaedam apterae	Gen. XXIX. *Calliceras* N. ab E.
d.	*Ramo radiali* pone mediam costam nascente, recto vel incurvo; *stigmate* nullo; *abdomine* petiolato; *antennis* duodecim-vel tredecimarticulatis	Gen. XXXI. *Prosacantha* N. ab E.
e.	*Ramo radiali* postico, recto; *stigmate* nullo; *abdomine* petiolato; antennis undecimarticulatis; (*prothorace* elongato):	Gen. XXV. *Spalangia* Latr.
f.	*Ramo radiali* postico, curvo; *stigmate* distincto; (*abdomine* brevissime petiolato; *antennis* duodecimarticulatis) . .	Gen. XXVIII. *Ceraphron* Jur.
g.	*Areola radiali* incompleta, *brachiali* completa; *stigmate* distincto (*abdomine* brevi-petiolato; *antennis* undecimarticulatis)	Gen. XXVII. *Anteon* Jur.

Tribus I.

Macromeri.

Pedes postici *coxis* magnis elongatis, *femoribus* maximis ovato-lenticularibus, subtus compressis saepius serratis, *tibiis* arcuatis appressis. Corpus obscurum, colore vario.

GENUS I.

LEUCOSPIS Fabr.

Vox Fabriciana efficta, graece sonans, nulla, quod sciam, significatione, nisi sit composita e λευκὸς, albus, et ἀσπὶς scutum, ob scutellum omnium pallido-notatum.

Leucospis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 23. n. CCCCLI. Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 146. n. 1. Dalman. in Act. Holm. a. 1820. I. p. 133. n. 1. tab. 7. fig. 1 — 4 (Antenna, alae, pes posticus, abdomen feminae Leucospidis dorsigerae). Pterom. Suec. p. 2. n. 1. tab. 1. fig. 1—4 (eaedem). Klug. Berl. Mag. VI. p. 65 sqq. Jur. Hymen. p. 305. n. XLV. tab. 13. fig. 45. Panz. krit. Rev. p. 100. Oliv. Vill. Rossi, Ill. Coqueb. Cuv. Lam. Walck. Germar, Cynips sp. de Latourrette. Vespa sp. Sulzer, Christ.

Antennae apice incrassatae, articulis duodecim vel tredecim. *Alae* superiores longitudinaliter duplicatae, areolis radiali et tertia cubitali distinctis abbreviatis. *Abdomen* maris segmentis tribus, feminae quinque. *Terebra* reflexa, dorsalis.

Mandibulae latae, bidentatae, dente infero latissimo. *Mentum* corneum, tridentatum, dente medio emarginato; *lingua* elongata, apice emarginata. *Palpi* subaequales; *maxillares* quadriarticulati, articulis secundo tertioque aequalibus; *labiales* triarticulati.

Character naturalis generis, in antecedentibus expressus, sufficit.

Habitus. Caput a fronte visum, triangulare; vertice hypostomateque planiusculis; fronte pone antennas depressa. *Oculi* parvi, laterales, subrotundi, dissiti. *An-*

tennae mediae fronti infra oculos insertae, distantes, vix longitudine capitis et prothoracis. *Prothorax* magnus, transverse quadratus, non duplo latior quam longior, planus, angulis acutis, una cum capite a thorace medio deflectendus. *Thorax medius* ovato-subquadratus, convexus, ad humeros rotundatus. *Scutellum* breve, semicirculare. *Metathorax* prominulus, truncatus. *Abdomen* late sessile, subcylindricum vel obovato-cylindricum, compressum, basi crassius magisque teres, postice latius compressum, ano maxime rotundato; constans in femina segmentis quinque, quorum secundum et quartum breviora sunt reliquis. *Terebra* setiformis, ex abdominis basi infera prodiens, ibique lamina ventrali magna vomeriformi suffulta, hinc ad anum usque in canali ventrali inclusa, ab ano denique super abdomen recurva et in illius sulco longitudinali medio recipienda. *Vaginae* terebrae cum eadem ex eodem segmento ortae, duae, oppositae, basi validissimae, corneae, musculosae, ad anum magis adhuc incrassatae et segmentum quintum abdominale constituentes; tum cum seta oviductus super abdomen reflexae, singulae in stylum semicanaliculatum, compressum, valvularum terebrae solita forma abeuntes setamque oviductus includentes. *Pedes* quatuor anteriores, ratione posticorum breves, graciles, inter se aequales; postici maximi, coxis crassis; femoribus ovatis, compressis, margine infero canaliculato et saepe dentato, numero dentium in aliis alio. *Tibiae* posticae arcuatae, apice oblique truncatae angulo inferiori in spinam abeunte, infra canaliculatae, in canalem femoralem recipiendae. *Alae* superae longitrorsum duplicatae, infuscatae, satis validae, areolis radiali et prima cubitali distinctis, abbreviatis, incompletis; reliquis valde obsoletis vel omnino deficientibus; nervus longitudinalis distinctus, prope a margine interiori decurrens.

Totum corpus dense punctulatum, opacum, una cum pedibus nigro-flavoque varium, grande et pro familiae indole giganteum. Terebrae super abdomen extensio in aliis alia, maior vel minor.

Mas differt a femina: *statura* minore; *abdomine* non nisi e tribus segmentis exstructo, quorum secundum maximum, tertium autem minimum, inclusum, anale; *terebra* denique deficiente.

Adnot. Latreillio observante, in *femina* segmentum primum abdominis laminam segmentiformem, et ad motum generalem abdominis idoneam, abscondit. — Segmentum

quartum, minimum id quidem et veluti bivalve, a cl. Jurineo non observatum est.

Leucospidum species in Apiariarum nidis ova deponere sobolemque ibidem gignere dicuntur, sed desunt accuratiores in memorabilem istum successum animadversiones.

Species Europaeas *Klugius*, vir praestantissimus, l. c. pro consuetudine sua brevibus certissimisque characteribus ita distinxit, ut ejus vestigia premendo tutissime iri nobis persuasum sit.

SECTIO I.

Femoribus posticis septemdentatis.

Quoad colorum distributionem speciebus omnibus hujus Sectionis hoc commune: corpus *nigrum flavedine* variatur. *Antennarum scapus* in femina a latere anteriori flavus est. In *thorace* macula media, simplex vel duplex, macula trigona vel lineola saltem ante alas, lunula ad scutellum et macula quadrangularis longiuscula supra coxas posticas; *abdomen* fasciis tribus anoque flavis ornatum. *Pedes* maximam partem flavi sunt, ad basin tamen nigri. *Femora postica* intus nigra, extus flava, macula a medio margine postico adscendente variae magnitudinis nigra.

Gibbus metathoracis sub scutello distincte bidentatus.

A. Thorace medio macula duplici.

1. Leucospis *grandis* Klug.

L. terebra abdominis longitudine, atra; thorace medio bimaculato; prothoracis margine omni, macula pone oculos ad antennarum usque insertionem provecta et coxarum posticarum macula flavis. *Fem.*

Synon. *Leucospis grandis Klug. Berl. Mag. VI. p.* 66. *n.* 1. *Germ. Ins. Eur. Fasc. II. tab.* 15.
Leucospis Gigas Rossi. Faun. Etr. ed. Ill. II. p. 130. *n.* 1. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p.* 63.
Leucospis Gallica Rossi. Mant. I. p. 135. *n.* 298.
Leucospis dorsigera v. Hohenwarth in Schr. d. Berl. Gesellsch. VI. p. 341. *tab.* 8. *fig.* 1. 2. *Christ. apes. p.* 225. *tab.* 19. *fig.* 9.

Long. lin. 6½ — 7., latit. al. expans. lin. 11 — 12. Dignoscitur haec species imprimis: *terebra* abdomen aequante; *macula* magna triangulari flava, ab oculo singulo ad anten-

narum basin pertingente; *prothorace* lato flavo, fascia media angusta abbreviata nigra notato; *coxis* posticis macula flava solitaria parva in angulo superiori baseos dilatatae.

Antennarum flagelli articulus primus cum pedicello rufus. Maculae *thoracis* mediae flavae valde approximatae. Macula *femoralis* nigra parva, elongato-quadrangularis.

Habitat in *Italia;* prope *Genuam* frequens (*Spinola, Rossi*); in *Littorali Austriaco* (*Germar, Klug*). Vidi unum exemplum, sexus feminei, a cl. *Spinola Leucospidis Gigantis* nomine inscripto missum.

Mas non notus.

2. Leucospis *Gigas* Fabr.

L. terebra abdomine vix breviore, atra; thorace medio bimaculato; prothoracis margine omni, puncto utrinque capitis ad originem flagelli maculaque duplici coxarum posticarum flavis. *Mas. Fem.*

Synon. *Leucospis Gigas Klug. Berl. Mag. VI. p.* 66. *n.* 2. *Fabr. Syst. Piez. p.* 168. *n.* 1. *Ent. syst. II. p.* 245. *n.* 1. *Coqueb. Ill. icon. I. p.* 23. *tab.* 6. *fig.* 1. *Latreille Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 219. *n.* 2. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 24. *Panz. Faun. Germ. LXXXIV.* 17. 18. *Krit. Rev. p.* 100.

Leucospis Gallica Vill. Ent. Lin. III. p. 261. *tab.* 8. *fig.* 18.

Leucospis dorsigera Fuesl. Archiv II. tab. 18. *fig.* 1 — 10. *Sulz. Gesch. d. Ins. p.* 196. *tab.* 27. *fig.* 11. *Encycl. Hist. nat. Ins. VII. p.* 352. *n.* 1. *tab.* 100. *fig.* 8. 9. *Linn. Syst. Nat. ed. Gm. p.* 2739. *n.* 1. *Fabr. Syst. Ent. p.* 361. *n.* 1. *Spec. Ins. I. p.* 457. *n.* 1.

Cynips nigra, maculis luteis notata, femoribus posticis globosis margine interiori dentatis, aculeo triplici super abdomen recurvato. De la Tourette in Mém. de l'Acad. Roy. des Sc. IX. Sav. étrang. p. 730. *fig.* 1—4.

Long. lin. 6 — 7½, latit. lin. 7 — 13. Distinguitur: *terebra* abdomine paulo (dimidia circiter linea) breviore; *puncto* utrinque inter oculos et antennas fronti propiori, subrotundo; *prothoracis* flavi fascia media nigra latiore; *coxis* posticis macula parva ad basin *apiceque* flavis.

Accedunt *antennarum flagellum* nigrum concolor, *tho-*

racis maculae mediae flavae discretae et dissitae, *femorum* posticorum macula nigra magna et rotundata.

Mas paulo minor et terebra nulla distinctum.

Habitat in *Gallia australi* (*de la Tourette*, *Villers*); in *Helvetia* (*Klug.*); in agro *Moguntiaco* (*Latreille*, teste *Vaudouer.*)

3. Leucospis *varia* Klug.

L. terebra abdomine breviore, atra; thorace medio bimaculato; antennarum flagello semirufo; prothoracis margine utroque, macula utrinque ad oculos et macula duplici coxarum posticarum dilute flavis. *Fem.*

Synon. *Leucospis varia Klug. Berl. Mag. VI. p.* 67. *n.* 3. *Germ. Ins. Eur. Fasc. II. tab.* 16.

Long. lin. $4^3/_4$ — 6, latit. lin. 8 — $10^1/_4$. A binis praecedentibus imprimis differt: *flavedine* picturae dilutiore; *scapo* antennarum supra rufo, subtus flavo; *prothorace* fascia media integra diviso; *terebra* etiam paulo breviore ac in *Leucospide Gigante*, quacum quod ad reliquam picturam omnino congruit.

Varietas:

β. pedibus rufis.

Circa *Fiume*, una cum Varietate *β*, primus invenit cl. *Germar*. *Mas* latet.

B. Thorace medio macula simplici.

4. Leucospis *intermedia* Ill.

L. corpore brevi, atro; thorace medio unimaculato; prothoracis margine omni et coxarum posticarum macula duplici flavis. *Mas. Fem.*

Synon. *Leucospis intermedia Klug. Berl. Mag. VI. p.* 67. *n.* 4. *Illiger in Ross. Faun. Etr. II. p.* 130. *Leucospis dorsigera Rossi Faun. Etr. Mant. I. p.* 134. *n.* 297. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 260. *n.* 1. *tab.* 8. *fig.* 17. *Panz. Faun. Germ. Fasc. XV.* 17.

Long. lin. $4^1/_4$, latit. $7^1/_2$ lin. A praecedentibus differt *statura* minore maculaque thoracis media simplici; a sequente jam primo intuitu distinguenda, corpore brevi coactoque (4 lineas longo, $1^1/_4$ lin. lato) flavedineque ornato saturatiore. Praeter ea autem haec quoque accedunt notae distinctivae: *prothorax* flavus, linea brevi media transversali nigra; macula *thoracis* media magna et semicircularis; *coxae* apice flavae; *femorum* posticorum macula nigra

parva, ut in *Leucospide grandi; terebra* ad scutellum pertingens.

Mas long. lin. 3—4, latit. lin. 5¾—7, differt a femina, praeter defectum terebrae, *scapo* antennarum toto nigro, fasciis abdominis latitudine aequalibus, *coxis* totis nigris.

Habitat in *Italia* (*Rossi*, *Klug*). Mus. Com. de *Hoffmannsegg*, ubi exempla Rossiana originaria asservantur utriusque sexus.

5. Leucospis *aculeata* Klug.

L. corpore elongato, compresso, atro; thorace medio unimaculato; prothoracis margine postico lateribus inflexo lineolaque inclusa, et coxarum posticarum macula baseos dilute flavis. *Fem.*

Synon. *Leucospis aculeata Klug. Berl. Mag. VI. p.* 68. *n.* 5.

Long. lin. 3½—4, latit. lin. 6¼—7¼. *Macula* inter antennas et oculos fronti propior subrotunda, uti omnis pictura, pallide flava. *Antennarum scapus* niger, vel macula brevi antica flava notatus. *Prothorax* niger, margine postico medioque antico flavis. Macula *thoracis* media parva, punctiformis. *Punctum* parvum flavum ad basin *coxarum* posticarum. *Femora postica* flava, margine antico tenui maculaque magna, medium femur fere tegente, nigris. *Terebra* ad basin usque scutelli pertingens. Hisce notis species haec facile a praecedente dignoscitur.

Habitat in *Tauria* (Mus. cl. *Klug.*) *Mas* ignotus.

SECTIO II.

Femoribus posticis multidentatis (dentibus plerisque quindecim).

Caput his immaculatum. *Prothoracis* margines anterior et posterior vario ambitu flavi. *Thorax* maculatus vel immaculatus. *Scutellum* lineola transversali flava inscriptum. *Feminarum* abdomen fasciis duabus tribusve unoque flavis; *marium* abdomen trifasciatum.

6. Leucospis *dorsigera* Fabr.

L. thorace medio immaculato, abdomine thorace duplo fere longiore subcompresso (in fem.), bifasciato. *Mas. Fem.*

Synon. *Leucospis dorsigera Klug. Berl. Mag.*

VI. p. 69. n. 6. Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 147.

Femina: Leucospis dorsigera Ill. in Rossi Faun. Etr. II. p. 130. III. Fabr. Ent. syst. II. p. 246. n. 2. Syst. Piez. p. 168. n. 2. Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p. 218. n. 1. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 24. Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p. 63. n. 2.

Leucospis coelogaster v. Hohenw. in Act. Soc. Berol. VI. p. 344. tab. 8. fig. 3, 4. Schrank Faun. Boic. II. 2. p. 221. n. 1980. Lin. Syst. Nat. ed. Gmel. p. 2741. n. 2. Encycl. Hist. nat. Ins. VII. p. 352. n. 3.

Coelogaster Schrank. in Act. Soc. Berol. I. p. 301. tab. 8. fig. 4—6.

Mas: Leucospis dorsigera mas Panz. Faun. Germ. Fasc. LVIII. 15. Krit. Rev. p. 100.

Leucospis dispar Fabr. Syst. Piez. p. 169. n. 6.

Long. *feminae* lin. 3—4½, latit. lin. 5¾—7½, *maris* long. lin. 4—5, latit. 6½—7¾. *Antennarum scapus* subtus flavus. *Prothoracis* margo anticus medius flavus. Lineola infra alas, et *scutelli* linea flavae. *Abdomen* thorace longius (long. lin. 2⅔, thorax lin. 1⅔) fascia baseos, membranula media primi et secundi segmenti, fascia media anoque flavis. *Terebra* longitudine abdominis. *Coxae* omnes et *femora* postica apice flava. *Tibiae* flavae; anticae extus apicem versus nigrae. *Tarsi* flavi. *Alae*, ut in omnibus congeneribus, fuscescentes.

Mas differt a femina: *scapo antennarum* concolore; *abdomine* minus compresso, basin versus magis attenuato, trifasciato; *terebrae* defectu, *coxis* nigris, concoloribus.

Habitat per omnem *Germaniam mediam* et *australem: Viennae* (*Klug*); in *Italia* (*Rossi, Spinola, Klug*); in *Tauria* (*Klug, Germar*); in Allii Caepae floribus *Galliae australis* (*Villers*). Prope *Sickershausen* Julio et Augusto mensibus satis frequens diversis in floribus occurrebat.

Variatio:

β. Long. lin. 2½, latit. lin. 4. Nigra, puncto marginis antici *prothoracis*, linea tenui marginis ejusdem postici; lineola angusta *scutelli;* punctis duobus segmenti primi, linea angusta secundi, macula tertii segmenti abdominis genubusque flavis; tibiis tarsisque rufis. *Mas.*

Synon. *Leucospis dubia Schrank Faun. Boic. II. 2. p. 222. n. 1981.*

Capta *Viennae* (*Mus. Klug*).

7.

7. Leucospis *ligustica.*

L. thorace medio immaculato, lineola utrinque humerali notato; abdomine thorace duplo fere longiore, trifasciato (in fem.). *Mas. Fem.*

Synon. *Leucospis intermedia Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 236. *n. LXXXIII. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 147. *Klug. Berl. Mag. VI. p.* 65 *et* 71.

Long. lin. 4½, latit. 1⅕ lin. *Antennae* nigrae, scapo toto flavo. Corpus totum subtilissime punctatum. *Caput* nigrum, immaculatum. *Prothorax* niger, undique flavo-marginatus. *Thoracis medii* dorsum nigrum, lineolis duabus obliquis flavis ad alarum originem. Tegulae fuscae. *Scutellum* linea flava transversali flava notatum. *Abdomen* nigrum, fasciis tribus, secunda exigua late interrupta, tertia latissima, anoque flavis. *Terebra* longitudine abdominis. *Pedes anteriores* nigri, femorum apicibus, tibiis tarsisque flavis, tibiis anticis extus nigricantibus, coxis intermediis puncto medio minutissimo flavo inscriptis; *pedes postici coxis* nigris, fascia lata flava, *femoribus* incrassatis, margine inferiori multidentato, intus nigris, extus flavis, macula magna a margine inferiori adscendente nigra, *tibiis* arcuatis flavis latere interiori nigro; *tarsis* flavis apice rufescentibus. *Alae* fuscae.

Mas long. lin. 3½, latit. lin. ⅔. Differt: *antennis* totis nigris; *prothoracis* limbo flavo antice utrinque interrupto, lineolis *mesothoracis* flavis deficientibus; *abdominis* fasciis tribus integris punctoque anali flavis; *pedum* maculis flavis minoribus.

Differt a Leucospidibus primae Sectionis praeter dentes femorum posticorum plures etiam thoracis medio dorso concolore. A *Leucospide dorsigera* autem statura majore, *antennarum* scapo undique flavo; *lineolis* flavis humeralibus; *abdomine* trifasciato *pedumque* dissimili pictura.

Habitat in *Liguria* non infrequens: prope *Novas* et in agro *Taurinensi* (*Spinola*, *Bonelli*). *Feminam* in *Orerii* montibus se invenisse intra gallam fungosam coronatam mespiliformem quercus l. c. cl. *Spinola* refert. Vidi unam *feminam*, a Viro citato benigne mihi transmissam.

8. Leucospis *bifasciata* Klug.

L. thorace medio immaculato; abdomine vix thorace longiore, subdepresso, subbicoarctato; abdomine subtrifasciato. *Fem.*

Synon. *Leucospis bifasciata Klug. Berl. Mag. VI. p.* 70. *n.* 7. *Füesl. Arch. III. tab.* 18. *fig.* 11.

Long. lin. 4¾, latit. 7½ lin. *Corpus* latum. *Abdomen* compressum, thorace vix longius (longitudo abdominis lin. 2⅔, thoracis 2 lin.). *Scapus* antennarum totus flavus. *Caput* immaculatum. *Prothoracis* marginis postici flavedo lata ad latera adscendens, margo ejusdem anticus in medio flavus. *Scutelli* linea flava lunata. *Abdomen* in margine primi et tertii segmenti constrictum, primo et tertio segmento fascia, secundo striga transversa, anoque flavis. *Terebra* in exemplo, a cl. *Klugio* examinato mutila erat. *Coxae* posticae puncto baseos maculaque apicis flavis. *Trochanteres* et *tarsi* rufescentes.

Unum exemplum *feminei* sexus, *Genua* transmissum, in Museo Klugiano asservatur.

Mas non innotuit.

Observ. Praeter proportiones diversas partium vix differre videtur a praedcedente; sed de insecto a me non viso indicium suspendo.

9. Leucospis *gibba* Klug.

L. thorace medio immaculato; abdomine thorace vix longiore, subdepresso, gibboso-deflexo, bifasciato; terebra brevissima. *Fem.*

Synon. *Leucospis gibba Klug. Berl. Mag. VI. p.* 70. *n.* 8.

Long. lin. 4—4½, latit. lin. 7—8. Species distinctissima *abdomine* brevi, a primo segmento angulo obtuso descendente et declivi, qua nota cum sola sequente specie convenit. *Scapus* antennarum totus flavus. *Caput* immaculatum. *Prothoracis* margo posticus flavus latus ad latera adscendens; marginis antici flavedo latera non attingit. *Scutelli* lineola flava lunata. *Abdomen* thorace vix longius; segmenti primi et tertii marginibus constrictis, utroque fascia anoque flavis. *Terebra* vix ad marginem primi segmenti extenditur. *Coxae* immaculatae. Reliqua ut in praecedente.

Variat β segmento secundo *abdominis* utrinque striga tenui punctorum flavorum notato.

Habitat in *Tauria.* Exempla duo sexus *feminei* cum b. *Pallasii* collectione in Museum *Klugianum* pervenerunt; sed nulla eorum in schedis Pallasianis fit mentio.

Mas latet.

10. Leucospis *Biguetina* Jur.

L. thorace medio bimaculato; abdomine thorace vix breviore, subdepresso, gibboso-deflexo, trifasciato; terebra brevissima. *Fem.*

Synon. *Leucospis Biguetina Jur. Hymen. p.* 307. *tab.* 13. *fig.* 45. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 24. *Klug. Berl. Mag. VI. p.* 70. *nota.*

Leucospis brevicauda Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 147?

Long. lin. 4, latit. lin. 7 — 7½. Statura corporis et proportio partium omnino praecedentis. *Caput* cum *antennis* nigrum; *mandibulae* piceae. *Prothoracis* margines anticus et posticus flavi. *Thorax medius* punctis duobus mediis et lineola supra alas flavis. Lineola *pleurarum* flava infra alas. *Scutelli* linea flava lunata. *Abdomen* vix thorace longius, a secundo segmento ad angulum 30° declive, et circa margines primi et tertii segmenti constrictum, fascia cujusque segmenti anoque flavis; primi fascia postice emarginata. *Terebra* vix longitudine dimidii abdominis. *Pedes* flavi; femoribus posticis basi et margine infero nigris. *Alae* obscurae.

Habitat in *Helvetia* (*Jurine*). *Mas* non observatus est.

Adnot. I. Hanc speciem, a me non visam, cl. *Spinola* l. c. cum *Leucospide intermedia* conjungit.

Adnot. II. *Leucospis unipunctata* Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 147. mihi ignota, neque scio, cuinam Sectioni pertineat.

G E N U S II.

CHALCIS Fabr.

Vox Fabriciana, ex instituto hujus viri fictitia, nec nisi casu cum χάλκιδι, ave Homerica, quod etiam piscem et lacertam quandam significat, conveniens.

Chalcis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 25. *n. CCCCLII. Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 133. *n.* 2. *tab.* 7. *fig.* 5—8 (*antenna ala, abdomen et pes posticus*) *et p.* 138 *sqq. Pterom. Suec. p.* 2. *n.* 2. *tab. et figg. cit. et p.* 11 *sqq. Jur. Hymen. p.* 312. *n. XLVII. tab.* 13. *Gen.* 47. *Panz. krit. Rev. p.* 97. *Oliv. Rossi. Cuv. Lam. Illig. Walck. Chalcis specc. Fabr. Chalcis et Smiera Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 147. *n.* 3 *et* 4. *Haltichella Spin. l. c. p.* 148. *n.* 7. *Sphex specc. Lin. Schrank, Vill. Christ. Vespa specc. Lin. Geoffr.*

Antennae fractae, fronti mediae insertae, undecim- vel duodecimarticulatae; *flagello* extrorsum parum crassiori. *Alae* planae, areolis nullis vel obliteratis. *Caput* breve, transversum; fronte retusa, ad antennarum basin impressa. *Abdomen* parvum, subglobosum, compressum. *Femora* postica crassa. *Terebra* recondita.

Mandibula altera acute tridentata; altera bidentata, dente infero emarginato. *Labium* subemarginatum, vel integrum. *Palpi maxillares* quadriarticulati, articulo penultimo secundo breviore, labiales triarticulati.

Habitus. Corpus post *Leucospidum* staturam, pro Familia maximum, punctatum, obscurum, scabrum, nigrum (pedibus petioloque abdominis exceptis); abdomine pedibusque laevissimis.

Antennae fronti mediae insertae, capite paulo breviores: *pedicellus* brevissimus, cavitati frontali immersus; *scapus* elongatus; *pedicellus* parvus, angustus, obconicus; *flagellum* capite longius, cylindricum, saepe extrorsum crassius, articulis subcylindricis, brevibus, maxime contiguis et vix discernendis; in *Chalcide pectinicorni* Latr. introrsum prominulis et flagellum pectinatum conficientibus. *Caput* transversum; fronte retusa, ad antennarum basin sulcata; ocelli tres in vertice arcuatim dispositi. Os non pro-

minens; mandibulis inaequalibus, altera tri-, altera bidentata. *Prothorax* brevissimus, lineari-transversus, antice truncatus, ad latera reflexus et alarum originem contingens. Pars *media* thoracis convexa, integra, nec suturis in lobos distinctiores divisa. *Scutellum* non multum discretum, planum, obtusum, vel rarius bidentatum. *Abdomen* parvum, brevissimum, compressiusculum, subglobosum vel obtuse subtriquetrum, laeve, nitidum, vel sessile (i. e. petiolo perbrevi instructum), vel petiolo distincto variae longitudinis metathoraci infero insertum. *Pedes* anteriores breves, inermes; *postici* maximi, *coxis* crassis elongatis, *femoribus* magnis ovatis compressis, subtus ad receptionem tibiarum canaliculatis saepius crenulatis et dente baseos armatis, *tibiis* arcuatis et a canali femorum excipendis, apice in spinam validam ultra tarsorum insertionem productis, spina nulla alia accedente, facie infera late canaliculata marginibus acutis; *tarsis* tenuibus longitudine tibiarum. *Alae* planae; anteriores nervo subcostali procul a medio costam attingente et cum eadem conjuncto magis conspicua crassitudine ultra mediam alam excurrente; *ramulus stigmaticus* pone mediam costam egrediens, neque apicem costae incrassatae superans brevissimus, truncatus et crassiusculus, stigma in quibusdam simulat. In speciebus majoribus praeterea observantur vestigia obliterata nervorum duorum vel trium longitudinalium, quae vero in minoribus desiderantur. Verus horum nervorum, pallidiorum quidem, sed sine multa opera observandorum, in majoribus speciebus decursus hic est. Nervus brachialis unus infra cubitum, margini interiori parallelus, ad marginem posticum fere tendit, ramuloque costae ante nervum stigmaticum conjuncto, areolam brachialem unam, oblique acuminatam perficit; ex isto ramulo fere medio nervus subcubitalis oritur et per mediam alam pergit, cui nervus maxime obliquus e puncto, ramum stigmaticum claudente, antrorsum tendens ita conjungitur, ut areolam cubitalem fere linearem et costae subparallelam circumscribat, quam altera, incompleta, sequitur; etiam ramuli seu apiculi exigui, ex eodem puncto terminante retrorsum prominentis vestigia in quibusdam offenduntur.

Mares et *feminae* statura similes, interdum coloribus discrepantes. *Antennae maris* paulo longiores et magis acutae, quam in *femina*. *Anus feminae* paulo magis acutus, quam maris; *terebra* omnino recondita, bivalvis.

Metamorphosis, et *vitae genus*, quod mirum sane in

Insectis neque admodum raris, neque adeo parvis, omnino latent. Sola *Chalcis Xanthostigma* Dalm., a cl. *Marklin* e pupa Hylotomae cujusdam exclusa observata est.

Adnot. Secundum *Dalmanum* l. c. nomen *Chalcidis* a χαλκός, aes, derivandum, magis etiam vituperandum esset, cum nullum Pteromalinorum genus longius absit a splendore metallico, quam genus Chalcidum. Scimus autem, Fabricium nomina generum, a se institutorum, non ex aliis linguis ad sensum quendam indicandum, derivasse, sed ad nudum sonum ita finxisse, ut graeca vel latina verba, haberi possent, nisi ad sensum revocata serius examinentur. Haec enim ei erat persuasio, nomina, rei cuiquam naturae imposita, nihil esse debere, nisi signa, rerum imagines significantia et indicantia, sed res ipsas neutiquam explicantia vel declarantia.

SECTIO I.

Abdomen petiolo elongato (Genus *Smiera* Spin. l. c. n. 4).

1. Chalcis *sispes* Fabr.

Ch. nigra, immaculata, petiolo abdominis flavo; pedibus flavo nigroque variegatis. *Mas. Fem.*

Synon. *Chalcis sispes Fabr. Mant. I. p.* 272. *n.* 1. *Ent. syst. II. p.* 194. *n.* 1. *S. Piez. p.* 159. *n.* 1. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 26. *Panz. Faun. Germ. LXXVII.* 11. *Krit. Rev. p.* 98. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p.* 62. *n.* 1.

Smiera sispes Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 147.

Sphex sispes Fabr. Spec. Ins. I. p. 446.

Sphex nigrifex Sulz. Hist. Ins. tab. 27. *fig.* 1.

Vespa femoribuis posticis crassis globosis serratis, denticulo donatis, abdominis globosi pediculo tenui longo. Geoffr. Ins. Par. II. p. 380. *n.* 16.

Hübn. Naturf. Fasc. XXIV. p. 54. *n.* 18. *tab.* 2. *fig.* 22.

Long. lin. 3. *Caput* cum *antennis*, et *thorax* nigra, opaca. *Abdomen* atrum, laevissimum, nitidissimum; *petiolo* longitudine dimidii abdominis, cylindrico, laevi, laete flavo. *Coxae* et *trochanteres* nigra. *Femora* anteriora nigra, apice flava, inermia; *postica* crassa, elongata, atra, apice oblique flava, basin versus dentibus duobus acutissimis, altero nigro, altero flavo, armata. *Tibiae* nigrae; an-

teriores basi flavescentes. *Tarsi* sordide flavi, apice infuscati. *Alae* obscure hyalinae, nervis et stigmate fuscis. *Mas* a femina vix certis notis distinguendus; paulo minor; abdomen brevius et magis obtusum.

Habitat in *Europa* media et australi. In *Liguria* frequens (*Spinola*) et in *Bressia* (*Villers*, *Latreille*); in *Germania* rarior. Cepi unum exemplum, sexus feminini, d. 23. Julii a 1809 prope *Sickershausen*; prope *Carlsruham* legit cl. *Geyer*.

2. Chalcis *clavipes* Fabr.

Ch. nigra, immaculata, petiolo abdominis concolore, femoribus posticis tarsisque rufis apice infuscatis. *Mas. Fem.*

Synon. *Chalcis clavipes Fabr. Mant. Ins. I. p.* 272. *n.* 2. *Ent. syst. II. p.* 195. *n.* 2. *S. Piez. p.* 159. *n.* 2. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 26. *Panz. Faun. Germ. LXXVIII.* 15. *Krit. Rev. p.* 98. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p.* 63. *n.* 2.

Smiera clavipes Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 147.

Chalcis sispes Dalm. in Act. Holm. a. 1820. *I. p.* 139. *n.* 1. *Pterom. Suec. p.* 12. *n.* 1.

Sphex sispes Lin. Syst. Nat. ed. XII. II. p. 943. *n.* 13. *Faun. Suec. p.* 413. *n.* 1657. *Hübn. Naturf. Fasc. XXIV. p.* 56. *n.* 19. *tab.* 2. *fig.* 23. *Müll. Faun. Fridr. n.* 629.

Sphex fissipes Vill. Ent. Lin. III. p. 222. *n.* 6.

Long. lin. 3. *Antennae* mediae fronti inter oculos insertae, nigrae; *scapus* elongatus, obconicus, compressiusculus; *flagellum* aequale, cylindricum, scapo plus duplo longius. *Caput* nigrum, immaculatum, ore concolore, punctato-scabrum, inter antennarum basin et oculos sulcatum. *Oculi* ovati, obscuri. *Thorax* totus niger, immaculatus, punctato-scaber albido-pubescens. *Scutellum* apice subemarginatum, obsolete bidentatum. *Abdomen*, demto petiolo consideratum, brevissimum, nigrum, laeve, nitidum; *petiolo* concolore, cylindrico, substriato. *Pedum anteriorum coxae* nigrae, *femora* basi nigra, apice rufa, vel flava, *tibiae* antice vel piceae, vel flavae, postice magis minusve nigricantes; *posteriorum pedum coxae* nigrae, longitudine femorum, subconicae, apice supero denticulatae; *femora* rufa, apice infuscata, subtus margine exteriore denticulata, denticulo infimo (basi propiori) majori; *tibiae* nigrae, validae, valde arcuatae. *Tarsi* omnes fer-

ruginei, unguibus infuscatis. *Alae* fuscescentes, nervis ramoque stigmatico nigricantibus.

Mas differt a femina: *antennis* paulo longioribus, scapo magis compresso, *abdomine* obtuso, quod in femina acutiusculum, et pedum anticorum colore flavo, ubi in femina rufus est.

Habitat in *Europa media* et *boreali*. In *Bressia* frequens (*Villers*); in *Liguria* rarior (*Spinola*); *Halae Saxonum* (*Hübner*, *Fabricius*); *Norimbergae* locis arenosis (*Panzer*). In *Suecia* minus frequens, praesertim locis humidis (*Dalman*). Vidi unum marem, a cl. *Spinola* e *Liguria* missum, aliaque exempla, variis Germaniae regionibus lecta.

Adnot. In descriptione Linneana *Sphecis sispitis* (Faun. Suec. l. c.) errore vel calami vel typographi „tibiae" loco „femora" leguntur.

3. Chalcis *biguttata* Spin.

Ch. nigra, immaculata, petiolo abdominis concolore, tegulis, genubus omnibus maculisque duabus femorum posticorum flavis, tarsis rufis.

Synon. *Chalcis biguttata Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 251. *n.* LXXXI.

Long. lin. 3. *Antennae* nigrae, thoracis longitudine. *Caput* et *thorax* nigra, scabra, punctis plurimis elevatis. *Tegulae* flavae. *Pleurae* et *pectus* immaculata. *Abdomen* concolor, laeve, nitidum et ut in *Chalcide sispite* petiolatum; *petiolo* breviore, vix quartam abdominis partem longitudine aequante. *Pedes* nigri; *anteriorum* genua flava; *posteriorum femora* incrassata, basi spinula valida flava armata, margine inferiori serrulata, latere exteriori maculis duabus flavis notata; *tibiae* posticae arcuatae; *tarsi* omnes brunnei. *Alae* hyalinae.

Prope *Genuam* cl. *Spinola* legit. Sexus exempli, ab eo descripti, non exponitur. Ego hanc speciem, notis allatis mea sententia bene declaratam, non vidi et verbis cl. Spinolae in ea describenda usus sum.

4. Chalcis *melanuris* Dalm.

Ch. nigra, immaculata, petiolo abdominis concolore, tibiis tarsisque rufo-piceis, tegulis maculisque femorum posticorum basali apicisque albis. *Femina.*

Synon. *Chalcis melanuris Dalm. Act. Holm. a.* 1818. *I. p.* 79. *n.* 3.

Chalcis melanuris Dalm. Act. Holm. a. 1820. *I. p.* 140. *n.* 2. *Pterom. Suec. p.* 13. *n.* 2.

Long. lin. 3. Statura omnino *Chalcidis sispitis* Lin., seu *Chalcidis clavipedis* Fabr., sed praeter colorem et picturam femorum posticorum, ab illa quoque differt: *tegulis* alarum albis, *coxis posticis* manifeste brevioribus et *antennis* magis incrassatis. *Antennae* nigrae, mediae fronti, in linea inter margines oculorum inferiores ducta, insertae; *scapo* longo, cylindrico, flagello scapo plus duplo longiore, novemarticulato, basi tenuiore, apicem versus sensim, sed manifeste, incrassato. *Caput* latitudine thoracis, nigrum, punctatissimum; fronte ad antennarum receptionem oblique foveolata, interjacente carina; hypostomate infra antennas nonnihil descendente; margo oris late et sat profunde emarginatus, in medio nonnihil incrassatus. *Mandibulae* breves, validae, nigrae; *palpi* flavescentes. Inter oculos utrinque punctum albidum. *Thorax* niger, immaculatus, conferte crasse punctatus; *prothorax* truncatus, angulis subrectis. *Scutellum* apice obsolete et breviter bimucronatum. *Metathorax* cancellatim rugosus. *Tegulae* alarum albae. *Abdomen* subglobosum, elevatum, atrum, nitidissimum; *petiolo* reliquo abdomine dimidio breviore, sublaevi, concolore. *Pedes anteriores* nigro-fusci, *tibiis* rufescentibus, basi exteriori pallida, tarsis ferrugineis; *postici* nigri, subtiliter punctulati, *coxis* elongatis clavatis, *femoribus* maximis, lenticularibus, nigris, basi inferiori lunulaque subapicali utrinque albis, margine inferiore evidenter crenulato et ad basin dentibus duobus geminis armato, quorum exterior validior, albus, *tibiis* femoribus paulo brevioribus, arcuatis, nigris, apice interiori in spinam lutescentem producto; tarsis lutescentibus, pubescentibus. *Alae* fusco-hyalinae, nervo subcostali punctoque stigmatico nigro-fuscis. *Corpus* totum, abdomine excepto, pube brevi grisea adspersum, in pedibus subtiliore.

Habitat in *Suecia.* „Specimina circa viginti semel legi ad praedium *Roo,* Vestrogothiae, mense Julio prope aquam fossarum volitantia. Eodem loco per plures postea annos sollicitissime, sed frustra eam quaesivi. Omnia haec exempla feminei sexus erant (Dalman l. c.).“

Mas non inventus est.

Adnot. Hanc et sequentem speciem ipse non vidi, sed cl. *Dalmani* verba repeto.

5. Chalcis *xanthostigma* Dalm.

Ch. abdomine brevius petiolato concolore, atra, ore, orbitis oculorum inferioribus, pedibus anterioribus punctisque thoracis quatuor dorsalibus flavis; femoribus posticis nigris, basi, puncto pone medium apiceque flavis, tibiis nigris, flavo annulatis. *Fem?*

Synon. *Chalcis xanthostigma Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 141. *n.* 3. *Pterom. Suec. p.* 14. *n.* 3.

Chalcide clavipede duplo minor (long. 1½ lin.) *antennae* longitudine fere capitis cum thorace, tredecimarticulatae, paulo infra mediam frontem insertae; *scapus* vertice humilior, obconicus, subcompressus, niger, antice puncto flavo obsoleto notatus; *flagellum* teres, nigrum, pube brevi fusca inspersum, articulis duobus extremis pallidis. *Caput* nigrum, fusco-pubescens, conferte punctatum, pone antennas plaga impressa laevi, tuberculoque inter antennarum insertiones subcarinato; lineola flava ad oculorum marginem inferiorem. *Os* flavum, *mandibulis* macula nigra notatis. *Oculi* mediocres, obovati, in mortuis glauci. *Thorax* niger, tenue fusco-pubescens, sat profunde, sed minus rude punctatus; *prothorace* brevi, angulis anticis prominulis subdentatis. In *thoracis medii* dorso antico puncta duo flava paria, aliaque duo in *prothoracis* margine antico obsoletiora. *Scutellum* parum distinctum, colore et sculptura thoracis, apice inaequale, muticum, ad basin utrinque macula magna flava notatum. *Metathorax* valde inaequalis, cancellatim rugosus, niger, immaculatus. *Abdomen* breve, subglobosum, nigrum, nitidissimum; *petiolo* concolore, non striato, abdomine triplo breviore. *Pedes anteriores* flavi, parum pubescentes; *femoribus* ultra medium, *tibiis* latere interiore nigro-piceis. *Pedum posticorum coxae* nigrae, elongatae, obconicae, laeves, subtus ante apicem puncto flavo notatae; *femora* ovata, subtilissime conferte punctulata, nigra, tota basi sinuatim flava: pone medium marginem inferiorem punctum flavum, et aliud ipsum apicem occupans; margo inferior subtiliter crenulatus, ad basin interiorem dente parvo armatus. *Tibiae posticae* arcuatae, nigrae, annulo ante medium apiceque flavo-testaceis. *Tarsi* omnes flavi, immaculati, unguibus nigris. *Alae* hyalinae, nonnihil brunneo tinctae, nervo stigmateque nigris.

Habitat in *Smolandia* rarissime, a cl. *Boheman* lecta; in *Vestrogothia* (cl. *Marklin*) e pupa *Hylotomae* exclusa.

Sexus exemplorum descriptorum non declaratus videtur.

Adnot. *Smiera Peirolerii* Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 147. mihi solo nomine nota est.

SECTIO II.

Abdominis petiolo brevissimo, vix conspicuo. (Genus *Chalcis* Spin. l. c. n. 3)

6. Chalcis *flavipes* Panz.

Ch. nigra, pubescens; femoribus posticis subtus serrulatis; scutello bidenticulato, margine villoso; abdominis segmentis margine sericantibus; tegulis pedibusque flavis, femoribus basi nigris. *Fem.*

Synon. *Chalcis femorata Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXXIV. tab.* 16. *Krit. Rev. p.* 99.
Chalcis flavipes Fabr. Ent. syst. II. p. 197. *n.* 10. *Syst. Piez. p.* 167. *n.* 32?

Mas femoribus posticis extus flavis, fascia media nigra.

Synon. *Chalcis flavipes Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXVIII. tab.* 16. *Krit. Rev. p.* 98. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 26. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 163. *Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 147.

Species a reliquis hujus Sectionis bene distincta: *statura* majore; *corpore* toto pubescente; *tibiis* immaculatis.

Long. lin. $2^1/_2$ — 3. Caput et thorax cum pleuris et scutello nigra, opaca, grosse punctata, griseo-pubescentia. *Antennae* nigrae; *scapo* fronte humiliori, in femina antrorsum flavicante; *flagello* scapo plus duplo longiore, cylindrico, obtuso. *Os* nigrum. *Frons* profunde excavata, inter antennas carinata. *Oculi* ovati, laterales. *Tegulae* flavae. *Scutellum* magnum, convexum, punctulatum, emarginato-bidentatum, in ambitu, magisque apice, griseo-villosulum et quasi barbatum, sed non sericeum. *Metathorax* brevis, non ultra scutellum prominens, reticulato-rugosus. *Abdomen* structurae solitae, thorace minus, nitidum, punctulatum, antice glabrum postice praesertim circa segmentorum margines striguloso-sericeum; anus acutus.

Venter glaber, segmentis transverse carinatis, margine crasse punctatis. *Terebra* pro more recondita. *Coxae* nigrae, immaculatae. *Trochanteres* nigro-picei. *Femora* pubescentia, basi nigra, apice late flava; postica crassissi-

ma, in margine infero crenata, extus punctata. *Tibiae* flavae, in femina medio rufescentes, pubescentes; posticae longae, arcuatae, apice unicalcaratae. *Tarsi* flavi, unguibus fuscis. *Alae* cinerascenti-hyalinae, nervo subcostali ramuloque stigmatico nigris, reliquis nervis obsoletissimis, ut in reliquis dispositis.

Mas differt a femina: *scapo* antennarum nigro, concolore; *abdomine* rotundato; *femoribus* posticis extus flavis, fascia obliqua lata atra, basi propiori; *tibiis* flavis, concoloribus.

Habitat in *Germania*, praecedente fere frequentior. Cepi prope *Sickershausen* Augusto et Septembre mensibus; *Norimbergae* (*Panzer*, *Sturm*). In *Liguria* cl. *Spinola* legit.

Adnot. *Chalcis flavipes* Fabr., quam, *Pflugio* teste, in *Americae meridionalis* Insulis habitare refert, dubia species est, licet descriptio bene in nostram conveniat.

7. Chalcis *femorata*.

Ch. nigra, femoribus posticis subtus serrulatis; scutello bidenticulato utrinque, abdominisque segmentis margine sericantibus; tegulis pedibusque flavis, femorum tibiarumque fascia media nigra. *Mas.*

Femina femoribus posticis basi nigris, apice flavis.

Synon. *Chalcis femorata Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 143. *n.* 4. *Pterom. Suec. p.* 16. *n.* 4 (*excl. femina*).

Chalcis minuta Fabr. Mant. I. p. 272. *Ent. syst. II. p.* 195. *n.* 4. *Syst. Piez. p.* 165. *n.* 23. *Panz. Faun. Germ. Fasc. XXXII.* 6. *Krit. Rev. p.* 98. *Rossi Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 87. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 26. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 163. *Ann. du Mus. VII. p.* 147.

Vespa minuta Vill. Ent. Lin. III. p. 272. *n.* 15.

Vespa nigra, femoribus posticis globosis serratis, tibiis arcuatis, alarum basi genubusque flavis. Geoffr. Ins. Par. II. p. 380. *n.* 15.

Long. lin. 2. *Antennae* nigrae, feminae immaculatae, marium scapo antice flavo, mediae fronti insertae; scapo verticem vix attingente; flagello crassiusculo tereti aequali, scapo plus duplo longiore. *Caput* transversum, subtriangulare, nigrum, immaculatum, profunde punctatum, scabrum, glabrum; frons profunde emarginata. *Thorax* niger, crasse punctatus, glaber. *Tegulae* flavae. *Scutellum* apice

obtuse bidentatum, per se quidem glabrum, sed ex utroque latere macula sericante cinctum. *Metathorax* reticulato-rugosus. *Abdomen* sessile, crassum, ovato-conicum, atrum, nitidum, segmentorum marginibus sericeo-micantibus, subtus vix carinatum; ano acuto. *Coxae* nigrae, apice flavae; posticae magnae, crassae, subtrigonae, supra laeves nitidae, subtus punctatae. *Femora* anteriora extus flava, in medio nigra vel fusca; postica crassissima, ovata, subtus crenulata, in *mari* extus flava fascia vel macula media nigra notata, feminae basi nigra, apice flava. *Tibiae* arcuatae; anteriores annulo medio, posticae annulo medio et basi nigris vel fuscis; hae apice spina recta valida armatae. *Tarsi* omnes flavi. *Alae* albo hyalinae, nervo costali stigmateque fuscis.

Habitat in *Europa*, praesertim media et australi, inde a *Dania* (Vahl) et *Suecia* australi (Dalm.). In *Liguria* (Ross. Spin.) Ipse marem cum femina Augusto et Septembre mensibus observavi prope *Sickershausen*.

V a r i a t i o:

Pedibus rufis, femorum apice punctoque tibiarum posticarum baseos flavis. *Mas. Fem.*

Synon. *Chalcis femorata femina Dalm. Pterom. p.* 17. *Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 144.

Chalcis minuta Varietas pedibus rufis geniculis flavis Ross. Faun. Etr. App. p. 99. *Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 87.

Chalcis podagrica Ross. Faun. Etr. Mant. p. 272. *n.* 5. *Faun. Etr. ed. Ill. p.* 87. n. 805 (*excl. syn. Fabr.*) *Spin. Classif. Diplol. in Annal. du Mus. VII. p.* 147.

Habitat cum reliquis hujus speciei individuis, rarius tamen occurrit.

Observ. I. *Vespa minuta* Lin. an ad hanc speciem, an ad *Chalcidem minutam Dalm.* pertineat, dubium restat. Quoad definitionem et magnitudinem pulicem vix duplo excedentem, isti cum Dalmano conjunximus; sed verba, in descriptione a Linneo addita, Chalcidem *femoratam* pingere videntur. *Villarsium* igitur, e cujus Museo exemplum videre nobis contigit, ad priorem citavimus. *Linnei* autem synonymon vix unquam dubiis solvi posse arbitramur.

8. Chalcis *intermedia*.

Ch. nigra, femoribus posticis subtus serrulatis, scutello bidenticulato nudo, abdominis segmentis margine seri-

cantibus, tegulis pedibusque flavis, femoribus basi tibiis anterioribus lineola, posticis apice nigris. *Mas.*

Media quasi haec est inter praeeedentem et sequentem speciem. Differt a praecedente pubescentiae sericantis circa scutellum defectu; *abdomine* etiam minus sericante; *femoribus* anterioribus apice quidem lato spatio, neque tamen basi flavis; *tibiis* non annulatis, sed anterioribus lineola interiori, posticis antice totis nigris spinaque porrecta valida apicis armatis. A sequente distinguitur magnitudine, qua ratione praecedenti accedit, tum tegularum tibiarumque colore flavo nec rufescente.

Cepi mares aliquot, Augusto et Septembre mensibus in Pastinacca horti *Sickershusani.* Femina non occurrebat.

9. Chalcis *minuta* Dalm.

Ch. nigra, femoribus posticis subtus serrulatis, scutello subbidentato abdomineque nudis, tegulis flavis vel concoloribus, femoribus posticis apice flavis, tibiis basi apiceque tarsisque testaceis. *Mas. Fem.*

Synon. *Chalcis minuta Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 144. *n.* 5. *Pterom. p.* 17. *n.* 5.

Vespa minuta Lin. S. N. ed. 12. *II. p.* 952. *n.* 28?

Long. lin. 1½ — 2. *Antennae* nigrae, immaculatae. *Caput* nigrum, confertissime crasse punctatum, subtilissima pubescentia albicante inspersum, supra insertionem antennarum excavatum. *Mandibulae* apice piceae. *Thorax* cum *metathorace* totus niger, immaculatus, crasse confertimque punctatus, fereque glaber. *Tegulae* flavae, rarius nigrae, *scutellum* apice subemarginatum, nudum neque sericans. *Abdomen* atrum, nitidissimum, solo apice sericante. *Coxae* nigrae. *Femora* anteriora nigra, apice testacea; postica crassa, subtilissime punctulata, in margine inferiori crenulata, nigra, apice distincte flava. *Tibiae* anticae testaceae lineola postica nigra; posteriores nigrae, basi apiceque testaceae; posticae, ut in praecedentibus, spina porrecta solitaria apicis praeditae, apice annuloque prope basin magis ex rufo flavicantibus. *Tarsi* omnes pallide testacei, unguibus nigris. *Alae* hyalinae, nervo stigmateque fuscis.

Habitat in *Germania*, capta a Junio mense usque in Septembrem prope *Sickershausen.* Ex *Italia* cl. *de Sanvitali* transmisit. In *Suecia* cl. *Marklin* legit. (Dalm.)

V a r i a t:

α. Magnitudine et *tibiarum* colore pallidiore vel saturatiore, sed nunquam flavo;

β. Long. lin. 1½; *scutello* integro, *tibiis* anterioribus basi et apice brevi spatio, posticis annulo prope basin, tarsisque omnibus testaceis.

Synon. *Chalcis pusilla Ross. Faun. Etr. Mant. p.* 272. *n.* 6. *Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 89. *n.* 807. (*excl. Syn. Fabr.*) *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 164. *n.* 7.

Habitat in *Germania*, capta mensibus Augusto et Septembre prope *Sickershausen* in Pastinaccae floribus. In *Italia* (*Rossi*, *Spinola*).

Observ. *Chalcis pusilla* Fabr. Ent. Syst. II. p. 197. n. 8. S. Piez. p. 167. n. 29. cum teste Hübnero in Naturf. n. XXIV. p. 57. n. 21. (conf. Ill. in Faun. Etr. II. p. 89. Nota) e Tranquebaria allata sit, neque, ut habet Fabricius, „in agro Halensi capta," speciem hanc Fabricianam peritorum judicio enucleandam relinquimus.

10. Chalcis *Dargelasii* Latr.

Ch. nigra pubescens, femoribus posticis subtus bidentatis, geniculis omnibus tarsisque rufis, scutello subbidentato. *Mas. Fem.*

Synon. *Chalcis Dargelasii Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 221. *n.* 6. *Gen Cr. et Ins. IV. p.* 26. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 163. *n.* 6. *Chalcis rufipes Oliv. Latr. l. c. n.* 5. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p.* 63.
Chalcis rufitarsis Ill. in Ross. Faun. Etr. II. p. 87.
Chalcis clavipes Rossi Mant. p. 272. *n.* 2. *Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 86. *n.* 803.
Haltichella Dargelasii Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 148.

Long. lin. 3. Corpus totum nigrum, crasse punctatum, pubescens. *Caput* et *thorax* opaca. *Antennae* totae nigrae, hypostomati infero os versus insertae, excavationi frontis incumbentes. *Tegulae* nigrae. *Scutellum* leviter emarginatum. *Abdomen* ovatum, atrum, nitidum, laeve. *Pedes* anteriores nigri, femoribus apice, tibiis basi et apice tarsisque rufis; *femora* postica rufa, ovata, margine inferiore acuto bidenticulato, denticulo altero medio, altero prope ab apice, spatioque marginis, denticulis interjecto, integerrimo nigro; tibiae nigrae, basi et apice rufae, calcaribus apicalibus binis praeditae; tarsi rufi. *Alae* hyalinae, costa testacea.

Habitat in *Germania*, capta prope *Sickershausen* d. 2. Septembris locis siccis arenosis. In *Gallia* (*Latreille, Olivier*) in *Italia* (*Rossi*, *Spinola*), sed prae reliquis rara. Vidi exemplum, a cl. *Spinola* e *Liguria* missum, idque cum nostrate omni numero congruens.

11. CHALCIS *armata* Panz.

Ch. nigra, pubescens; femoribus posticis subtus subbidentatis nigris; scutello elongato bifurcato; pedibus anterioribus ferrugineis, femoribus tibiisque in medio fuscis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Chalcis armata Panz. krit. Rev. p.* 98. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 163. *n.* 5. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 26. *Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 145. *n.* 6. *Pterom. suec. p.* 18. *n.* 6.
Cynips armata Panz. Faun. Germ. LXXIV.
Haltichella armata Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 148.
Chalcis bispinosa Fabr. S. Piez. p. 166. *n.* 28?
Haltichella bispinosa Spin. l. c.?

Fem. Long. lin. 2 — 2½. *Caput* thorace latius transversum, crasse punctatum, nigrum; fronte late canaliculata; hypostomate inter antennas dente obtuso compresso aucto. Oculi prominuli. *Antennae* hypostomati infero supra os insertae, duodecimarticulatae, scapo angusto, longitudine fere frontis, nigro, summo apice ferrugineo; flagello capite dimidio longiore, cylindrico, extrorsum sensim paulisper incrassato, apice acuto, articulis primo, secundo et tertio rufis, reliquis nigris. *Thorax* subcubicus, antice truncatus, punctatissimus, niger, immaculatus subtilissime albido-pubescens. *Scutellum* thoraci concolor, punctatum, elongatum, apice paulo angustius bifurcatum, dentibus obtusiusculis. *Metathorax* truncatus, rugosus. *Abdomen* ovato-conicum, laeve, atrum, nitidum; ano acuto albo-pubescente; ventre carinato. *Pedes* antici rufi, femoribus nigris basi apiceque rufis; medii rufi, femoribus elongato-clavatis medio, tibiisque annulo nigris; postici nigri, femoribus valde incrassatis ovatis punctulatis albo-pubescentibus, in margine infero obsolete bidenticulatis et fere integerrimis, tibiis incurvis, bicalcaratis apice tarsisque rufis. Alae obscurae, lunula ante medium marginali lituraque discoidali versus apicem fuscescentibus.

Mas differt a femina *antennarum* flagello toto nigro, arti-

articulis longioribus cylindricis, extremo magis acuto; pedibus mediis fere totis rufis.

Marem cum *femina* cepi Julio et Augusto mensibus in floribus Pastinaccae prope *Sickershausen*, tum mense Majo in Pruno Pado. Habitat porro prope *Viennam* (*a Megerle*), *Norimbergae* (*Sturm*); in *Italia*, ad *Genuam* (*Spinola*); in *Scania* (*Fallén*, *Dalman*).

Observ. Chalcidem bispinosam Fabr. vix differre a nostra censeo, quidquid in contrarium disputet cl. Dalman. Abdomen compressum, plus semel in scriptis Fabricii, errore forsan calami, cum „depresso" commutatum videmus; tum femorum denticulos revera perexiguos facile effugere posse observatorem, in minimis non adeo scrupulosum, non est, quod miremur. „Thoracem" denique postice utrinque spinosum dici, cum scutelli mentio non fiat, in descriptione, stilo tam fugaci expressa, qualem in systemate Piezatorum legimus, non tanti existimo, ut sententiam nostram evertere possit. Constat enim, Fabricium *scutelli* insectorum non semper justam rationem habuisse, neque semper in hac parte a reliquo metathorace distinguenda debitam curam posuisse.

Adnot. *Haltichella sanguinipes* Spin. (Ann. du Mus. l. c.), praecedentibus a cl. auctore composita, mihi non nota est.

12. CHALCIS *immaculata* Rossi.

Ch. nigra, abdomine nitido, pedibus concoloribus, femoribus posticis integerrimis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Chalcis immaculata Rossi Faun. Etr. Mant. I. n.* 279.
Chalcis aenea Fabr. Ent. Syst. II. p. 197. *n.* 7. *S. Piez. p.* 166. *n.* 27. (*excl. Syn. Chalcidis aeneae Ross.*).
Haltichella aterrima Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 148.

Long. lin. $2^1/_4$. *Antennae* hypostomati infero insertae, extrorsum parum incrassatae, nigrae. *Caput* et *thorax* nigra, opaca, crasse punctata, pubescentia. *Scutellum* integrum, planum, margines segmenti scutellaris non egrediens. *Abdomen* laeve, glabrum, nitidum, atrum. *Pedes* atri, immaculati, tarsis paulum rufescentibus. Femora postica crassa, oblongo-ovata, nitidula, margine infero integerrimo. *Alae* obscure hyalinae.

Femina differt a *mare* abdomine conico acuto, quod in hoc obtusum et fere globosum.

Habitat in *Italia* (*Rossi*). Vidi marem, a cl. *Spinola* missum.

Observ. Nomen Rossianum, etsi recentius Fabriciano, retinendum putabam, cum aenei nihil in hac specie luceat, et Chalcis aenea Rossi, quae, commutatis fortasse exemplis, nomini isti ansam dedit, *Perilampi* generis sit.

13. Chalcis *pectinicornis* Latr.

Ch. antennis pectinatis, nigra, femoribus posticis rufis. *Mas.*

Synon. *Chalcis pectinicornis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 26.

Verba cl. *Latreillii* addimus, cum hoc insectum videre nobis non contigerit.

„*Chalcidi rufipedi* Oliv. (Ch. C. Dargelasii nobis) affine et antennarum insertione (infera scilicet) tibiarumque forma ejusdem divisionis. Obscure nigra, punctata. *Antennae* articulis *decem* „(undecim equidem autumo, ob radiculam neglectam)" tertio (quarto) et sequentibus, ultimo excepto, in dentem valde elongatum compressum basi angustatum superne productis; articulo decimo, sive terminali, magno ovato-subtrigono. *Abdomen* nitidum. *Femora* postica rubra. An Genus proprium?"

Habitat in *Gallia australi*, a *Dufourio* semel lecta. (*Latr.*)

GENUS III.

DIRRHINUS Dalm.

---

a δὶς bis, et ῥὶν, nasus, ob capitis binos processus.

Dirrhinus Dalm. Act. Holm. I. 1818. *I. p.* 76. 1821. *p.* 133. *n. III. Pterom. Suec. p.* 2. *n. III. Annal. entom. p.* 29. *Tab. II. Fig. C.* 1—6. *Chalcis sp. Rossi. Jur. Latr. Spin. Chrysis spec. Ill.*

Antennae fractae, extrorsum subcrassiores, undecim-articulatae. *Alae* planae, areolis nullis vel obliteratis. *Caput* transversum, fronte profunde partita, ante oculos utrinque prominente, antennas in sulco recipiente; hypo-

stoma declive. *Abdomen* parvum, brevissime petiolatum, secundo segmento maximo. *Terebra* recondita.

Os deflexum. *Mandibulae* productae; altera tri-, altera bidentata. Reliqua oris structura non rite cognita.

Habitu magis, quam oris fabrica recedere videtur hoc genus a *Chalcide*. *Caput* supra visum horizontale; vertice planiusculo, hinc fronte antrorsum ad medium sulco profundissimo excavata, et ex utroque latere in lobum brevem, a singulo oculo divergentem, apice obtusiusculum, undique marginatum prominente; occipite excavato. A latere visum subtrigonum apparet, hypostomate oblique retrorsum descendente, convexiusculo. *Oculi* laterales, prominuli. *Ocelli* tres in vertice, satis magni, triangulum describentes. *Antennae* fronti in margine infero sulci insertae, et per quietem in hoc sulco ad maximam partem recondendae, undecimarticulatae; *radicula* brevi; *scapo* elongato; *pedicello* obconico; *flagelli*, apice paulisper incrassati, articulis subaequalibus, cylindricis, arcte contiguis, in altera saltem specie secundum longitudinem striatis, extremo obtuso. *Mandibulae* prominulae, in conum acutum conniventes, reclinatae. *Prothorax* transversus, antice sinuato-angustior. *Thorax* convexiusculus, utrinque lineola obliqua subarcuata impressus. *Scutellum* rotundatum, integrum. *Metathorax* convexiusculus, dorso costis longitudinalibus notatus. *Abdomen* thorace minus, ovatum, vel subglobosum, petiolatum; segmento petiolari reliquo abdomine multo breviori, cylindrico, sulcato; secundo segmento maximo, campaniformi vel ovato, basi striato postice emarginato; reliquis in *mare* brevissimis, sub secundum segmentum retractis vel omnino sub eodem reconditis; in *femina* venter fornicatus. *Terebra* sub fornice ventris latens, ascendensque. *Pedes anteriores* breves, graciles, femoribus, mediis praesertim, clavatis; *posteriores* elongati, coxis longis fusiformibus, trochanteribus validis, femoribus crassis ovatis inferne, *) juxta basin, unidentatis caeterum subintegerrimis; tibiis arcuatis, apice in spinam simplicem productis. *Tarsi* graciles. *Alae* Chalcidum, stigmate satis conspicuo, sed ramo stigmatis brevissimo, nervorumque reliquorum vestigiis obsoletissimis.

---

*) Cl. Spinola „supra“ dentata describit femora. An casu inversis in suo exemplo femoribus deceptus? quod facile quidem accidit in his minimis.

Color specierum, quas duas cognovimus, niger, unicolor. *Alae* subhyalinae.

1. Dirrhinus *hesperidum.*

D. niger, pedibus anterioribus lutescentibus; metathorace rotundato.

Synon. *Chalcis hesperidum Rossi Faun. Etr. App.* 100. *tab.* 7. *fig. D.* (*Fem.*)

Chrysis hesperidum Ill. in Ross. Faun. Etr. II. p. 126. *n.* 832. (*Fem.*)

Chalcis cornigera Jur. Hymen p. 315. *tab. XIII. gen.* 47. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 26. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 164. *n.* 8. (*Mas.*)

Long. lin. 2½. Totum corpus cum antennis nigrum. *Caput* et *thorax* crasse punctata, subtilissime pubescentia. *Metathorax* rotundatus, costis quatuor dorsalibus notatus. *Abdominis* petiolus quadrisulcatus; segmentum secundum campanulatum, basi striolatum; *anus* obtusus, reconditus. *Pedes* anteriores pallidi, genubus solis fuscis; postici nigri. *Alae* hyalinae nervorum aliquot vestigiis.

Habitat rarus in *Helvetia* (*Jurine*), in *Italia*, prope *Genuam* (*Spinola*). In plantis Hesperidum parieti innixis, (*Rossi*). Volatus gravis.

Observ. *Dirrhinum excavatum* Dalm., e *Sierra Leona* Africae, a cl. *Afzelio* in Museum *Schoenherrianum* illatum et a cl. *Kymell* Gyllenhallio ex India orientali missum, si re vera a nostrate differt, hisce notis distingui oportet.

Dirrhinus excavatus Dalm. (Act. Holm. 1818. I. p. 76. Annal. entom. p. 29. Tab. II. C.) niger, antennis pedibusque anterioribus ferrugineis, metathorace utrinque angulato-dentato. *Mas.*

Magnitudo eadem. *Antennae* paulo graciliores, ferrugineae. *Metathorax* non adeo costatus, utrinque in dentem brevem productus, apice attenuatus et ad abdominis insertionem acute emarginatus, angulis acutis. *Abdomen* ratione thoracis minus, angustius, segmento secundo apice subtridentato, reliquis inconspicuis.

An specie distinctus?

Tribus II.

Isomeri.

Pedes postici ab anterioribus non multum diversi; *femoribus* compressis, ad summum oblongis; *tibiis* rectis.
Corporis color niger, vel metallicus. *Alae* exareolatae, solo ramo stigmatis notatae, vel hoc deficiente omnino enerves.

Stirps I.

Halticopteri.

Terebra e ventre, ante anum enato, tractu quodam a sulco ventrali recepta, ultra anum prominens vel sub ventre latens, valvulaque ventrali majori quadam fulta. Motus saltatorius.
(Colores metallici permultis. Antennae haud raro apice clavatae, omnibus fractae, seu scapo evidenter longiori praeditae.)

GENUS IV.

EURYTOMA Ill.

Nomen ab εὐρὺς, latus, amplus, et τόμος, pars absscissa, ad antennarum articulos, in maribus isthmis interceptos, alludens.

Eurytoma Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 27. *n. CCCCLIII. Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *p.* 134. *n.* 4. *tab.* 7. *fig.* 15 — 18. *Pterom. Suec. p.* 3. *n.* 4. *tab.* 1. *fig.* 15 — 18. *Eurytoma et Decatoma Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151. *n.* 19. *et* 21. *Diplolepidis specc. Fabr. Eucharidis specc. Fabr. Panz. Chalcidis specc. Jur. Rossi; Cyniphis specc. Fabr. Schrank, Oliv. Latr. Walck. Pteromali specc. Swed.*

Antennae fractae, mediae fronti insertae, articulis novem ad decem discretis, in *masculis* plerisque elongatis, isthmis interceptis et pilosis, *feminis* submoniliformes, extremo articulo annulato. *Alae* nervo subcostali distincto crassiusculo, ramulo stigmatis brevi obliquo. *Ab.*

domen magis minusve petiolatum, compressum, gibbum. *Terebra* subexserta.

Mandibulae crassae, subtridentatae. *Palpi maxillares* quinquearticulati, *labiales* triarticulati. Lingua integra.

Character naturalis.

Mandibulae crassae, subtruncatae, apice tridentatae, dente infero obsoleto. *Maxillae* basi corneae, *mala* dilatata membranacea valde ciliata. *Palpi maxillares* quinquearticulati, articulo baseos brevissimo, reliquis subaequalibus filiformibus, extremo paulo crassiori. *Lingua* membranacea, integra, rotundata. *Palpi labiales* triarticulati, articulis subaequalibus.

Antennae masculorum plerorumque decemarticulatae; radicula brevi; scapo crassiusculo, frontem superante, recurvo, compresso; pedicello obconico vel cylindrico; reliquis articulis cylindricis pilosis, basi apiceque truncatis, processuque brevi tenuique infero mediove conjunctis, unde flagellum aliis subverticillatum, aliis antrorsum sinuatum efficitur; extremo articulo obtuso, plerisque speciebus triannulato, eoque vel solo, vel aliis quibusdam simul ascendentibus. In paucis marium antennae feminarumque structura magis congruunt. *Feminarum antennae* breviores, novemarticulatae; radicula, scapo pedicelloque ut in masculis, sed flagelli articulis oblongis vel ovalibus, primo paulo longiori et tenuiori, extremo longiori et crassiori.

Habitu quodammodo *Dirrhinis* accedunt species hujus generis, quae omnes parvae et nigro vel obscure aeneo colore corporis sunt. *Corpus* satis elongatum. *Frons* convexa. *Oculi* pluribus corallini. *Prothorax* transverse quadratus, planus, antice truncatus, a thorace distinctus. *Scutellum* breve, rotundatum, integrum. *Metathorax* declivis. *Abdomen* petiolatum; segmentis anterioribus ascendentibus et reliqua vaginantibus, a latere compressis; extremo in femina cum terebra adscendente plerumque latente rariusve parumper prominula in corniculum obliquum coëunte. Venter feminae carinatus. *Terebra* in quiete non exserta. *Pedes* mediocres. Alae hyalinae vel litura nigra signatae. Punctura corporis densa et sat conspicua.

Habitatio in Carduis, Artemisiis aliisque herbis et fruticibus, ubi gallas fungosas ictu suo gignere dicuntur hujus generis species.

Adnot. *Latreillium* et *Dalmanum* secutus, *Eurytomae* genus inter Pteromalinos posui, quibus re vera ha-

bitu notisque ex antennis alisque haustis proxime conjunctum videtur. Sed vitae ratio *Cyniphum* potius est, quibus *Eucharide* genere medio conciliatur, neque errabit, qui, utriusque ordinis, *Cyniphum* et *Pteromalinorum* inquam, novo certiorique charactere invento, *Eurytomas* Cyniphibus restituet.

1. Eurytoma *plumata* Ill.

E. nigra, antennis maris antrorsum sinuatis; tibiis tarsisque omnibus testaceis; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Maris. Eurytoma plumata Mus. Hoffmannsegg. Ill. in Rossi Faun. Etr. ed. II. p.* 127. *n.* 853. *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151.

Chrysis plumata Rossi Faun. Etr. l. c.

Cynips plumata Rossi Faun. Etr. App. p. 79. *tab.* 7. *fig. F.*

Eurytoma Serratulae Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 27.

Eucharis Serratulae Panz. Krit. Rev. p. 69.

Cynips Serratulae Fabr. Ent. syst. Suppl. p. 214. *n.* 15—16. *Syst. Piez. p.* 147. *n.* 18.

Feminae:

Eucharis compressa Fabr. Syst. Piez. p. 157. *n.* 3.

Cynips compressa Fabr. Ent. syst. Suppl. p. 213. *n.* 1.

Cynips adonidum Rossi Faun. Etr. App. p. 75?

Chrysis adonidum Rossi Faun. Etr. ed. Ill. II. p. 128. *n.* 854.

Diplolepis adonidum Spin. Ins. Lig Fasc IV. tab. 3. *fig.* 10.

Decatoma adonidum Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 151.

Long. *maris* lin. 2½, *feminae* lin. 3. Structura corporis in universum supra tradita est, quare in his et sequentibus ea indicasse sufficiat, quibus hae species maxime inter se differre videantur facillimeque distinguantur. *Eurytoma plumata* reliquas omnes antecellit magnitudine. *Antennarum maris* flagellum elongatum, articulis septem discretis, utrinque dentatis, juxta angulum inferum isthmo conjunctis, albo-villosis. *Abdominis* segmentum petiolare longum, reliquum abdomen aequans, quod cordiforme, compressum, basi subemarginatum. *Pedes* nigri; tibiis et

tarsis omnibus testaceis. *Alae* hyalinae, nervo costali ramuloque stigmatis nigris. Caput et thorax distincte punctata; abdomen laevissimum.

Femina differt a mare: *statura* majore, *antennis* brevioribus, apicem versus crassioribus, neque sinuatis, et *adomine* brevius petiolato, ratione thoracis grandiore, ovato-compresso.

Habitat in *Italia* (*Rossi, Fabricius*); prope *Brunsvicum* (*Illiger*). In Galla lignea polythalama, rotundata, utrinque attenuata caulis serratulae arvensis *Galliae* (*Fabricius*, auctoritate *Musei Bosciani*).

2. Eurytoma *Abrotani* Ill.

E. nigra, antennis maris antrorsum sinuatis, tibiis anticis tarsisque omnibus testaceis; *feminae* geniculis solis tarsisque pallidis; alis hyalinis.

Maris:

Synon. *Eurytoma Abrotani Ill. in Rossi Faun. Etr. II. p.* 128. *nota*, *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 27. *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151.

Eucharis Abrotani Panz. Krit. Rev. p. 97.

Chalcis Abrotani Panz. Faun. Germ. LXXVI. 14.

Pteromalus Appendigaster Swed. in Act. Holm. a. 1795. *Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 73. *tab.* 7. *fig.* 13 *et* 14, *et Pterom. Suec. p.* 7. *tab. I. f.* 13. 14 (*caput et ala maris*).

Feminae:

Cynips aterrimus Schrank En. Vill. Ent. Lin. III. p. 75. *n.* 19. *Latr. l. c.* (*sub Eurytoma*). *Müll. Faun. Fridr. n.* 595?

Pteromalus nigritus Swed. in Act. Holm. a. 1795. *Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 73. *tab.* 7. *fig.* 16. 17 (*caput cum antenna et ala*). *Pterom. Suec. p.* 7. *tab.* 1. *fig.* 16. 17 (*caput et rel.*).

Long. *maris* lin. 1—1½, *feminae* a lin. 1½—3. Structura *antennae* maris ut in praecedente, sed pili parciores, rigiduli, cinerascentes. Habitus corporis tam maris quam feminae omnino qualis in illo. *Caput* et *thorax* elevato-punctulata, nigra, pubescentia. *Pedes* nigri; in *mare* tibiis anticis, geniculis omnibus et tarsis testaceis, in *femina* solis *geniculis* et *tarsis* pallidis, subalbidis. *Alae* ut in praecedente. *Oculi* corallino rubore splendent. *Mandibulae* piceae.

In Galla caulis cujusdam tuberosa, plantae a hieme destructae ideoque incertae, Parietariae forte, copiam feminarum invenit *Schrankius.* In Carduis prope *Sickershausen* Julio, Augusto et Septembre mensibus, ipse legi; *marem feminae* copula junctum, die 21. Aug. a. 1821; in variis plantis prope *Norimbergam*, *Panzer;* prope *Viennam* inventa est; etiam in *Gallia* et *Suecia.*

3. Eurytoma *verticillata Ill.*

E. nigra, antennis maris verticillatis, tibiis anticis tarsisque in utroque sexu piceis, alis albo-hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *maris: Eurytoma verticillata Ill. in Rossi Faun. Etr. II. p.* 128. *nota. Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151.

Enneatoma verticillata Spin. in litt.

Diplolepis verticillata Fabr. Syst. Piez. p. 153. *n.* 23. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p.* 62. *n.* 6.

Ichneumon verticillatus Fabr. Ent. syst. Suppl. p. 232. *n.* 235—36.

Feminae Synonyma nulla.

Long. lin. 1—1¼. A binis praecedentibus differt: colore magis nitido, atro; *antennarum* structura, quarum articuli non *infero* latere, sed medio isthmo juncti, undique verticillati, pilisque, quam in praecedentibus densioribus adspersi apparent. Flagellum e septem articulis compositum, quorum ultimus oblongo-ovatus, obsolete annulatus. Antennae *feminae* novemarticulatae, articulis subpateraeformibus, extremo articulo obtuso ovato distincte triannulato. *Prothorax* quam in praecedentibus brevior; *petiolus abdominis* reliquo abdomine etiam in mare brevior est, angustus et gracilis. *Tibiae anticae* et *tarsi omnes* in *maribus* minoribus praesertim, et genicula obscure picea, in *feminis* majoribus testacea. *Alae* albo-hyalinae, puncto ramuli stigmatici terminali atro.

Habitat in *Germania* et *Suecia.* Cepi *mares* et *feminas* promiscue, in variis floribus vere et aestate prope *Sickershausen. Feminam*, in galla parva globosa sanguinea Folii Rosae insidentem, misit cl. *Gravenhorst*, hoc situ a sese prope *Brunsvicum* captam. In *Italia* cl. Spinola cepit.

Observ. Individua feminea minora, vix unius lineae longitudine, olim *Eurytomae albimanae* nomine amicis communicavi. *Mares* hujusmodi, pedibus fere totis ni-

gris, solis tarsis pallescentibus, verno tempore praesertim prodeunt, neque constat, an altera forsan species distinguenda sit, quam *albimanae* nomine appellare liceret. — Hujus loci est *Decatoma albitarsis* Spin. ined. et Classif. Diplol. in Ann. du Mus. *VII.* p. 151 (fem.).

4. Eurytoma *aenea*.

E. capite thoraceque aeneis; abdomine nigro-subviolaceo; tibiis tarsisque fusco-rufis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Decatoma metallica Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151?

Long. lin. 1⅛. *Antennae* nigrae, structurae ut in praecedente, decemarticulatae. *Caput* et *thorax* glabra aenea. *Scutellum* obtusum punctulatum. *Metathorax* convexus, rugulosus. *Abdomen* subcompressum, laevissimum, atro-subviolaceum; segmento petiolari reliquo abdomine breviori cylindrico striato; ano acuto. *Terebra* aliquantum exserta, subulata, acutissima, nuda. *Femora* gracilia, fusco-aenea, apice, tibiae et tarsi piceo-rufa, obscura. *Alae* hyalinae.

Unam hujus speciei feminam cepi, Aphidibus, jam mortuis, *Aphidio vario* *) impraegnatis, terebra immissa ova imponentem, die 11. Junii a. 1813, in Rosa horti mei prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

5. Eurytoma *atra*.

E. nigra, genubus tarsisque fusco-testaceis, alis hyalinis, stigmate distincto nigro. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1¼. *Antennae* feminae, quam solam novimus, novemarticulatae, apice paulo crassiores, pilosae, articulis subglobosis, anterioribus minutis, tum reliquis sensim crescentibus, extremo maximo ovato. *Prothorax* transversus, antice subangustatus, declivis. *Abdominis* segmentum petiolare breve; reliquum abdomen ovatum, parum compressum, convexum, laevissimum, nitidissimum; anus in apiculum, terebram vaginantem, contractus. *Pedes* atri; femorum apicibus, sed anticorum distinctius, tibiis anticis, reliquis apice, tarsis omnibus testaceis. *Alae* hyalinae, puncto, loco stigmatis, crassiusculo atro.

? *Mas*, differre videtur a femina: antennarum articulo extremo majore, reliquis paulo distinctioribus.

Cepi *mares* et *feminas* in hortis et pratis prope *Sickershausen*, Majo et Augusto mensibus.

*) Vol. I. p. 21. n. 9.

6. Eurytoma *signata*.

E. nigra, luteo-notata; pedibus luteo- et nigro variis; alis hyalinis, lunula marginali nigra. *Fem.*

Long. lin. $^3/_4$—$1^1/_2$. *Antennae* novemarticulatae, structurae communis feminarum hujus generis, ferrugineae, primo articulo pallidiore. *Caput* testaceum; fronte, occipite, maculis duabus infra antennas et mandibularum apicibus nigris. *Thorax* niger, obscurus, punctatus, pubescens, macula utrinque magna ante alas, cum altera macula partis pleurae inferioris sui lateris confluente, testacea, puncto nigro notata. *Tegulae* testaceae. *Abdominis* segmentum petiolare reliquo abdomine brevius, gracile, laeve; quae superest pars abdominis compressa, dorso arcuata, laevis, nitida, atra; ventre basi piceo. *Terebra* longitudine fere dimidii abdominis exserenda, sed altius quoque in sulculum ventralem retrahenda, ut omnis fere lateat, *Pedes* lutei, femoribus anterioribus macula exterioris lateris nigra, posticis cum tibiis suis medio nigris. *Alae* parumper pubescentes, albo-hyalinae, macula reniformi nigra in medio margine exteriori notatae.

V a r i e t a t e s.

α. Minor, long. lin. $^3/_4$, *capite* nigro, immaculato.

β. Major, *capite* luteo-vario.

Plura hujus speciei exempla, utriusque ea variationis, prodiere diebus 12. et 13. Julii a. 1809 e Galla *Cyniphis Quercus gemmae* Lin., prope *Sickershausen* lecta. Alia cepi, Augusto mense locis nemorosis in quercu. Observavi etiam Septembre mense hujus speciei feminam, cum gallam illam orbiculatam depressam lenticularem umbonatam basi arcte appressam rubram hirsutam, quae in pagina foliorum quercus inferiori frequens occurrit, ictu vulneraret. Non causa igitur hujus gemmae, sed parasita incolae ejus videtur.

Marem non vidi, nisi forte ob similitudinem feminae observationem effugerit.

Cynips longipennis Fabr. Ent. syst. II. p. 104. n. 21. Syst. Piez. p. 148. n. 21. Geoffroio teste gallas illas lenticulares foliorum quercus gignit. Iste igitur hospitari nostram *Eurytomam* videtur. Quoad iconem Coquebertii Cynips ille, *Cyniphi ruficorni* Jur. simillimus, sed *Figitis* potius generis esset, seu generis novi omnino. Icon laudata, contra Fabricii verba, insectum ostendit, structura Cyniphis sed antennis in medio capellaribus, apice cras-

sioribus, articulis baseos duabus crassis subglobosis; color niger, sed caput et pedes toti rufa. Alae reticulatae.

7. EURYTOMA *biguttata* Dalm.

E. atra, immaculata, alis obscuris, lunula marginali nigra. *Fem.*

SYNON. *Eurytoma biguttata Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 73. *tab.* 7. *fig.* 18 (*ala*), *p.* 177. *in tab. synopt. Pterom. Suec. p.* 7. *tab.* 1 *fig.* 18 (*ala*), *et tab. synopt.*

Pteromalus biguttatus Swed. in Act. Holm. a 1795.

(*Excl. Synon Fabr.*)

Cl. *Dalmano* auctore hanc speciem introducimus, a nobis non visam. Distincta ab omnibus sui generis *colore* totius corporis nigro, et *alis* obscuris, macula magna in medio margine exteriori infuscata.

Habitat in *Suecia* (*Dalman* l. c.).

Adnot. I. *Diplolepis Stigma* Fabr., ad hanc laudata, nobis *Torymus ater* n. 21, quem vide. An *Diplolepis Stigma* Fabr. diversa ab icone Coquebertiana, quam non citavit Fabr. in Syst. Piez.?

Adnot. II. *Decatoma splendida* et *rufipes* Spin. et *Eurytoma crassinoda* ejusd. in Classif. Diplol. Ann. du Mus. VII. p. 151. citatae, species novae mihique incognitae sunt.

GENUS V.

PERILAMPUS Latr.

A περιλάμπω, undique splendeo.

Perilampus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 30. *n. CCCCLVIII. Dalm. in Act. Holm. a.* 1820 *I. p.* 135. *n.* 6. *tab.* 7. *fig.* 21 *et* 22. *Pterom. Suec. p.* 4. *n.* 6 *tab.* 7. *fig.* 21 *et* 22, *et p.* 99, *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 147. *n.* 5. *Diplolepidis specc. Fabr. Ill. Panz. Spin. Chalcidis specc. Jur. Cuv. Lam. Rossi, Fallén. Cyniphis specc. Latr. Oliv. Walck. Fabr.*

Antennae fractae, fronti mediae insertae, articulis undecim; *scapo* verticem non superante; *flagello* fusiformi

brevi, articulis contiguis, cum scapo in cavitate frontali excipiendo. *Alae* nervo subcostali ultra rami stigmatici apicem excurrente; hoc puncto terminato. *Abdomen* thorace minus, sessile, transverse gibbum, primo segmento reliqua obtegente. *Terebra* non exserta.

Mandibulae validae, grosse dentatae, altera binis, altera tribus dentibus praedita. *Palpi* breves; *maxillares* quinquearticulati, *labiales* quadriarticulati. *Lingua* integra.

Character naturalis.

Clypeus brevis, linea transversali discretus. *Mandibulae* validae, apice latiores, obliquae, altera tridentata, altera bidentata, dentibus acutis divergentibus. *Maxilla* tenuis, coriacea; *mala* angusta, lanceolata, acuta. *Palpi maxillares* quinquearticulati, mala paulo longiores, articulis subcylindricis brevibus aequalibus, ultimo obtuso. *Mentum* angustum, corneum. *Lingua* brevissima, membranacea, apice truncata, integra. *Palpi labiales* maxillaribus breviores, quadriarticulati, articulis subaequalibus. *Antennae* mediae fronti insertae et in foveola seu sulculo ejus recipiendae, basi valde approximatae; *radicula* vix conspicua; *scapo* flagelli fere longitudine, tenui; *pedicello* obconico; *flagello* caput longitudine vix superante, fusiformi obtuso ex articulis octo vel novem maxime contiguis composito.

Habitus Chalcidis. *Caput* magnum, crassiusculum, antice posticeque retusum; *hypostoma* laeve, gibbis duobus, uno supra alterum posito, praeditum; *frons* canaliculato-excavata, linea elevata a vertice discreta, laevis nitida; *vertex* angustus; in medio saepe emarginatus, postice in plerisque transversim striolatus; occiput concavum. Ocelli fere in linea recta seriati verticales. *Thorax* brevis, gibbus, crassus in omnibus punctis crassis excavatis asper et subopacus; *prothorax* transversus, antice truncatus, ubi capiti jungitur laevis; dorsum trilobum lobus anterior triangularis, laterales obliqui punctati, macula laevi in margine interiori notati; pone segmenta haec plaga depressa laevigata ante scutellum ex utroque latere (segmenta subscapularia). *Scutellum* gibbosum, prominens, postice obtusum et angusto margine cinctum, interdum subemarginatum, basi compressum, lateribus sub margine laevibus, dorso crasse punctatum. *Metathorax* sub scutellum retractus, valde declivis, sub scutello reticulatus, rugulosus, plagisque saepe laevibus notatus. *Pectus* integrum, laeve. *Abdomen* thorace multo minus, laeve, nitidum; segmento

primo ascendente magno, reliquis brevibus, saepe retractis, unde abdomen transverse gibbum evadit. *Venter* planiusculus. *Terebra* recondita. *Pedes* graciles, aequales; tibiae rectae, spinula brevissima terminatae. *Color* plus minus splendens, metallicus, nonnullis laete aureus.

Mas differt a *femina* abdomine paulo minore, ano rotundato; antennarum vero nulla esse videtur utriusque sexus diversitas, nisi forte, quod mihi observatum videbatur, articulo uno flagello marium accedente.

Methamorphosin in insectis dendrophagis subire, cl. Dalman ex eo suspicatur, quod imago saepe in lignis vetustis reperiatur.

1. Perilampus *auratus.*

P. viridi-cyaneus, capite abdomineque aureis. *Fem.*

Synon. *Perilampus auratus Dalm. Pterom. p.* 102. *Spin. Ann. du Mus. l. c.*

Diplolepis aurata Panz. Krit. Rev. p. 94.

Cynips aurata Panz. Faun. Germ. Fasc. LI. tab. 1.

Long. lin. 2½. *Caput* crassum, rotundatum, candenti-aureum; *hypostoma* et *frons* profunde excavata, laevissima, illo supra os paulisper punctato, gibbis hypostomatis mediocribus rubro-aureis; foveola frontali pone antennas atra; *vertex* emarginatus, postice striolatus, inter ocellos et oculos subtiliter punctatus; *genae* postice striatae. *Antennarum scapus* viridi-cyaneus, nitidus; *flagellum* crassum, fuscum, subtus obscure ferrugineum vel lutescens, apice acutiusculo. *Mandibulae* piceae. *Thorax* profunde et crasse punctatus; *prothorace* brevi, rubro-aureo; *dorso medio* viridi-cyaneo, minus nitido, carinula abbreviata media notato; segmentorum scapularium marginibus laevibus. *Scutellum* valde prominens, margine tenui elevato cinctum, apice obtusum, colore et sculptura thoracis. *Metathorax* brevissimus, sub scutello transversim reticulato-rugulosus, thoraci concolor. *Pectus* cyaneum. *Abdomen* breve, ovato-subglobosum, laeve, nitidissimum e virescenti aureum, ano magis virescente. *Pedes* pro genere firmiores: *coxae* et *femora* cyanea, nitida; *tibiae* anticae magis minusve testaceae vel fuscae, posteriores nigrae, basi et apice fuscescenti-testaceae; *tarsi* omnes testacei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, nervis fusco-testaceis. *Tegulae* fuscae.

Habitat rarus in *Germania australiori*, et in Italia (?) Unum exemplum legi Augusto mense in Pastinaccae flori-

bus horti mei prope *Sickershausen*. Prope *Norimbergam* Panzer invenit. Ex *Italia* Museo *Paykulliano* illatum esse, *Dalmanus* refert. Alter sexus non notus est.

2. Perilampus *violaceus* Dalm.

P. nigro- vel aeneo-virescens, punctulatus, abdomine cyaneo; antennis feminae tarsisque testaceis.

Synon. *Maris: Perilampus violaceus Dalm. Pterom.* p. 103. *n.* 2. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV.* p. 30. *Spin. Ann. du Mus. VII. l. c.*

Diplolepis violacea Fabr. S. Piez. p. 149. *n.* 4. *Panz. Krit. Rev.* p. 94. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I.* p. 61. *n.* 1.

Chalcis violacea Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXXVIII. tab. 15.

Reaum. Ins. II. tab. 37, *fig.* 11. 12?

Feminae:

Diplolepis ruficornis Fabr. Syst. Piez. p. 149. *n.* 1.

Cynips ruficornis Fabr. Ent. syst. II. p. 103. *n.* 16.

Coqueb. Illustr. icon. I. p. 7. *tab.* 1. *fig.* 8.

Long. lin. 2 — 2¾. A reliquis speciebus hujus generis differt punctura subtiliori, densa quidem, sed minus profunda neque cicatricosa, et pubescentia totius corporis tenui albida, in thorace tibiisque posticis densiori, in metathorace vero vix conspicua, et in abdomine fere omnino deficiente. *Caput* magnum, thorace fere latius, in vertice et genis obscure virescens, ibidemque sat confertim, sed leviter punctatum. *Hypostoma* bicallosum, subtilissime punctulatum, nigrum. *Frons* pone antennas excavata, laevissima, nigra, versus verticem et orbitas distincte marginata. *Antennarum scapus* niger, vel nigrofuscus, verticem non attingens; flagellum crassum, acutiusculum, sericans, fronte brevius, fusiforme, in *mare* fuscum, subtus pallidius, in *femina* rufum, apice subfusco. Occiput viridi-aeneum, nitidissimum. *Thorax* cum scutello supra e viridi-aeneo niger, subcyanescens, subopacus, pubescens, punctis majoribus, neque adeo profundis confertissimis impressus, plaga scapulari laevi inaurata, nitente. *Pectus* nigrum. *Scutellum* punctura thoracis, parum prominens, obtusum, obscure emarginatum, tenui margine cinctum, sub margine nigrum, transversim reticulato-punctatum. *Metathorax* declivis, planiusculus, nitidus, niger, rugosus, plagis duabus mediis laevibus. *Ab-*

domen thorace brevius, laevissimum, cyaneum, certo situ subtusque violaceo micans, ano concolore, in mare emarginato. *Coxae* et *femora* cyanea, nitida, femora anteriora plerisque apice testacea. *Tibiae* anteriores, anticae praesertim, magis minusve testaceae. *Tarsi* omnes pallide testacei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, nervis pallide fuscis. *Tegulae* piceae.

Mas differt a femina: *antennarum* flagello fusco, et ano emarginato.

V a r i e t a t e s:

Duae variationes occurrunt, magnitudine et coloribus constantes, quae cum utriusque sexus cujusque individua inveniantur, nescio an potius species sint existimandae.

α. Antennarum flagello in *mare* crassiori, nigro-fusco, in *femina* rufo, articulis brevibus transversis, extremo fusco; *thorace* e nigro virescente, violaceo vel aeneo, obscuriori; *abdomine* cyaneo; *tibiis* anticis in mare totis rufo-testaceis, in femina violaceis, mediis in mare basi apiceque rufescentibus, in femina apice tantum, posticis apice, tarsisque omnibus in utroque sexu testaceis. *Mas. Fem.*

β. Long. lin. $2^3/_4$ *corpore* magis viridi coeruleo nitente, *tibiis* omnibus solo apice, tarsisque testaceis. *Mas. Fem.*

Habitat in *Germania*, verno tempore, Aprili et Majo mensibus, praesertim in Pruni Padi foliis novellis, prope *Sickershausen* haud rarus, utraque forma promiscue prodeunte. In *Suecia* (fide Musei Paykulliani) *Dalman* inveniri tradit. In *Italia* (*Spinola*).

3. Perilampus *micans* Dalm.

P. viridi-aeneus, subobscurus, scrobiculato-punctatus; thoracis dorso cupreo-aurato; abdomine atro, fronte hypostomateque transversim striolatis. *Mas. Fem.*

Synon. *Perilampus micans Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 73. *tab.* 7. *fig.* 21 *et* 22. *Pterom. Suec. p.* 7 *et p.* 115. *Tab. I. fig.* 21, 22 (*antennae et ala*).

Long. lin. $1^1/_2$ — 2. *Caput* rotundatum, postice nigro-aeneum, obsoletissime striolatum. *Hypostoma* bicallosum et *frons* viridi aurea, nitida, subtilissime transversim striata, impunctata tenui pube albida inspersa; *genae* fronti concolores, impunctatae, subtilissime striatae; *vertex* obscurus, cum fronte confluens. *Oculi* mediocres, ova-

ovati. *Os* lutescens. *Antennarum scapus* vertice paulo humilior, aequalis, obscure viridi-aeneus; *flagellum* longitudine capitis, subcylindricum, apice attenuatum, fuscum, subtus pallidius, gracilius quam in reliquis hujus generis. *Thorax* longior quam latior, obscure viridi-aeneus, dorso magis minusve cupreo-auratus, punctis magnis et profundis impressus et scaber, glaber; *prothorace* concolore. *Scutellum* sculptura et colore thoracis, parum prominens, lateribus baseos subcompressum, obsolete marginatum, apice obtuso integro. *Metathorax* modice declivis, obscure viridi-aeneus, undique punctato-rugosus, areis laevibus nullis. *Pectus* totum viridi-aeneum, magis splendens. *Abdomen* thorace multo minus, sed magis oblongum, quam in reliquis, convexum, aterrimum, nitidissimum, ano obtuso. *Femora* viridi-aenea, summo apice testacea; *tibiae* et *tarsi* pallide testacea. *Alae* hyalinae, nervis et puncto stigmatis fusco-testaceis.

Mas differt a *femina* statura plerumque minore et *colore* magis ad caeruleum vergente.

V a r i a t:

β tibiis posticis plus minus infuscatis.

In *Westrogothia*, in fulcris aedium, quercinis, a *Lycto canaliculato* et *Histere picipede* perforatis, e foveolis illorum serena die provenientem a se captum esse, b. *Dalmanus* memorat, argumentum inde hauriens hanc speciem metamorphosin in *Histeris picipedis* larvis subire. Scilicet cum nulla sibi ab ullo collectore hujus insecti exempla unquam missa sint, neque id a se inventum nisi in illis fulcris, in quibus *Hister picipes* degeret, cum *Lyctus canaliculatus* ubique fere vulgaris hoc consorte liber omnino videatur, ab infrequentia dicti *Histeris* etiam pendere *Perilampi*, hujus consortis, exiguam per orbem copiam. Nos autem simillimum ejus prope *Sickershausen*, ubi *Hister picipes* perquam rarus occurrit, Junio, Julio et Augusto mensibus in floribus, praesertim umbellatarum, v. c. Pastinaccae, plus una vice cepimus.

4. Perilampus *splendidus* Dalm.

P. cyaneus, nitidissimus, scrobiculato-punctatus, thoracis dorso rubro-aureo, abdomine nigro-cyaneo; fronte hypostomateque laevibus. *Fem.*

Synon. *Perilampus splendidus Dalm. Pterom.* p. 101.

Diplolepis italica Fabr. S. Piez. p. 149. *n.* 3?
Cynips italica Fabr. Ent. syst. II. p. 103. *n.* 18?

Longit. lin. $2^1/_2$. Magna praecedentis similitudo, sed differt praesertim: *statura* majore; *corpore* ratione magnitudinis breviori; *colore* corporis, cyanei thoracisque in dorso inaurati, laetiori; *pedibus* nigro-cyaneis, *tibiis* solo apice parumper rufescentibus, tarsis flavis; *fronte* et *hypostomate* laevibus.

Punctura thoracis maxime cicatricosa et profunda. *Antennarum scapus* nigro-cyaneus, nitidus; *flagellum* nigrum, opacum. *Frons* cyanea, nitidissima, retusa, impressa, laevis. *Scutellum* subemarginatum. *Alae* hyalinae, nervis fuscis.

Variat: *capite thorace*que e cyaneo magis virescentibus.

Mas ignotus. Habitat in *Suecia*, a cl. *Gyllenhal* ad *Sparresaeter Westrogothiae* semel lectus (*Dalman.*) Var. *β.* ex *Italia* missa, in Museo *Paykulliano* exstat.

Observ. I. An satis distinctus a *Perilampo aurato?*

Observ. II. *Diplolepidem italicam* Fabr., b. *Dalmani* auctoritati confisus, huic speciei adscribo. Exempla italica, quae vidi, sequentis speciei sunt, sed descriptio, brevissima quidem, quod dolendum, Dalmani sententiae magis consentit.

5. Perilampus *laevifrons* Dalm.

P. obscure nigro-aeneus, crassiuscule punctatus, thorace concolore; abdomine atro, fronte hypostomateque laevibus. *Mas. Fem.*

Synon. *Perilampus laevifrons Dalm. Pterom. p.* 113. *n.* 3.
Perilampus italicus Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 147.
Diplolepis italica Ill. in Ross. Faun. Etr. II. p. 88. *Nota. Panz. Faun. Germ. Fasc. C. tab.* 16. *Krit. Rev. p.* 94.
Chalcis aenea Rossi Faun. Etr. ed. Ill. II. p. 88. *n.* 806.

Long. lin. $1^1/_4$ — $1^3/_4$. Statura brevis, coacta praecedentis; colore similis *Perilampo micanti*, a quo, praeter staturae diversitatem, distinguitur: *magnitudine* plerumque inferiori; *fronte hypostomate*que laevibus, capiti concoloribus, nec viridi-splendentibus; *thoracis* dorso concolore, neque aurato; *scutello* apice subemarginato; *metathorace*

areis duabus laevigatis notato; *tibiis* mediis in omnibus aeneis, nec testaceis.

Antennarum flagellum fusiforme, crassum, nigrum, vel nigro-fuscum, subtus paululum rufescens. *Capitis vertex* et *genae* subtilissime striata. *Hypostoma* et *frons* reliquo capiti concolora, laevissima, circa clypeum solummodo punctulata. *Thorax* concolor, obscure viridi-aeneus, vel nigro-aeneus, subtilissime pubescens, punctis confertis quidem, sed minus profundis impressus, neque adeo ut in binis praecedentibus exasperatus. *Scutellum* colore et punctura thoracis, convexum, tenui margine cinctum, basi brevi spatio compressum, sub margine laeve, posterius parum prominulum, summo apice obsolete emarginato, sub apice transversim punctato-striatum. *Metathorax* abrupte descendens fere niger, punctato-scaber, area gemina disci laevigata nitida notatus. *Pectus* totum nigrum, areis nonnullis aeneo-nitidulis distinctum. *Abdomen* thorace duplo brevius, ovato-globosum, atrum, nitidum, dorso angulatum. *Pedes* nigro-aenei, geniculis et tarsis testaceis, unguibus nigris. *Tibiae anticae* obscure testaceae, saepius linea fusca notatae; mediae in omnibus aeneae. *Alae* hyalinae, nervis fuscis.

Mas et *femina* parum inter se differunt.

Habitat satis frequens in *Germania*, capta Julio et Augusto mensibus in floribus Umbellatarum prope *Sickershausen*, prope *Norimbergam* cl. *Panzer* legit. In *Italia* (*Rossi*, *Illiger*, *Dalman.*); in *Westrogothia*, *Smolandia*, *Scania* passim obvenire, b. *Dalmanus* tradidit.

6. Perilampus *angustus*.

P. nigro-virescens, cicatricoso-punctatus; thorace concolore, capite abdomineque angustiore; abdomine violaceo-atro, longulo; fronte hypostomateque laeviusculis. *Mas?*

Long. lin. 1. *Perilampo micanti* accedit, sed differt *capite* antice non striolato; *thorace* angusto concolore; *abdomine* longiori, segmentis posterioribus magis conspicuis, lateribusque compresso.

Caput thorace latius, transversum; hypostomate minus impresso, laeviusculo, nitidissimo, viridi-aeneo; vertice nigro-virescente, punctulato. *Mandibulae* piceae. *Antennae* nigrae, *flagello* crassiusculo. *Thorax* capite et abdomine angustior, nigro-virescens, dorso subaeneo, cicatricoso. *Scutellum* elevatum, obtusum, crasse punctatum, apice porcatum, colore thoracis. *Metathorax* rugulosus.

Abdomen thorace longius, atro-subviolaceum, primo segmento majori ascendente, reliquis descendentibus, decrescentibus, a latere subcompressis, margine subtilissime ciliatis, secundo segmento primi fere magnitudine; anus obtusiusculus; venter rectus. *Pedes* aequales, aeneo-nigri, *trochanteribus* apice, *femoribus* anticis apice, *tibiis* iisdem totis, posterioribus basi tantum et *tarsis* omnibus testaceis. *Alae* hyalinae, purissimae.

Unum exemplum, *masculini*, puto, sexus, die 21. Junii a. 1811 in horto meo *Sickershusano* inveni, *silenes gallicae* calycibus viscidis adhaerens.

Observ. *Perilampus micans* Dalm. denuo cum nostro *angusto* comparandus, cum nullum illius exemplum, auctoris manu signatum, viderim, neque certus sim, utrum haec, quae *Perilampi micantis* nomine adduxi exempla germanica ejusdem speciei sint an alius potius, isti coloribus et punctura simillimae, sed corpore breviore diversae, quam veram *Diplolepidem italicam* Fabricii esse verosimile videtur, *Dalmani* autem Perilampum ejusdem nominis, novam speciem.

? 7. Perilampus *megacephalus.*

P. ater, tibiis luteis, capite maximo, retuso. *Fem?*

Synon. *Diplolepis megacephala Fabr. Syst. Piez. p.* 149. 2.

Cynips megacephala Fabr. Ent. syst. II. p. 103. *n.* 17.

Ceratomus Dalm. in Act. Holm. a. 1820. *p.* 73. *tab.* 7. *et Pterom. Suec. p.* 7. *tab. I. fig.* 32, 33, (*caput, antice et a latere visum, cum antennis*) *et p.* 116.

Insecti, a me non visi, descriptionem Fabricii verbis reddam.

„*Corpus* parvum, atrum, tibiis solis pallidis. *Caput* maximum, retusum, in cujus cavitate antennae insertae; *fronte* ante oculos utrinque bidentata. *Thorax* niger. *Abdomen* compressum, atrum, nitidum, breve et quasi truncatum. *Pedes* nigri, tibiis flavis. *Alae* albae, macula media fusca.

Habitat in *Daniae* ligno antiquo. (*Fabricius*, e Museo *Lundiano.*)

GENUS VI.

TORYMUS Dalm.

a τορέω, perforo, ob terebrae in his speciebus conspicuam functionem.

Torymus Dalm. in Act. Holm. a. 1820. *I. p.* 135. *n.* 7. *tab.* 7. *fig.* 26, 27 (*antennae et ala*). *Pterom. Suec. p.* 4. *n.* 7. *tab.* 1. *fig.* 26, 27 (*antennae et ala*). *Cynips Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 28. *n.* CCCCLIV. *Fabr. Schrank, Oliv. Walck. Schaeff. Geoffr. Diplolepidis Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148. *n.* 8. *specc. Diplolepis Divis. II. A. B. C. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 211. *Diplolepidis specc. Fabr. Ill. Spin. Walck. Cleptis specc. Fabr. Panz. Chalcidis specc. Jur. Cuv. Lam. Halticopterae et Perilampi specc. Spin. Classif. l. c. Cleonymi specc. Spin. Classif. l. c. Ichneumonis specc. Lin. Fabr. Vill. Scop. Schrank, de Geer, Rossi, Walck. Pteromali specc. Swed.*

Antennae fractae, mediae fronti insertae, undecimarticulatae; flagelli tereti, subaequali, articulis contiguis. *Alae* nervo subcostali a medio costae conjuncto et cum ea ad apicem excurrente; ramulo stigmatis brevissimo, puncto terminato, trans mediam alam oriente. *Pectus* latere suturatum. *Abdomen* thorace longius, sessile, dorso aequali, convexo, rariusve plano, a latere subcompressum. *Terebra* feminae exserta.

Mandibulae acute tridentatae. *Palpi* inaequales, *maxillares* longi, quadriarticulati, *labiales* breves, triarticulati. *Lingua* integra.

Character naturalis (in *Torymo obsoleto* observatus et cum pluribus aliis comparatus). *Mandibulae* arcuatae, apice subaeque latae, tridentatae, dente exteriori majori, omnibus acutis; in paucis altera mandibula bidentata. *Maxillae* longitudine labii, idque arcte amplectentes; *stipes* coriaceus, ovatus, introrsum parum obliquus, mala aliquanto longior; *mala* membranacea quidem, sed e firma tamen membrana exstructa, minus pellucida, oblique ovata, interne altius decurrens, apice rotundata, marginibus omnibus, sed exteriori longioribus pilis, ciliatis. *Palpi maxillares* mala duplo fere longiores, filiformes, quadriarticulati;

articulo primo et secundo obconicis, isto paulo longiori, illo basi magis attenuato; tertio cylindrico, breviore; quarto trium praecedentium simul computatorum longitudine, elongato-cylindrico, subrecurvo, obtuso, introrsum barbato. *Labium* maxillis aequale: *mentum* angustum, rectangulum, basi rotundatum et ultra medium coriaceum opacum, apice subpellucidum acute emarginatum, laciniis obtusiusculis divergentibus; *lingua* mento latior et apicis ejus latera amplectens, longitudine menti paulo brevior, rotundata, integerrima, concentrice striata, subtilissime ciliata. *Palpi labiales* menti laciniarum basi exteriori inserti, linguam articuli extremi dimidia parte supereminentes, triarticulati: articulis primo et tertio subaequalibus, illo obconico subincurvo, hoc ovali obtuso paulo crassiori; secundo istis duobus duplo breviori, truncato, obconico, diametro transversali apicis sui vix longiori; omnibus articulis pilosis opacis. *Antennae* fronti mediae insertae, undecimarticulatae; *radicula* brevi; *scapo* flagello multo breviori, oblongo, compresso; *pedicello* angusto obconico; *flagelli* subcylindrici vel apicem versus sensim modiceque incrassati articulis octo cylindricis, arcte contiguis, extremo minore conico obtuso. *Alae* sat magnae, tenera membrana conflatae, irescentes, enerves praeter nervum submarginalem, qui a basi ad mediam fere alam costae parallelus, denique ad eam accedit et cum eadem conjunctus apicem versus longiori vel breviori spatio excurrit. Nervulus stigmatis pone mediam alam e costa angulo egrediens, brevis, apice incrassatus ibidemque in quibusdam puncto maculave obscuris notatus.

Habitus: Ichneumonum genuinorum fere; statura pro ordine eximia, sed corpus gracile, oblongum. *Colores* laete vel obscure metallici, rufo in nonnullis mixti; *punctura* subtilis; *pubescentia* rara, vel omnino nulla. *Caput* thorace vix unquam latius, depressiusculum; fronte convexa; vertice obtuso. *Antennae* capite longiores. *Thorax* cum *prothorace* longior quam latior. *Prothorax* antice conico angustatus, collum constituens. *Dorsum medium* anticum trigonum, convexum, sulculo obliquo utrinque a scapulis discretum. *Scutellum* parvum, rotundatum. *Metathorax* convexus, aequabilis, neque areatus. *Pectoris* latera (Pleurae) suturis, seu lineis impressis, solito modo notata, nec lamina integra tecta. *Abdomen* thorace longius in plurimis, dorso convexo, ventre apicem versus carinato, segmentis constans septem subaequalibus arcte sibi incumbentibus;

primo basin versus conico-angustato et planiusculo, reliquis convexis, extremis brevioribus; penultimo ventrali subvomeriformi, terebram fulciente. *Terebra* magis minusve exserta, et corpore quidem in quibusdam longior, recta, vagina bivalvi, saepe hirta inclusus. In paucis abdomen brevius, trigonum, ventre carinato, ano acuto; his *terebra* etiam minus protensa. *Pedes* non infirmis; *coxis*, posticis praesertim, crassiusculis, conicis; *femoribus* compressis, posticis validioribus et in nonnullis dilatatis, tum vero vel dente armatis, plerisque tamen inermibus; *tibiis* rectis, minute bispinulosis; *tarsis* omnium pedum conformibus, quinquearticulatis, articulo primo angusto neque scopigero; *unguibus* geminis. *Alae* plerumque hyalinae, purae; nonnunquam puncto vel macula stigmatica notatae; paucis obscuriores, neque vero distincte pictae.

Mares a *feminis* differunt: *statura* minore; *colore* minus laeto, pedibus imprimis obscurioribus; *antennis* longioribus, flagello aequali, articulis magis discretis et saepe hirtulis, post mortem aliquantum collabentibus; *abdomine* ratione thoracis minore, tergo planiusculo, lateribus magis compresso; *terebrae* defectu.

Metamorphosis praesertim in *Cyniphum* larvis, quibus mater, perfossa terebrae elongatae ope galla, ova imponit. Aliae species etiam in *Cecidomyiarum*, gallus generantium, larvis metamorphosin subeunt.

SECTIO I.

Abdomine oblongo, compressiusculo (saltem altitudine non latiore). (Genus *Diplolepis* Spin. Classif. l. c.)

A. Leptomeri.

Femoribus posticis ab anterioribus crassitudine non multum diversis, semper inermibus. Corpus gracile.

1. Torymus *regius*.

T. auratus, antennis nigris, scapo pedibusque luteis; alis hyalinis; terebra longitudine corporis. *Mas. Fem.*

Synon. *De Geer. Ins. Vol. II. p.* 187. *tab.* 31. *fig.* 21.

Long. lin. 2. (cum terebra 4 lin). Totum corpus laeve, glabrum, subtilissime punctulatum, aureum, nitens. *Antennae* nigrae; *scapo* pallide luteo, angusto. *Coxae* basi aureae, apice luteae. *Pedes* lutei; *unguibus* nigris. *Alae* amplae, hyalinae, iridis coloribus micantes, stigmate pallido.

Mas, femina minor, differt: *antennis* fuscis, compressis, articulis distinctioribus; *abdomine* depressiusculo; *pedibus* albidis.

Habitat in *Cyniphum quercus* gallis *Sueciae* (*De Geer* l. c.). Ipse *marem* et *feminam* cepi mense Octobre, in quercetis prope *Sickershausen*.

2. Torymus *Bedeguaris* Dalm.

T. thorace viridi, abdomine aurato, antennis nigris, scapo pedibusque luteis; alis disco infuscatis; terebra longitudine corporis. *Fem.*

Synon. *Ichneumon Bedeguaris Lin. Syst. Nat. II. p.* 939. *n.* 63. *Faun. Suec. n.* 1634. *Villers Ent. Lin. III. p.* 205. *n.* 231. *Müll. Faun. Fridr. p.* 71. *n.* 622. *Zool. Dan. Prodr. p.* 158. *n.* 1854. *Fuesl. Ins. Helv. p.* 40. *n.* 966. *Roes. Insectenbel. Append. tab.* 53. *fig.* 6. *G. H. Blank Ins. p.* 188 *n.* 12.

Ichneumon Bedeguaris Fabr. Syst. Ent. p. 342. *n.* 85. *Ent. syst. II. p.* 185. *n.* 215?

Diplolepis Bedeguaris Fabr. Syst. Piez. p. 150. *n.* 6? *Spin. in Ann. du Mus. VII. p.* 148? *)

Cynips Bedeguaris Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p. 225. *n.* 10. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 28.

Cynips 1. *setis ani corpore longioribus. Geoffr. Ins. Paris. p.* 296. *Réaum. Ins. III. tab.* 41. *fig.* 13, 14.

Die Schlupfwespe mit schwarzen gebrochenen keulenförmigen Fühlhörnern, goldgrünem Kopfe und Brustschilde, gelben Füſsen und goldpurpurfarbigem Hinterleibe. De Geer Ins. ed. germ. II. 2. *p.* 186.

Mentzel in Act. Acad. Caes. Nat. Cur. Dec. II. Ann. II. Obs. 10.

Die Hainbuttenwespe. Müll. Syst. Nat. Lin. V. 2. *p.* 859. *Onomatol. Hist. nat. II. p.* 148. *et IV. p.* 497. *Gleditsch. Forstwissensch. II. p.* 660. *n.* 57.

Long. lin. 2¾. Simillimus praecedenti sed differt: *statura* majori; *capite thoraceque* aeneo-viridibus nitidis, neque aureis; solo *abdomine* laete rubro-aureo nitidissimo;

---

*) Synonyma *Ichneumonis* et *Diplolepidis Bedeguaris* Fabr. maxime dubia sunt, ob additam notam: „abdomine *depresso*" Cl. *Spinola Torymum* Bedeguaris nostrum nomine *Diplolepidis puparum* descripsisse videtur, de quo videas notam ad calcem hujus articuli.

pedum colore saturatiori, femoribus rufo-testaceis; alis in disco fusco-obumbratis, texturae paulo firmioris. *Punctura* capitis et thoracis nonnihil crassior et distinctior, quam in *Torymo regio.*

Habitare fertur in gallis Rosae, quercus etc. Exempla mea capta sunt mense Julio a. 1808 prope *Sickershausen* postea inveni. Mas ignotus.

Observ. I. *Ichneumonis Bedeguaris* Auctorum tanta est incertitudo, ut vix solutio dubiorum sit exspectanda.

Observ. II. *Diplolepis puparum* Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p. 159. n. 9. IV. p. 215. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 148, a *Pteromalo puparum* distinctissima species, quae „tota viridis, terebra corpore longiore pedibusque totis pallidis" ab auctore laudato describitur, quomodo a *Torymo* Bedeguaris nostro differat, nisi *terebram* paulo longiorem characterem sufficientem ponas, haud intelligo.

3. Torymus *purpurascens.*

T. viridis vel viridi-aeneus, nitidus; abdomine depressiusculo, rubro-aureo, primo segmento viridi-aeneo; pedibus rufis, coxis viridibus; terebra abdomine longiore; alis hyalinis puncto nigro. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis purpurascens Fabr. S. Piez. p.* 151. *n.* 14. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 159. *n.* 7. *Fasc. IV. p.* 213. *Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Ichneumon purpurascens Fabr. Ent. syst. Suppl. p. 231. *n.* 220—21. *Coqueb. Illustr. icon. I. p.* 21. *tab.* 5. *fig.* 6. (*Mas.*)

Cynips purpurascens Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 28.

Long. lin. 2—2½. *Caput* aeneo-viride, hypostomate sub antennis obtuse carinato. *Mandibulae* piceae. *Antennae* nigrae; *scapo* subtus rufo. *Prothorax* productus, subtilissime punctulatus, glaber, viridi-aeneus, disco caerulescente. *Metathorax* ruga transversali infra scutellum discretus, utrinque juxta eam puncto impresso notatus, convexus, laevis, viridi-lucidus. *Abdomen* oblongum, vix longitudine capitis et thoracis, dorso planiusculo; primo segmento majori, aeneo-viridi, nitidissimo; reliquis segmentis aureis cum rubore. *Terebra* longitudine abdominis et thoracis, demto prothorace. *Coxae* punctulatae, aeneo-virides; posticae maximae, elongatae, conicae. *Pe-*

des coxis non computatis, laete rufi; femoribus crassiusculis. *Ungues* fusci. *Alae* hyalinae, puncto apicali rami stigmatici parvo fusco.

Mas differt a femina *statura* minore (longitudine vix duarum linearum), *antennarum flagello* longiori, aequali; *abdomine* breviori, vix thoracis longitudine, basi angustiori, postice subrotundato, segmentorum marginibus imbricato-patulis. Quoad colores congruit cum femina.

Marem vidi, primo Julii locis udis in Rhamno cathartico prope *Sickershausen* captum. Alterum cl. *Spinola* e *Liguria* misit. *Feminam* in collectione cl. *Geyer, Carlsruhani,* comparavi. In gallis, praesertim in Rosarum Bedeguare *Italiae* degere, cl. *Spinola* l. c. refert. *Parisiis* captum exemplum (masculum) e museo Bosciano *Fabricius* primus exposuit.

4. Torymus *muscarum.*

T. aureo-virens, antennis nigris, scapo pedibusque testaceis, coxis viridibus, alis hyalinis, terebra corpore breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Ichneumon Muscarum Lin. S. Nat. II. p.* 938. *n.* 62. *Faun. Suec. n.* 1636. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 205. *n.* 230. *Fabr. Syst. Ent. p.* 109. *Ent. Syst. II. p.* 185. *n.* 240. *Müll. Faun. Fridr. n.* 621.

Cleptes muscarum Fabr. S. Piez. p. 156. *n.* 7.

De Geer Ins. ed. Germ. II. 2. *p.* 187. *tab.* 30. *fig.* 20 *et* 21 (*sub Torymo Bedeguaris e Galla Cyniphis quercus inferi*).

Long. lin. 1 — 1¾. Differt a praecedente: *statura* duplo minore, ratione longitudinis crassiore, *colore* corporis omnis ex aureo virescente, congruo; *coxis* viridibus; *alis* non infuscatis quidem, sed neque adeo puris et vitreis, ac in *Torymo regio; terebra* abdomine parum vel non longiore, nec corpus aequante; *pedibus* validioribus; femoribus posticis quandoque macula viridi notatis.

Mas differt a femina: statura minore, raro lineam unam excedente, femoribus anterioribus basi, posticis medio, tibiis iisdem apice nigris. — *Abdomen* in his plerisque auratum, vel cupreo-auratum, et color universi corporis minus virens, quam in femina.

Metamorphosis in larvis *Muscarum* aphidivorarum (?) — Imago frequens in fruticetis. Cepi prope *Sickershausen* in Quercu et Rosa, aestate et autumno. *Marem* et *feminam* in copula deprehendi d. 16. Julii a. 1809. Vidi etiam in collectione *Geyeri*, Carlsruhensis.

5. Torymus *nigricornis.*

T. viridis, nitidus; antennis nigris, scapo subtus tibiis tarsisque luteis; alis hyalinis; terebra longitudine corporis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis nigricornis Fabr. S. Piez. p.* 150. *n.* 7. *Spin. Classif. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Ichneumon nigricornis Fabr. Ent. syst. II. p. 185. *n.* 216.

Cynips Capreae Lin. S. Nat. II. p. 919. *n.* 14. *Faun. Suec. n.* 1531. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 74. *n.* 14. *Fabr. S. Ent. n.* 12. *Ent. syst. II. p.* 102. *n.* 13. *S. Piez. p.* 146. *n.* 15. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 28. *Schrank En. n.* 642. *Müll. Faun. Fridr. n.* 513 (*Exparte, quoad de gallis foliorum sermo est*).

Ichneumon Bedeguaris Rossi Faun. Etr. ed. Ill. II. p. 79. *n.* 791? (*ob magnitudinem* 1½ *lin. et antennas nigras.*) *excl. omnibus synon.*

Frisch Ins. IV. p. 39. *tab.* 22.

Long. lin. 1⅔. Magnitudo praecedentis; eadem punctura, nitor idem, sed constanter differt: *statura* graciliore, *colore* totius corporis viridi puro; *terebra* longiore et *femoribus* corpori concoloribus.

Antennae nigrae sunt, solo scapo in antico margine testaceo. Oculi nigri. *Abdomen* gracile. *Terebra* nigra, longitudine corporis. *Coxae* totae virides. *Trochanteres* testacei, basi fusci. Femora viridia, apice testacea. *Tibiae* pallide testaceae; posticae in medio late fusco-virides. *Tarsi* testacei, ungue nigro, posticorum articuli apice virides. *Alae* perfecte hyalinae.

Mas feminae simillimus, terebrae defectu tibiisque posticis apice nigris differt.

Metamorphosin in Salicis Capreae Gallis ferrugineis hordeiformibus, foliorum medio innatis et a *Cecidomyia salicina* Schrank, Meig. Dipt. I. p. 100. b., provocatis, primis earum incolis ovo imposito, peragitur. Imago frequens in floribus et fruticum variorum foliis.

Cepi *mares* et *feminas* prope *Sickershausen* a Majo mense ad Septembrem usque, in Pastinaccae, Selini, Cardui floribus, in Salice, Carpino, aliisque arboribus.

6. Torymus *caudatus*.

T. caerulescenti-viridis; antennis totis nigris; geniculis pedum et tarsis pallidis; alis hyalinis; terebra corpore longiore. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis longicauda Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Long. vix 1. lin. Statura et punctura praecedentis; *color* e caerulescente virens, in abdomine laetior. *Antennae* nigrae, validiusculae, apicem versus paulo crassiores, *scapo* concolore. *Oculi* in vita et post mortem animalculi laete corallini, qui in praecedente tam vivo quam mortuo nigri. *Terebra* corpore longior, valvulis fuscis, seta ferruginea. *Coxae* anteriores fuscescentes, posticae colore corporis. *Trochanteres* fusci, apice lutescentes. *Femora* colore corporis; anteriora vix apice lutescentia. *Tibiae* anteriores pallidae, in medio late fuscae; posticae fuscae, basi apiceque brevi spatio pallidae. *Tarsi* pallidi, ungue fusco. *Alae* hyalinae, purae.

Mas feminae simillimus, a mare *Torymi nigricornis* vix nisi colore et minutie dignoscendus.

Cepi *marem* et *feminam* Majo et Junio mensibus *Sickershusi* in horto.

Adnot. Ad hanc forte, vel ad sequentem speciem similemve ejus pertinere videtur.

Diplolepis Juniperi Fabr. S. Piez. p. 150. *n.* 9. *Spin. Classif. l. c. Auratus viridis, antennis nigris, alis hyalinis.*

Ichneumon Juniperi Fabr. Ent. syst. II. p. 186. *n.* 218. *Syst. Ent. p.* 112. *Lin. S. N. II. p.* 939. *n.* 65. *Faun. Suec. n.* 1635. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 206. *n.* 233.

In Tipulae (*Cecidomyiae,* Latr. *Lasiopterae M.*) *juniperinae larvis Europae degens.*

Frischius (Ins. IV. p. 39) praeclare docet, *Cyniphem,* sic dictum, *Capreae* Lin. in larvis *Cecidomyiae salicinae* primos vitae status peragere, quo, nescio quomodo fieri potuerit, ab omnibus post eum perperam intellecto, *Torymum* illum, quem *nigricornem* appellamus, a Frischio jam optime *verbis* adumbratum, *Cyniphibus,* eundemque simul Diplolepidibus adsociatum reperimus, tanquam matrem gallarum (non vero folii, sed gemmae) Salicis. Verosimile igitur, alteram Cecidomyiarum speciem, ab altera similique *Torymorum* specie infestari. In descriptione Linneana

quaedam obscuriora sunt; e. c. „antennae *spirales*" et punctum alarum marginale *rubrum*." Anne hoc loco *Cecidomyia juniperina ipsa descriptionem intrat?*" Larva *rubra*; pupa *aquei coloris* certo *Cecidomyiae* magis quam *Diplolepidi* cuiquam conveniunt.

7. Torymus *difficilis*.

T. viridis, vel viridi auratus; antennis nigris, scapo subtus geniculis tarsisque testaceis, femoribus tibiisque medio fuscis; alis hyalinis; terebra corpore breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis brevicauda Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Long. lin. 1. Similis praecedenti, sed certo diversa: *statura* minore, *colore* pedum, *terebra* breviore.

Caput et *thorax* aurato-viridia, laevia. *Antennae* nigrae, *scapo* subtus rufescente. *Abdomen* magis e viridi aureum. *Terebra* abdomine vix longior, nigra. *Coxae* corpori concolores. *Trochanteres* pallidi. *Femora* e fusco viridi-aenea, apice pallida. *Tibiae* fuscae, basi apiceque pallidae. *Tarsi* pallidi, apice fusci. *Alae* hyalinae, purae.

Mas differt *antennarum* scapo toto nigro, *abdominis* colore obscuriore et *femoribus* posticis crassioribus.

Cepi *feminam* prope *Sickershausen* Septembre mense in Corylo; *marem* iisdem in locis mense Octobre. Aprili etiam marem in Pruni Padi foliis inveni.

8. Torymus *fulgens*.

T. aurato-viridis, nitidus, thorace antico et medio aureo-purpureo, abdomine basi, scapo pedibusque totis testaceis; alis lutescenti-hyalinis; terebra corpore longiore. *Fem.*

Synon. *Cleptes fulgens Fabr. S. Piez. p.* 155. *n.* 6.

Ichneumon fulgens Fabr. Ent. syst. suppl. p. 230. *n.* 213—14.

Coqueb. ill. icon. I. p. 20. *tab.* 5. *fig.* 1.

Long. lin. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$. *Caput* cupreo-vel aureo-purpureum, nitidum, crassiuscule punctatum. *Antennae* nigrae, *scapo* toto vel saltem latere inferiore pallide testaceo. *Os* luteum. *Prothorax* cum *thoracis* dorso laete ex aureo purpurascens, punctulatus; illo antice conico-attenuato. *Scutellum* magis virescens. *Metathorax* aureo-viridis, punctulatus, nitens. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine,

compressum, apice subtruncatum, primo et secundo segmento testaceis, reliquis, dorso praesertim, ex aeneo et purpureo nigro. *Venter* basi lato tractu pallidus; primum segmentum ventrale magnum, postica versus extensum, vomeriforme, terebram ab abdomine dehiscentem fulciens. *Terebra* corpore paulo longior, recta, nigra, e basi abdominis egredi videtur ob laminam segmenti primi fulcientem. *Pedes* cum coxis et trochanteribus lutea, unguibus solis nigris. *Alae* hyalinae, purae. Habitat in *Germania*. Cepi plus una vice locis apricis in Selino Oreoselino prope *Sickershausen*. In *Galliae* larvis metamorphosin inire, teste Boscio, *Fabricius* asserit.

Mas ignotus.

9. Torymus *cingulatus*.

T. aurato-viridis, concolor; abdominis basi, antennarum scapo pedibusque totis luteis, alis hyalinis; terebra corpore longiore. *Fem.*

Synon. *Diplolepis Cynipedis Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 213. *nec Fabr.*

Torymus Cynipedis Dalm. Pterom. in tabula synoptica.

Long. lin. 1¼. Differt a praecedente *statura* minore; *punctura* subtili et *colore* corporis alio. Reliquis autem adeo convenit, ut varietas sit, an species distincta, dijudicare nequeam.

Cepi *feminam* inter Aphides salicis locis sylvaticis mense Junio prope *Sickershausen*. Alterum individuum paulo post in Selini Oreoselini floribus. *Marem* non vidi.

10. Torymus *globiceps*.

T. aurato-viridis, concolor; abdomine medio, antennarum scapo antennisve totis pedibusque luteis; alis hyalinis; terebra longitudine abdominis; capite subgloboso. *Fem.*

Mas abdomine in medio luteo, maculis utrinque tribus viridibus notato.

Synon. *Ichneumon globiceps Retz in de Geer. p.* 285. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 211. *n.* 250.

Die goldgrüne Springschlupfwespe mit gebrochenen keulenförmigen Fühlhörnern, rundem Kopfe, gelben Füſsen, der Hinterleib des Männchens in der Mitte gelb mit sechs grünen Punkten. De Geer Ins. ed. Germ. II. p. 198. *n.* 15. *tab.* 31. *fig.* 10, 11.

Speciem hanc, post Geerum a nemine, quod sciam, observatam, ex habitu huc inserendam duxi, eum in finem, ut entomologiae studiosorum attentioni commendetur. Verba Geeri haec sunt:

Magnitudine Formica minima inferior est. *Caput* crassum et subglobosum, prothorace latius. *Thorax* (in icone) longior quam latior; *prothorace* conico-angustato; *metathorace* brevi ovato. *Abdomen* capite cum thorace longius, oblongum, compressum, sessile; terebra longitudine abdominis recurva. *Color* totius corporis aurato-viridis, obscuriusculus; *antennae* nigrae, scapo (ad radicem) lutescente. *Pedes* lutei, tarsis albidis; spina terminalis tibiarum mediarum major et magis valida, quam in tibiis anticis et posticis. *Alae* hyalinae, pubescentes, costa lutescente, ramulo stigmatico brevi.

Mas viridi-aureus et nitens. *Antennae* et *pedes* toti lutei; colore antennarum paulo obscuriori. *Abdomen* ovali-oblongum, acutum, aurato-viride, segmentis tribus mediis pallide luteis, singulis macula utrinque transversali viridi nitente notatis. *Pedes* et *Alae* ut in femina.

Prodiit *mas* cum *femina* ex eadem galla *Cyniphis, Potentillae* (reptantis) de Geer, larvis ejusdem parcens (*de Geer* l. c.).

Adnot. Cum e verbis cl. de Geer non omnino eluceat, abdomen feminae concolor sit, an medio ut in mare luteum, solis maculis deficientibus, dubia de hac specie relinquuntur, quam equidem distinctissimam, et forte *Eupelmi* generis existimo.

11. Torymus *onjunctus.*

T. violaceus, punctatus nitidus, abdominis cingulo prope basin, antennarum scapo pedibusque testaceis; alis lutescenti-hyalinis; terebra longitudine abdominis. *Fem.*

Long. lin. 2. Similis *Torymo fulgenti*, sed differt constanter: corpore magis coacto firmiori; *punctura* crassiore; *toto thorace* cum metathorace concolore violaceo aut cyaneo; *abdominis* primo segmento basi violaceo postice rufo, reliquis omnibus obscure violaceo-auroque variantibus. A sequente specie iisdem fere et statura proceriore recedit.

Pedes validi sunt; *coxae* posticae violaceae; reliquae et trochanteres omnes testacei. *Femora postica* et *tibiae posticae* saturatioris coloris. *Tibiae* omnes autem basi et *tarsi* albicantes. *Alae* lutescenti-hyalinae.

Feminam cepi in Quercu prope *Sickershausen*, autumno. *Mas* ignotus.

12. Torymus *nitidulus*.

T. cyaneus, punctatus; abdominis dimidio anteriori, scapo antennarum pedibusque totis ferrugineis, ano tibiisque apice fuscis; terebra longitudine corporis; alis cinerascenti-hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1⅙. Differt a praecedente: *statura* minore, minus coacta; *abdomine* basi ventreque fere toto fulvo-ferrugineis; *alis* cinerascenti-hyalinis; pubescentibus. A *Torymo cingulato colore; punctura* crassiore; *abdominis* basi latiori tractu pallideque testaceis; *terebra* breviore et *alis* obscurioribus; multoque magis iisdem notis a *Torymo fulgente* recedit.

Antennae nigrae, *scapo* ferrugineo; *flagelli articulis transversis, brevibus. Caput* et *thorax* distincte punctata, saturate cyanea, pubescentia. *Metathorax* magis virescenti-cyaneus. *Abdominis* segmenta tria anteriora fulva; reliqua supra fusca, nitore metallico. *Venter* totus fulvo-testaceus. *Terebra* vix corporis longitudine, valvulis nigris. *Coxae* colore corporis, apex ut *pedis* reliqua pars saturate ferruginei; *femora* posteriora saturatius colorata; *tibiae* apice fuscae. *Alae* hyalinae quidem, sed cinereo-micantes, et pubescentia tenui adspersae.

Mas. Long. 1 lin. *Antennarum flagellum* crassiusculum, articulis contiguis, subtransversis, pubescentibus; *scapus* vix basi parumper rufescens. *Mandibulae* laete rufae. *Caput* et *thorax* cyanea ut in femina. *Abdomen* breve, basi angustatum, dorso depresso; primo segmento basi viridi ventreque compresso basi lato tractu rufis; reliquis segmentis dorso purpurascenti-aureis. Genitalia mascula prominula, filiformia, basi pallida. *Pedes* rufi, coxis posticis cyaneis tibiisque iisdem in medio fuscis. *Alae* hyalinae.

Cepi *marem* et *feminam*, Junio et Julio mensibus in foliis quercus, prope *Sickershausen.*

13. Torymus *aeneus*.

T. obscure aureus, capite thoracisque dorso medio viridi-aeneis, abdominis dimidio anteriori, scapo antennarum pedibusque totis ferrugineis immaculatis, ano fusco; terebra longitudine corporis; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. 1¼. A praecedente proximo differt: *colore* et *pedibus* concoloribus rufis; punctura etiam subtiliore.

A

A reliquis praecedentibus iisdem fere notis, qua ille, distinguendus.

Antennae nigrae; *scapo* rufo. *Caput* viridi-aeneum, fronte nitente, vertice obscuriori, subtilissime punctatum. *Thorax* glaber, minute punctulatus; *prothorace* obscure aureo; dorso medio cum scutello viridi aeneo; metathorace obscure aurato. *Pleurae* et *pectus* ejusdem coloris. *Abdominis* basis et venter totus rufa; anus supra fuscus. *Terebra* corpus longitudine aequans, nigra. *Pedes* rufo-testacei, *femoribus* et *tibiis* omnino concoloribus; *ungues* nigri. *Alae* magis hyalinae.

Feminam unam hujus speciei Junio mense cepi in Selini Oreoselini floribus locis siccis apricis prope *Sickershausen*. *Mas* non innotuit.

14. Torymus *erythrothorax*.

T. fuscus, thorace pedibusque pallide testaceis; alis hyalinis, puncto terminali ramuli stigmatis atro. *Mas.*

Synon. *Pteromalus bipunctatus Swed. in Act. Holm. a.* 1795. *Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 73 *et* 178. *tab.* 7. *fig.* 26 *et* 27 (*antenna et ala*). *Pterom. Suec. p.* 7. *tab. I. fig.* 26, 27 (*antenna et ala*)?

Long. lin. 1½. *Antennae* fuscae; *scapo* pallido; *flagello* gracili; filiformi. *Prothorax* longus. *Metathorax* brevis. *Abdomen* valde compressum, et a latere visum circumscriptione obovata; primo segmento, ubi metathoraci conjungitur, valde coangustato. *Color* totius corporis fuscus, nitore pingui, submetallico. *Punctura* subtilissima. Pubescentia nulla. *Pedes* toti pallide testacei. *Alae* hyalinae. *Areola* basalis indicata nervulo transversali, a cubito descendente. *Ramus stigmatis* brevissimus, angulo fere recto egrediens, apice puncto valde conspicuo ovato atro non pellucido terminatus.

Cepi unum hujus speciei exemplum, prope *Weischenfeld in Marcgraviatu Baruthino*, locis sterilibus editioribus, der Lehlitzer Anger dictis. *Feminam* non vidi. An mas sequentis?

15. Torymus *Stigma*.

T. aeneo-viridis; abdomine dorso nigro; ventre pedibus hypostomateque flavis; alis hyalinis, puncto ramuli stigmatici atro; terebra longitudine corporis. *Fem.*

Synon. *Cleptes Stigma Fabr. S. Piez. p.* 155. *n.* 5.
Ichneumon stigmatizans Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 230. *n.* 212—13.

Long. lin. 2. Praecedenti perquam similis, sed coloribus diversus. *Caput* et *thorax* viridia, nitentia. *Hypostoma* flavum immaculatum. *Antennae* nigrae, *scapo* pallido. *Abdomen* compressiusculum, ovatum, dorso nigrum, subtus totum pallidum. *Terebra* atra, longitudine corporis. *Pedes* toti pallidi, unguibus nigris. *Punctum* apicis ramuli stigmatici crassum, atrum, distinctissimum. *Alae* albo-hyalinae.

Habitat in *Gallide* larvis (*Fabricius*, ad exemplum Musei Bosciani) in *Suecia*? (Swederus) In *Germania*, quod sciam, non inventus est. *Mas* latet.

16. Torymus *dorsalis.*

T. pallidus, capitis thoracisque dorso viridi-aeneis; alis hyalinis, macula transversa fusca; terebra exserta. *Fem.*

Synon. *Cynips dorsalis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 28.
Diplolepis dorsalis Fabr. S. Piez. p. 151. *n.* 11. *Spin. Classif. l.* .
Ichneumon dorsalis Fabr. Ent. syst. suppl. p. 231. *n.* 218—19. *Coqueb. Illustr. icon. I. p.* 21. *tab.* 5. *fig.* 3.

Caput pallidum flavum; macula quadrata verticis nigra; *antennis* nigris. *Thorax* pallidus, dorso viridi-aeneo nitido. *Abdomen* compressum, pallidum, dorso obscuro. *Terebra* exserta, nigra. *Pedes* pallidi. *Alae* albae, macula magna transversa, fusca.

Habitat in *Gallia* (Mus. cl. Bosc. *Fabricius*).

Observ. Speciem hanc non vidi, et Latreillio auctore verbis Fabricii adduco. In icone Coquebertiana, long. lin. 2, vertex est viridis, terebra dimidio corpore longior. Quem pallidum colorem Fabricius dicit, laete flavus est.

B. Pachymeri.

Femoribus posticis incrassatis compressis, saepe dente armatis.

Statura coacta, brevior. *Abdomen* ratione thoracis minus elongatum, neque adeo a latere compressum; tergo modice convexo. *Terebra* mediocris, valida. Pedes validi; postici praesertim, his praeter *femora* etiam *coxae*

saepe dente armatae. *Alae* texturae firmioris, puncto ramuli stigmatici saepe distincto.

17. Torymus *Chrysis.*

T. viridi-aureus glaber, antennarum scapo, tibiis apice tarsisque testaceis, alis immaculatis, femoribus posticis submuticis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis Chrysis Fabr. Syst. Piez. p.* 150. *n.* 52.
Ichneumon Chrysis Fabr. Ent. syst. II. p. 185. *n.* 213?
Diplolepis crassipes Spin. Classif. l. c.?

Long. lin. 2. *Corpus* totum laeve, nitidum, vix pubescens, viridi-auratum. *Antennae* nigrae; *scapo* testaceo. *Abdomen* ovatum, dorso plano-convexo, nitidissimo, magis aeneo-aurato; segmentis margine nudis, nec ciliatis. *Terebra* nigra, recta, longitudine abdominis. *Pedes* fuscoaenei, tibiis apice, tarsisque, excepto ungue testaceis. *Femora* postica crassa, plerumque inermia, rarius denticulo minutissimo ante apicem armata. *Coxae* posticae inermes. *Alae* hyalinae, purae, puncto rami stigmatici non colorato.

Mas differt *capite thoraceque* viridibus: *abdomine* depressiusculo, purpurascenti-aureo, primo segmento plano, viridi, nitidissimo, maximeque accedit *Torymo purpurascenti* mari, a quo praesertim pedibus metallicis, nec testaceis, differt.

Cepi *marem* et *feminam*, Augusto mense, prope *Sickershausen.* In *Barbaria* inveniri, si citato a me Fabricio aliquid tribuendum, crederem.

Adnot. *Perylampus Chrysis* Spin. Classif. mihi incognitus, sed certo non hujus loci.

18. Torymus *cupreus.*

T. aeneus, subobscurus, pubescens; tarsis testaceis; puncto rami alarum stigmatici distincto, parvo; femoribus posticis ante apicem coxisque iisdem unispinosis. *Mas. Fem.*

Synon. *Torymus dentipes Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 73 *et* 178. *tab.* 7. *fig.* 23 — 25 (*antenna, ala, pes posticus*). *Pterom. Suec. p.* 7. *t.* 1. *fig.* 23 — 25 (*antenna, ala, pes posticus*).
Diplolepis cuprea Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.

212. *n. LXIX. tab. 3. fig. 11. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Long. lin. 2. Caput aeneum, vel rubro-cupreum, crasse punctatum. *Antennae* dimidii thoracis longitudine; *flagello* nigro, *scapo* aeneo. *Thorax* aeneus vel cupreus, crasse punctatus, pubescens. *Metathorax* brevis, rugosus, concolor. *Abdomen* ejusdem coloris, laeve, nitidum, a latere subcompressum; segmento primo majori, margine postico subsinuato, secundo lineari-transverso, reliquis aequalibus; ultimo obtuso, omnibus margine ciliatis. *Terebra* longitudine abdominis, vel paulo brevior, nigra. *Pedes* corpori concolores. *Femora* postica crassa, ante apicem sinu excisa et dente ad ejus marginem posticum munita. *Coxae* eaedem apice acute spinosae. *Alae* hyalinae, umbra laevi ramum stigmaticum, parvo puncto nigri coloris terminatum, ambiente notatae.

Mas differt a femina *abdomine* breviore, subdepresso, dorso postico purpurascente.

Cepi *marem* et *feminam* haud raro in hortis prope *Sickershausen* ab Aprili mense ad Julium. Autumno non occurrebat. Prope *Genuam* in loco, dicto *Marassi*, cl. *Spinola* feminam legit.

Observ. An varietas sequentis?

19. Torymus *obsoletus.*

T. nigro-subviolaceo-metallicus, pubescens; antennarum scapo, capite et prothorace virescentibus; tibiis et tarsis piceis; puncto rami stigmatici distincto crasso; femoribus posticis coxisque iisdem ante apicem acute unispinosis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis obsoleta Fabr. Syst. Piez. p.* 150. *n.* 10. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 159. *n.* 8. *Fasc. IV. p.* 213. *Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Cynips obsoleta Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 28.

Ichneumon obsoletus Fabr. Ent. syst. Suppl. p. 218—19. *Coqueb. ill. ic. I. p.* 21. *tab.* 5. *fig.* 2.

Ichneumon rodophthalmus Rossi. Mant. I. p. 125. *n.* 276? (*praeter antennas basi rufas omnia congruunt.*)

Long. lin. 2. A praecedente, cui admodum similis, differt: *colore* vario valdeque distincto; *pubescentia* capitis thoracisque distinctiori; *pedum* colore; *alarum* puncto majori. *Antennae* nigrae, scapo virescente. *Abdominis* seg-

menta albo-ciliata; primum segmentum squamiforme, integrum. *Terebra* abdomine paulo brevior. *Pedes* violaceo-nigri; *tibiis* piceis, basi et apice *tarsisque* pallidioribus. *Coxae posticae* et *femora postica* acute spinosa. *Alae* albidae; circa ramum stigmaticum nubilae, punctoque nigro distincto in ejus apice notatae.

Mas feminae perquam similis, differt: *abdomine* paulo obscuriori, angustiori, convexiusculo, ano acuto, ventre recto; *femoribusque* anticis subtus, mediis apice latiori tractu piceo-rufis.

Marem et *feminam* cepi in Selini Oreoselini umbellis prope *Sickershausen* die 16. Julii, a. 1811. Tum alio quoque tempore, Majo et Augusto mensibus iisdem in locis feminam inveni. In Galla tinctoria *Italiae* provenire, cl. *Spinola* docet, forte *Cyniphibus* innatum. Eundem ex *Italia* allatum in Museo Bosciano descripsit *Fabricius.*

? 20. Torymus *calcaratus.*

T. violaceus; abdomine brevi compresso aureo; antennis concoloribus, tibiis tarsisque testaceis; femoribus posticis valide unidentatis incrassatis; alis hyalinis, puncto rami stigmatici indistincto. *Mas.*

Synon. *Diplolepis calcarata Spin. in litt. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Long. lin. 2¾. Structura omnino *Torymi, cuprei,* sed major. Caput et thorax glabra, punctulata, violacea. *Metathorax* concolor, declivis, subaeneus. *Abdomen* vix longitudine thoracis, oblongum, obtusum, compressum, laeve, aureum. Coxae et femora aeneo-violacea; *femora postica* magna crassa, dente pone medium valido longo armata. *Tibiae* omnes cum tarsis testaceae. *Alae* hyalinae.

Exemplum masculini sexus e *Liguria* mihi misit cl. *Spinola*, nomine supra citato inscriptum. Feminam non vidi, sed hujus loci esse e magna *Torymi cuprei* similitudine sequi videtur. — *Diplolepis spinipes* Spin. Classif. l. c. mihi incognita est.

? 21. Torymus *ater.*

T. niger, concolor, femoribus posticis incrassatis; alis obscuris, puncto rami stigmatici crasso, fusco. *Fem.*

Synon. *Diplolepis Stigma Fabr. syst. Piez. p.* 152. *n.* 21.

Ichneumon Stigma Fabr. Ent. syst. II. p. 188. *n.* 229. *Coqueb. ill. icon. I. p.* 19. *tab.* 4. *fig.* 6.

Speciem hanc, a me non observatam et a Fabricio paucis verbis tantum indicatam, fide Figurae Coquebertianae in hunc locum transferre non dubito.

Longit. icon. lin. 2½. Statura omnino specierum praecedentium. *Antennarum flagellum* cylindricum, articulis contiguis. *Oculi* corallini. Reliquum *corpus* totum cum pedibus nigrum, opacum. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, oblongum, compressum basi attenuatum, apice truncatum, valvula ventrali, terebram fulciente dehiscente. *Terebra* longitudine abdominis, gracilis, recurva. *Femora* postica subclavata. *Alae*, in icone pessima, cinerascentes, macula nigra in apice ramuli stigmatici notatae, quae macula nervulum costam versus emittere videtur.

Habitare dicitur in *Galliae Cyniphis Rosae* larvis. A cl. Fabricio in Museo *Bosciano* descriptus.

Adnot. Inter *Eurytomas* posuere cl. *Spinola* et *Dalmanus*; ille *Decatomam* hanc speciem apellans, antennas undecimarticulatas ei adscribit. *Dalmanus* autem, quem Coquebertium consuluisse dubito, *Eurytomae biguttatae* subjungi posse statuit. Sed *terebrae* et *abdominis* structura, mea opinione, in ista *Diplolepide Stigmate* Fabr., quam Coquebertius pinxit, ab *Eurytomarum* natura alienissima est, tametsi prothoracis forma et color ater, forsan etiam punctura corporis, affinem esse *Eurytomis* probare videantur.

SECTIO II.

(*Diplolepis* Divis. II. C. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 213. Diplolepidis specc. et *Halticopterae* specc. Spin. Classif.).

Abdomine depresso, breviori.

Species habitu et praesertim abdominis forma *Pteromalis* Dalmani accedentes, sed *terebra* feminarum *exserta* ab his aberrantes, quas, donec character, ex oris fabrica hauriendus, separationem adjuvet, hoc loco inter Torymos tractabo.

22. Torymus *fuliginosus.*

T. cupreus, concolor; tibiis tarsisque testaceis; terebra longitudine corporis; alis disco fuscis. *Fem.*

Synon. *Diplolepis fuliginosa Spin. Ins. Lig. Fasc. IV.* p. 214. *n. LXX. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII.* p. 148.

Long. lin. 1. *Antennae* nigrae, basi cupreo nitentes. *Corpus* totum cupreum splendore metallico. *Pedes* obscuriores; *tibiis* et *tarsis* pallide testaceis; *femoribus* simplicibus. *Alae* hyalinae; superiores fuliginosae, macula magna fusca medio notatae.

Femina terebra longitudino corporis, oviductu piceo, valvulis nigris.

Cadaver in galla fungosa polythalama Quercus ramulorum in montibus *Orerii* cl. *Spinola* invenit. Mas non notus.

Observ. Hujus speciei, a me non visae, descriptionem ex Opere cl. *Spinolae* transscripsi.

23. Torymus *annulatus.*

T. caerulescens, metallico-nitens; tibiis anterioribus totis, posticis basi, femoribus iisdem apice tarsisque omnibus albidis; terebra corpore longiore; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis annulata Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 215. *n. LXXI. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Long. lin. 1½. *Antennae* nigrae; scapo subtus caerulescente. *Corpus* totum unicolor, caerulescens, laeve, splendore metallico. *Terebra* corpore longior, nigra. *Femora* anteriora nigra; *tibiae* et *tarsi* anteriores albidi; *pedes postici* pallidi, femoribus basi, tibiis apice nigris. *Alae* hyalinae.

Mas abdomine breviore differt.

Habitat prope *Genuam* (*Spinola*). Vidi feminam.

24. Torymus *tarsatus.*

T. violaceus, vel cyaneus, nitidissimus; tibiis anticis totis, reliquis basi subtestaceis, tarsis albis, ungue nigro; terebra longitudine abdominis ovato-depressi; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1¼. Statura brevis, coacta. *Corpus* totum laevissimum, laete cyaneo-violaceum. *Hypostoma* aeneo-viride. *Antennae* apicem versus paulo crassiores, totae nigrae. *Abdomen* ovatum, thorace paulo longius depressum. *Terebra* nigra, longitudine corporis. *Femora* cum *coxis trochanteribusque* corpori concolora; postica in femina ante apicem denticulo parvo armata; *tibiae* anticae totae; reliquae basi pallidae; *tarsi albi*, ungue in *mare* nigro, in *femina* fusco. *Alae* hyalinae, purae.

Mas differt a femina abdomine subaenescente, conico, acuto.

Marem cum *femina* cepi Julio mense prope *Sickershausen*; tum etiam *Majo*, Julio et Augusto mensibus iisdem in locis in Anethi graveolentis floribus mares et feminas deprehendi.

25. Torymus *dubius*.

T. aeneo-viridis, concolor, nitidissimus; antennis fuscis; tibiis anterioribus, posterioribus basi apiceque, tarsisque pallidis; terebra abdomine longiore; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Statura et *magnitudo* omnino praecedentis, cujus forte varietas habendus. Sed mas cum femina in copula captus, coloribus congruit, et *terebra* feminae evidenter longior. *Antennae* in utroque sexu fuscae; *scapo* subaeneo vel viridi; in mare longiores. Reliquum corpus concolor, aeneo-viride, nitidissimum.

Terebra nigra, longitudine abdominis et metathoracis. *Femora* viridi-aenea, apice, postica praesertim, pallida; *tibiae anteriores* pallidae, apice obscuriores; *posticae* pallidae, medio fuscae. *Tarsi* pallidi (neque albi), unguibus nigris.

Cepi marem cum *femina* in copula die 1. Augusti a. 1821 in Selini Oreoselini floribus prope *Sickershausen*. Tum marem et feminam a Junio mense in Septembrem usque ibidem observavi, tam in floribus, quam in fruticum, praesertim Pruni Padi et Cerasi, foliis.

GENUS VII.

EUPELMUS Dalm.

Ab εὖ, bene, et πέλμα planta pedis, ob tarsorum mediorum scopam.

Eupelmus Dalm. in Act. Holm. a. 1820. *I. p.* 136. *n.* 8. *tab.* 8. *fig.* 34 — 37 (*antenna, ala, caput et pes medius*); *II. p.* 376 *sqq. Pterom. Suec. p.* 5. *n.* 8. *tab.* 2. *fig.* 34 — 37 (*antenna, caput, ala et pes medius*), *p.* 87 *sqq. Cyniphis Latr. spec. Ichneumonis de Geer spec. Diplolepidis species Spin. Cleonymi spec. Latr.? Spin. Classif.*

Antennae fractae, infra mediam frontem insertae, undecimarticulatae; flagello subaequali, articulis valde conti-

guis. *Alae* nervo subcostali ante medium costae conjuncto et cum ea prope ad apicem excurrente; ramulo stigmatico apice parum incrassato, trans mediam alam oriente, brevi, incurvo, costae communis *) terminos aequante; in feminis saepe mutilae vel nullae. *Pectoris* laminae laterales (Pleurae) integrae, laeves. *Abdomen* thorace longius, dorso plerisque depressum. *Terebra* feminae exserta. *Tarsorum* mediorum articulus primus magnus, subtus rigide ciliatus.

Mandibulae bidentatae.

Adnot. *Character naturalis*, quod doleo, me fugit. Ipse enim, cum pauca harum specierum individua ad manus essent, dissecare ea neglexi, vel timui potius, ne ea destruerem. Cl. *Dalman* primus hoc genus novum, et certe distinctum, cognovit, eumque nunc secuto mihi, etiam in hoc, quod non placet, vestigia ejus premenda sunt, donec oris partes justo tempore examinare possim.

Habitu corporis mediae sunt hujus generis species inter *Torymos, Cleonymos* et *Encyrtos*; conveniunt enim *statura* longiuscula et *terebra* exserta *Torymis*, alis Cleonymis et *Pteromalis*, pleuris scutatis et pedibus mediis longioribus *Encyrtis*. *Tarsorum* mediorum scopa primi articuli ab omnibus Pteromalinis distinguuntur.

Punctura subtilis; color in aliis alius, niger metallicus, rufusque; *terebra* in quibusdam medio *annulo* albo vel pallido cincta. *Antennae* haud procul a clypeo insertae, basi valde approximatae: *scapus* aequalis, linearis; *flagellum* a basi ad apicem sensim incrassatum, apice in plerisque recurvum; *pedicello* obconico, sequente articulo paulo longiori; reliquis diametro transversali et longitudinali subaequalibus; extremis transversis, ultimo oblongo obtuso. *Caput* rotundatum, a thorace remotum. *Prothorax* antice coangustatus, distinctus, dorso medio angustior. Dorsum *thoracis* magnum, antrorsum declive, saepius medio impressum vel canaliculatum. *Scutellum* parvum, saepe (in apteris) declivitati thoracis adnatum et indistinctum. *Metathorax* brevis, abrupte descendens. *Pleurae* latae, oblongae, integrae, neque suturis interceptae, plerumque laevigatae et scutiformes. *Abdomen* oblongum, metathorace lata basi affixum, dorso planiusculo. Venter carinatus. *Terebra* exserta, e ventre medio prodiens; valvulis in aliis medio pallido-annulatis. *Pedes* haud admodum bre-

---

*) Scil. qua costa e nervo marginali et submarginali conjunctis magis conspicua et crassior est.

ves; femoribus *anticis* magis minusve incrassatis; *medii* longiores; *tibiis* apice spina recta singula armatis; *tarsorum* articulo basali magno, subtus ciliis rigidis cristato. *Alae*, ubi explicatae adsunt, costae margine elongato et ramulo stigmatico incurvo pone medium egrediente, insignes; in aliis mutilae vel vario modo deformes; quibusdam nullae omnino.

Mathamorphosis, Geero teste, in gallis, uti videtur vita parasitica. Equidem unam speciem, *Eupelmum annulatum*, e *Cryptocephali duodecimpunctati* puppa exclusum observavi.

Mas non nisi unius speciei cognitus est; hinc generis historia incompleta, futurisque temporibus plurima ejus servata.

1. Eupelmus *memnonius* Dalm.

E. niger, nitidus, pedibus testaceis, femoribus nigro-piceis; terebra longitudine abdominis concolore; alis perfectis. *Mas. Fem.*

Synon. *Eupelmus memnonius Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 377. *n.* 1. *Pterom. Suec. p.* 88. *n.* 1. (*Fem.*)

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Color totius corporis niger, ad aeneum vergens. *Frons* in medio impressa. *Antennae* concolores. *Pedes* testacei, femoribus medio infuscatis. *Alae* hyalinae, disco obfuscato.

Mas differt: statura minore et pedum colore aliquantum diverso, scil. *femora* antica apice, media tota, postica apice, *tibiae* anteriores totae, posticae apice, *tarsi* omnes rufescunt; reliqua pedum piceo-fusca. *Ungues* fusci. *Alae* quales in femina.

Feminam, in *Westrogothia* a se lectam, *Dalmanus* descripsit; *marem* prope *Sickershausen*, a. 1812, cepi sub foliis deciduis.

2. Eupelmus *urozonus* Dalm.

E. viridis, nitidus; pedibus flavis, femoribus tibiisque medio viridi-aeneis; terebra longitudine tertiae partis abdominis, nigro, alboannulato; alis completis. *Fem.*

Synon. *Eupelmus urozonus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 378. *n.* 2. *tab.* 8. *fig.* 34—37 (*antennae, ala, pes medius*). *Pterom. Suec. p.* 89. *n.* 2. *tab.* 2. *fig.* 34—37 (*antennae, caput, ala, pes medius*).

Long. lin. $1\frac{1}{2}$—2. *Antennae* fronti mediae insertae, approximatae; *scapus* verticem vix excedens, gracilis; aequalis; *flagellum* capite vix duplo longius, nigrum, laeve, glabrum, basi valde attenuatum, apice incrassatum; articulis valde contiguis. *Caput* thorace vix angustius, antice visum paulo latius quam longius, rotundatum, convexum, laeve, impunctatum, viride vel viridi-cyaneum; *frons* ad antennarum basin valde impressa; *vertex* vix angustatus. *Oculi* magni, suborbiculati. *Os* obtusum, mandibulis palpisque obscuris. *Prothorax* brevis, thorace multo angustior illique concolor. Thorax viridi-sericeus, nitidus; dorso obsoletius impressus, postice vero valde declivis, subretusus. *Scutellum* parvum, subtrapeziforme, apici thoracis declivi adnexum, haud distinctum, colore thoracis; segmenta scapularia etiam concoloria, sericea. *Metathorax* brevis, depressus, viridis, nitidus, sub basi abdominis fere occultatus. *Pectus* viridi-cyaneum, nitidum, laminis lateralibus magnis, concoloribus, apice obscurioribus. *Abdomen* longitudine trunci, oblongum, dorso saepius depressum, viridi-aeneum, subtus basi carinatum. *Terebra* exserta, tertiam abdominis partem longitudine aequans, teres, nigra, annulo medio satis lato, testaceo-albido. *Pedes* longiusculi, validi: *coxae* corpori concolores; *femora antica* tota nigro-aenea, *posteriora* pallide testacea, annulo in medio fusco latoque; *tibiae* omnes testaceae, annulo ante medium fusco distincto; *tarsi* basi albidi, apice fusci. *Pedes medii paris* reliquis manifesto longiores et validiores; tarsorum articulo basali magno, incrassato, subtus pilis brevissimis rigidis fuscis ciliato. *Alae* omnino hyalinae, immaculatae nervis pallide flavis; ramulus stigmaticus sat longus, tenuis, arcuatus, apice crassior, nervi costalis apicem aequans.

Habitat in *Westrogothia* passim (*Dalman*). *Mas* ignotus.

Adnot. Hanc speciem non vidi.

3. Eupelmus *annulatus*.

E. purpurascenti-cupreus, thorace cupreo-lineato, femoribus anticis et posticis apice, tibiis basi et apice, pedibus mediis totis tarsisque testaceis; terebra longitudine dimidii abdominis, fusca, albo-annulata; alis completis. *Fem.*

Synon. *Diplolepis albicauda Spin. Classif. Dipl. in Ann. du Mus. VII. p.* 148.

Long. lin. 1—2. *Antennae* nigrae, *scapo* aeneo; *pedicello* longiusculo; *flagello* tenui, *caput* et *thorax* purpurascenti-cuprea. *Thoracis* dorsum medium in gibbos tres distinctos divisum, quorum anterior triangularis valde elevatus, lateralis obliqui, elongati, rotundati, supra alas declives. Harum gibbositatum carinae dorsales singulis lineis cupro-micantibus, neque vero valde conspicuis, ornatae sunt. *Metathorax* brevis, magis nitidus. *Abdomen* triquetro-cylindricum lateribus subcompressum, dorso planiusculo, purpurascenti-cupreum, sed saturatiore colore quam caput et thorax; primum segmentum basi aeneum, nitidissimum; postrema e purpureo magis aurata. *Venter* carinatus, squama terebram fulciente apice mucronata. *Terebra* longitudine vix dimidii abdominis, fusca, annulo medio lato albo. *Pedes* antici fusci, subaeneo-virides; femoribus apice, tibiis basi et apice tarsisque testaceis; *medii* toti testacei; postici testacei, femoribus tibiisque in medio nigro fuscis, nitore viridi-aeneo. *Tarsi* medii pedis ut in praecedente. *Alae* amplae, hyalinae, purae.

Individua duo, *feminei* sexus, die 11. Augusti a. 1808 *Sickershusi* e puppa *Cryptocephali duodecimpunctati* mihi exclusa sunt. Alia cepi Septembre mense in Coryli foliis, locis editis apricis. *Mas* mihi non notus.

Variat:

Long. lin. 1; macula discoidali alarum obliqua cinerascente. Fem. An species distincta?

Cepi mense Septembre in Quercu prope *Sickershausen.*

Adnot. Cum *Eupelmum urozonum* Dalmani cum hoc nostro *annulato*, comparandi occasio deesset, dijudicare non potui, an sint duae diversae species, an unius ejusdemque speciei varietates existimandae. Differentia praesertim in *colore* quaerenda, tum in *thoracis* sculptura profundiori, *terebrae* longitudine, *pedibusque* mediis totis pallidis, immaculatis.

4. Eupelmus *Geeri* Dalm.

E. niger, obscure aeneo-nitidus, scapo antennarum, abdominis basi pedibusque saturate testaceis; terebra brevi pallide annulato; alis abbreviatis, apice reflexo-contortuplicatis. *Fem.*

Synon. *Eupelmus de Geeri Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 379. *n.* 3. *Pterom. Suec. p.* 90. *n.* 3.
Cleonymus hemipterus Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 149. *n.* 10.

Diplolepis vesicularis Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p. 161. n. 13.
Ichneumon vesicularis De Geer. apud. Retz. p. 70. n. 291. *Villers* Ent. Lin. III. p. 116. n. 268.
Die ungeflügelte schwarzkupfergrünliche Springschlupfwespe, mit gebrochenen keulenförmigen Fühlhörnern u. schwarzgelben Füfsen. De Geer Ins. vers. Germ. II. p. 207. tab. 31. fig. 22.

Long. lin. 1—1½. Forma *Crypti* cujusdam apteri vel Formicae parvae. *Antennae* infra oculos propius ab ore insertae; *scapus* verticem non aequans, teres, linearis, luteus vel flavo-testaceus; *flagellum* scapo plus duplo (capite vero vix dimidia parte), longius, nigrum, teres, basi attenuatum, extrorsum sensim incrassatum, apice nonnihil arcuato breviter conico. *Caput* thorace manifesto latius, convexum, antice visum rotundatum, vix longius quam latius, aeneo-viride, nitens, impunctatum; *frons* ad antennarum basin parum impressa; *os* obscurum; vertex non angustatus. *Oculi* suborbiculares, obscuri. *Prothorax* valde distinctus, capite thoraceque multo angustior, humilior, breviter conicus, apice attenuatus, aeneo-viridis, nitidus, basi subconstrictus et dorso baseos impressus. *Thorax* proprie dictus ovatus; segmento medio leviter impresso, postice valde declivis, viridis. *Scutellum* parvum, haud distinctum, apici thoracis adnatum, obscure virens. *Metathorax* brevissimus, vix conspicuus. *Pectus* viridi-aeneum, nitidum; laminis pleurarum magnis concoloribus. *Abdomen* longitudine trunci, oblongum, teres, dorso convexum, nigro-aeneum, nitens, pube subtili pallida depressa vestitum; segmento primo semper pallido, testaceo. *Terebra* longitudine quartae partis abdominis, tenuis, basi apiceque niger; annulo medio lato albido. *Pedes* longiusculi, validi, saturate testacei; *coxis* mediis concoloribus, anticis posticisque autem aeneis; femora antica pone medium incrassata, aenea, basi, apiceque testacea; *tarsi* omnes pallidi; ungue fusco. *Pedes medii* reliquis longiores, *tibiis* apice pallidioribus, *tarsorum* articulo basali incrassato, subtus albo-ciliato. *Alae* parvae, abbreviatae, forma singulari. A basi usque ad thoracis apicem albae sunt, planae; tum vero fractae, apice elevato nigro-fusco, postice convoluto, vesiculam albam mentiente. *Alae inferiores* minutissimae, sed ejusdem structurae et coloris. Nervi haud

conspicui. Insectum agile, alas perpetue vibrans. — Variat colore magis aeneo, vel magis viridi.

Mas non notus.

Habitat in *Suecia*, in *Westrogothia*, *Smolandia*, *Gottlandia*, *Scania*, passim (*de Geer*, *Dalman*), e Gallis lignosis *Cyniphis Potentillae*, quae etiam *Torymum globicipitem* ederant, exclusus (*de Geer*). In *Italia*, Umbellatarum floribus pascentem cl. *Spinola* imaginem legit. Nobis in *Germania* hucusque non occurrit, sed dubium non est, quin et hisce regionibus sit indigenus.

Adnot. Cl. de Geer, l. c., nostram speciem bene descripsit iconeque illustravit, quae vel articulum basalem tarsorum ostendens, dubia vix relinquit. Alarum vero singulari forma deceptus, apterum esse insectum statuit. Neglecta, scilicet, vera basi, apices earum fuscos corpuscula insolita, thoracis apici affixa, declaravit atque hoc modo descripsit. Icon apices alarum justo acutiores exhibet. Confer Dalman. l. c.

5. Eupelmus *atropurpureus* Dalm.

E. ex aeneo fusco-cupreus, antennis concoloribus, tibiis apice et tarsis basi flavescentibus; terebra brevi, fusca, exannulata; alis mutilis. *Fem.*

Synon. *Eupelmus atropurpureus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 381. *n.* 4. *Pterom. Suec. p.* 92. *n.* 4.

Long. lin. 1½—2. *Antennae* hypostomati infero insertae; *scapo* verticem aequante, longitudine dimidii flagelli, cylindrico, subrecurvo, nigro-aeneo, nitido; *pedicello* obconico, sat conspicuo; *flagello* octoarticulato, subaequali, primo et secundo articulo subaequalibus, cylindricis, pedicello longioribus, arcte contiguis, reliquis multo brevioribus, longitudine et latitudine subaequalibus et primo secundoque paulo crassioribus, extremo obtuso, ante apicem subconstricto et ad speciem biannulato. *Caput* latitudine thoracis, subtilissime, punctulato-rimulosum, glabrum; *frons* pone oculos impressa, tuberculoque inter antennas praedita, color capitis singularis, ex aeneo fusco-cupreus; *hypostoma* viride micans. *Oculi* magni, ovati, post mortem albidi. *Prothorax* transverse cordatus, antice paulo angustior et subadscendens, a thorace medio sulco discretus. *Thoracis* dorsum antrorsum et retrorsum declive, utraque declivitate planiuscula, antica leniori, sulco longitudinali, in prothoracem continuato, divisa; postica,

scutelli vices gerente, praecipiti, truncata, breviori, cum *metathorace* confusa. *Pectus*, et *pleurarum laminae* integrae convexae, laevissima, coloris e fusco cuprei in violaceum vergentis. *Abdomen* capite cum thorace paulo longius et ejusdem coloris, sessile, trigono-conicum, obtusum, dorso planiusculum, laeve; primis quatuor segmentis emarginatis. Venter obtuse carinatus. *Terebra* longitudine trium ultimorum segmentorum abdominis, valida, fusca, pubescens. *Pedes* validiusculi, aeneo-fusci, tibiis apice et tarsis basi flavescentibus. Tibiae anticae subincurvae, compressiusculae, calcare longo incurvo. *Pedes medii* reliquis longiores et validiores, tibiarum spina pallida, articulo tarsorum basali crassiori et subtus ciliato. *Alae* brevissimae, segmento primo abdominis vix longiores, subaequales, e membrana satis firma conflatae, opacae; anteriores cuneiformes, truncatae, ramulo costali prope apicem ad angulum fere rectum e costa emergente validiusculo; posteriores oblique, enerves.

Feminas duas, Augusto mense, cepi in horto prope *Sickershausen*. In *Westrogothia* rarius legit *Dalman*.

Mas ignotus.

6. Eupelmus *excavatus* Dalm.

E. ferrugineus, capite abdomineque nigro-aeneis, flagello nigro; thorace antice excavato coerulescente, vel concolore; terebra brevi concolore; alis nullis. *Fem.*

Synon. *Eupelmus excavatus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 382. *n.* 5. *Pterom. Suec. p.* 93. *n.* 5.

Long. lin. 1½. Statura praecedentis. *Antennae* hypostomati infero insertae; *scapus* verticem superans, dilute ferrugineis, teres linearis, *pedicellus* parvus, obconicus, viridi-aeneus, nitidus; *flagellum* capite duplo longius, nigrum, sensim et modice incrassatum, apice recto subacuminato, articulis arcte contiguis. *Caput* magnum thorace multo latius, antice visum subtriangulare, aeneum, nitidum, laeve; vertice obscuriore; fronte ad antennarum insertionem aliquantum impressa; hypostomate convexo; ore flavo. *Oculi* magni, orbiculati. *Prothorax* valde distinctus, ferrugineus, certo situ coeruleo-micans, antrorsum conico-coangustatus, basi in tuberculum minutum dorsalem elevatus. *Thorax* medius ovatus, laevis, coeruleo-micans, tegulis obscuris; antice declivis, late sulcato-depressus, subcarinatus, obscurior. *Scutellum* parvum, *ferrugineum*. *Metathorax* brevissimus, thorace multo angustior, ferru-

gineus, punctis duobus elevatis laete caeruleis nitidis notatus. *Pectus* et pleurae scutatae ferruginea. *Abdomen* thorace multo latius eodemque vix brevius, sessile, ovatum, convexum nigrum, nitidum, parum purpureo-micans. *Terebra* brevis, trium ultimorum segmentorum longitudine, nigra, oviductu ferrugineo. *Pedes* validiusculi, ferruginei; *femoribus* nonnihil arcuatis, anticis apicem versus crassioribus; *tarsi* dilutiores, unguibus nigris; *medii* reliquis manifesto crassiores subtusque ciliati, minus tamen distincte ciliisque tenuioribus, quam in reliquis hujus generis. *Alarum* vix vestigia ulla, sed earum loco thorax maculis obscurioribus notatus.

Unam hujus speciei *feminam*, mense Majo a. 1807 prope *Sickershausen* cepi in terra humida sub muscis. Alterum exemplum, ejusdem sexus, mense Augusto a. 1818 a. cl. *Zetterstedt* in gramine ad litus maris *Scaniae* captum, descripsit *Dalman* l. c.

Mas latet.

? 7. EUPELMUS *rufescens* Dalm.

E. ferrugineus, nitidus, antennarum scapo pedibusque pallidioribus; abdomine aeneo; flagello nigro, apice albo; terebra non exserta; alis fere nullis. *Fem.*

SYNON. ? *Eupelmus rufescens Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 383. *n.* 6. *Pterom. Suec. p.* 94. *n.* 6.

Long. vix lin. 1. *Antennae* mediae fronti inter oculos insertae, valde approximatae; *scapus* verticem multum superans, gracilis, linearis, ferrugineus; *pedicellus* ferrugineus; *flagellum capite* vix duplo longius, gracile, lineare, teres, glabrum, nigrum, articulis aequalibus contiguis, *articulo terminali albo.* *Caput* thorace multo latius, rotundatum, convexum, laeve, impunctatum, rufo-ferrugineum, nitidissimum, certo situ caeruleo-micans, versus os lutescens; *frons* convexiuscula, ad antennarum insertionem parum impressa. *Os* capiti concolor, *mandibulis* nigris. *Oculi* mediocres, oblongi, in exsiccato obscuri, usque ad dimidium capitis descendentes. *Thorax* luteo-ferrugineus, nitidus, impunctatus; *prothorace* brevi, valde convexo, subgloboso. *Scutellum* parvum, parum distinctum, caeruleo-micans. *Metathorax* crassus, abruptus. *Pectus* ferrugineum, *laminis pleurarum* distinctis politis. *Abdomen* thorace paulo longius, conico-acuminatum, obscure rufum, aeneo-micans. *Terebra* nigra, non exserta. *Pedes* pallide ferruginei; coxis saturatioribus; unguibus nigris: *me-*

medii reliquis manifesto longiores, *tarsis* crassioribus, articulis apice ciliatis. *Alarum* tegulae obscuriores, caeruleo-micantes. Ipsae *alae* maxime incompletae, metathorace multo breviores, obsoletae, ovatae, albae.

Unum exemplum, feminei sexus, a. cl. *Zetterstedt* Julio mense in *Scania* lectum est (*Dalman*). *Mas* ignotus.

Observ. Dalmano auctore speciem hanc, nobis non visam, hoc loco introducimus, quae media quasi inter *Eupelmos* et *Encyrtos*, illis *scutello* minore et habitu, his *terebra* non prominente magis accedere videtur.

GENUS VIII.

SIPHONURA.

Nomen a *σίφων*, tubus, siphon, et *οὐρὰ* cauda, ob abdomen feminae apice siphonis ad instar tubulosum.

Antennae fractae, fronti mediae insertae, duodecimarticulatae; flagello apicem versus incrassato, articulis plerisque transversis contiguis. *Alae* nervo subcostali ante medium costae conjuncto et cum ea ultra mediam alam excurrente; ramulo stigmatico brevi trans mediam alam oriente, recto. *Pleurae* suturis divisae. *Abdomen* thorace longius, sessile, subcylindricum, dorso saepe punctis impressum; segmentis ultimis in femina abrupte contractis, tubuliformibus. *Terebra* prope a basi abdominis orta, canali ventrali recepta, parum vel non prominens. *Pedes* aequales.

Mandibulae bidentatae.

Character naturalis.

Oris partes *Torymi*, sed *antennae* differunt, et *mandibulae* bidentatae, corporis singulari structurae conjunctae, generi novo exstruendo materiam praebere videbantur. *Antennae* duodecimarticulatae, paulo infra mediam frontem insertae; *radicula* parva, oblique ovata; *scapus* longitudine vix dimidii flagelli, oblongo-lanceolatus, compressus; *pedicellus* obconico-clavatus, trium insequentium articulorum flagelli longitudine; *flagellum* fusiformi-clavatum, articulo primo (i. e. quarto antennae) minimo, transverso, vix distinguendo, reliquis ad penultimum usque cunctis transversis, subpateraeformibus et diametro modice crescentibus,

extremo ovato obtuso, praecedentibus multo majore. *Palpi* breves, subaequales, filiformes. *Alae* omnino *Torymi.*

Habitus coactus, validus. *Color* obscurus, metallicus vel niger. *Caput* thorace non latius, fronte modice depressa. *Prothorax* brevis, antice conico-angustatus. *Thoracis* dorsum convexum, tricolle. *Scutellum* parvum. *Metathorax* brevis, convexus. *Abdomen* longitudine fere capitis et thoracis, sessile, ovatum vel subcylindricum, dorso convexum, segmentis anterioribus subaequalibus, singulis medio punctis magnis variolosis, vel subsparsis vel in series transversales dispositis, impressis, et praeter haec etiam punctulatis et pilis in quibusdam inspersis; postrema duo, abrupte contracta, in femina tubulum brevem rectum constituunt; in mare retracta vix conspiciuntur. *Terebra* feminae, ut in *Pteromalis* et *Cleonymis* prope basin ventris, modice carinulati, vel ex ejus medio egressa, in carinula ventrali latet et tubulum analem perforat, quem parumper excedit vel aequat. Structura terebrae communis reliquorum hujus familiae. *Pedes* mediocres, aequales, structurae communis, corpori maximam partem concolores. *Alae* hyalinae, vel subobscurae. De *Metamorphosi* nihil certi constat.

1. Siphonura *variolosa.*

S. nigro-violacea; abdominis segmento secundo et tertio transversim cicatricosis, terebra longitudine tertiae partis abdominis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* nigrae, scapo, violaceo-aeneo. Corpus subpubescens. *Caput* et *thorax* atro-caerulea, parum nitida. *Abdomen* ovatum, convexum; segmento primo subtilissime punctulato, nigro-caeruleo, nitidiusculo; reliquis atris, opacis, ad solem violaceo-micantibus, secundo et tertio in medio punctis variolosis, in strigam transversalem dispositis, impressis, antice vero et postice, ut et reliquis segmentis totis, confertim punctulatis. *Terebra* feminae prope a basi abdominis orta, tubuloque anali vaginata, longitudine tertiae partis abdominis prominet, nigra. *Pedes* atro-violacei; tarsis pallidis, apice nigris. *Alae* hyalinae.

Mas differt a femina: *ano* obtuso; *strigis* variolosis segmentorum *abdominis* crassioribus et magis illorum medio impositis, cum in femina basi paulo propiores videantur; *tarsis* rufis.

Cepi exempla complura utriusque sexus locis humi-

diusculis prope *Sickershausen*, tum in floribus, tum maxime feminam in sepibus, e Pruno spinosa constructis, et inter gramina ad ripas rivulorum, Julio, Augusto et Septembre mensibus.

2. Siphonura *brevicauda.*

S. aeneo-viridis, nitida, antennis fuscis; abdominis segmentis secundo et tertio transversim cicatricosis; terebra parum ultra anum exserta; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1½. Differt a praecedente, cui quoad sculpturam valde similis: *statura* paulo majore; *colore* universi corporis laeto, aeneo-viridi, nitido; *antennis* fuscis; *abdomine* concolore et solo apice paulo obscuriore; *terebra* paululum tantum e tubulo anali prominente, nigra, hirsuta.

Sculptura segmenti secundi et tertii abdominis in utroque sexu aeque distincta, crassa, medio cuique segmento inarata. *Tarsi* rufi, unguibus nigris. *Alae* hyalinae.

Mas feminae simillimus, coloris paulo saturatioris, ano obtuso.

Cepi *marem* Augusto mense in Quercu, *feminam* medio Octobre sub foliis Quercus deciduis aridisque prope *Sickershausen.*

3. Siphonura *sericea.*

S. aeneo-viridis, sericeo-micans; antennis nigris; abdominis segmentis omnibus basi duplici serie punctorum impressis setosisque; *terebra* non exserta; alis fuscescentibus. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2. Statura majore et colore sericante a praecedentibus satis differt. *Antennae* nigrae; *scapo* subaeneo, longitudine tertiae partis flagelli. *Caput*, *thorax*, *pectus*, aeneo-viridia, laevia, glabra, colore ipso sericum quoddam fingente, leni, parumper nitente. *Metathorax* declivis, magis nitens. *Abdomen* ex ovato subcylindricum, convexum; segmentis singulis basi viridi-lucidis, serie duplici transversali punctorum impressorum, non adeo grandium, notatis, ibidemque setosis, setulis retroversis. *Terebra* ventris sulculo inclusa, ani tubulum in femina non superat. *Pedes* subaenei, tibiis basi et tarsis testaceis; unguibus fuscis. *Alae* obscure hyalinae, fuscescentes.

Mas feminae simillimus, *antennis* longioribus *abdomineque* obtuso differt.

Cepi *marem* et *feminam* Novembre mense sub foliis deciduis (quercinis); feminam etiam ineunte Augusto iisdem in locis in Quercu deprehendi prope *Sickershausen.*

GENUS IX.

CLEONYMUS Latr.

Sensus nominis me fugit, nam certo a κλέος, fama, et ὄνομα, nomen, derivari non potest.

Cleonymus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 29. *n.* CCCCLVI. *Cleonymus Div. Spin. Classif. Dipl. in Ann. du Mus. VII. p.* 149. *n.* 10. *Diplolepidis specc. Fabr. Spin. (Div. III). Chalcidis spec. Fabr. Ichneumonis specc. de Geer. Vill. Rossi, Walck. Pteromali specc. Swed. Dalm. Cyniphis spec. Latr. H. N. Halticopterae specc. Spin.*

Antennae fractae, fronti inferae insertae, undecimarticulatae; flagello apicem versus paulo crassiori, subcylindrico, articulis distinctis. *Alae* nervo subcubitali ante medium costae conjuncto et cum ea ultra mediam alam excurrente; ramulo stigmatico trans mediam alam orto in discum alae descendente, recto. *) *Prothorax* antice attenuatus, subconicus. *Pleurae* plerisque suturis divisae, in una specie scutatae. *Abdomen* thorace longius, sessile, depresso-trigonum, in femina acuminatum, ventre carinato. *Terebra* non exserta.

Mandibulae bidentatae. *Labium* integrum. *Palpi maxillares* quadriarticulati; *labiales* triarticulati.

Character naturalis.

Mandibulae sub clypeo brevi fere reconditae, angustae, arcuatae, bidentatae, dentibus subaequalibus. *Maxillae* breves, *mala* dilatata, rotundata, bifida. *Palpi* maxillares mala paulo longiores, quadriarticulati, articulis tribus anterioribus subaequalibus, extremo majori obtuso. *Mentum* breve, corneum, truncatum. *Lingua* integra, brevis. *Palpi labiales* linguam vix excedentes, triarticulati, extremo articulo paulo crassiori. *Antennae* hypostomati infero insertae, undecimarticulatae; *radicula* brevis-

*) In specie una, *Encyrtis* affini, ramulus iste abbreviatus est et minimus.

sima; *scapo* ratione flagelli brevi; *pedicello* validiusculo, obconico; tum primo *flagelli* articulo (seu quarto antennae) minutissimo, sequente (quinto) quatruplo minore, hoc ad decimum usque cylindricis, subaequalibus, crassitie parum crescentibus; undecimo, seu extremo, oblongo-conico, acutiusculo obtusove, obsolete biannulato, ut e tribus articulis arcte contiguis constructus esse videatur. *Alae* ut in praecedentibus; sed nervulus stigmaticus paulo magis in discum descendit, quam in illis.

Habitus Pteromali, sed pleraeque species paulo angustiores. Corpus laeviusculum, glabrum; *color* plerisque metallicus. *Alae* saepe maculatae. *Caput* latitudine thoracis; vertice angusto; fronte non depressa. *Prothorax* basi latitudine thoracis, haud admodum longus, apice conico-coangustatus. Lobus medius, seu *thorax* proprie dictus, antice convexus, elongato-quadratus, margine postico rotundato; scapulae parvae, angustae. *Pleurae* plerisque planae, suturis duabus obliquis divisae; in una specie, anomala, integrae, *Encyrtorum* ad instar scutiformes. *Scutellum* parvum. *Metathorax* brevis, convexus, laeviusculus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, vel longius, triquetro-conicum, apice attenuatum, dorso plano, ventre carinato, ano feminae acutissimo; primum segmentum reliquis non majus basi repente contractum, ut abdomen fere pedicello minuto affixum videatur. *Terebra* haud procul a basi abdominis orta, canali ventrali inclusa, ultra abdominis apicem non extenditur. *Pedes* aequales; *femoribus* inermibus, posticis paulo crassioribus.

De *metamorphosi* nihil constat.

a. *Pleuris suturatis; ramulo stigmaticali elongato.*

1. Cleonymus *bimaculatus.*

Cl. niger, vel nigro-aeneus; scutello abdomineque aurato-cupreis, scapo antennarum pedibusque rufis; alis maculis duabus fuscis. *Fem.*

Synon. *Chalcis bimaculata Fabr. Syst. Piez.* p. 166. n. 26.

Ichneumon bimaculatus Fabr. Ent. syst. II. p. 186. n. 220.

Long lin. 2½. *Antennae* nigrae; *scapo* fronte altiori, rufo. *Caput* et *thorax* punctulata, glabra, e nigro aenea, in aliis omnino fere nigra. *Scutellum* et *metathorax* cuprea, in nonnullis subaurata. *Abdomen* capite thoraceque longius, subulato-attenuatum, dorso planum, laeve, cupreum, vel cupreo-auratum, concolor. *Terebra* recondita.

Pedes toti rufi; unguibus nigris. *Alae* angustae, hyalinae, maculis binis discoidalibus obsoletis, una post alteram posita.

Habitat Halae Saxonum (*Fabricius*, teste Hübnero). Prope *Sickershausen*, Octobre mense, unam *feminam* cepi. Mas latet.

Adnot. Cl. Fabricius maculas alarum „marginales" perhibet, quae in nostro potius discoidales, et forte in recentioribus tantum cum margine confluentes.

Variat:

β. colore fusco-viridi-aeneo; *ventre* basi rufescente; maculis *alarum* in arcum latum costalem connatis. Long. lin. 3.

Capta, prope *Sickershausen* locis editis, d. 9. Septembris a. 1810.

An distincta species? Conferatur cum *Cleonymo depresso n.* 5.

2. Cleonymus *quadrum.*

Cl. niger, subaeneus, antennarum scapo abdominis basi pedibusque rufis; alis maculis duabus atris costalibus. *Fem.*

Synon. *Diplolepis quadrum Fabr. Syst. Piez. p.* 152. *n.* 16. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 161. *n.* 14.
Ichneumon quadrum Fabr. Ent. syst. II. p. 186. *n.* 219.

Long. lin. 1½. Praecedenti simillimus et forte ejus varietas, sed differt: *colore* paulo obscuriori, *abdomine* basi rufo et *maculis alarum* magis conspicuis costaeque contiguis. *Caput* fusco-aeneum; hypostomate virescente. *Antennarum scapus* rufus; *flagellum* fusco-ferrugineum, apicem versus obscurius et fere nigrum. *Thorax* niger, subaeneus. *Metathorax* viridis, nitidus. *Abdomen* ut in praecedente conico-triquetrum; primo segmento secundoque basi rufis, reliquis nigris. Venter basi latiori tractu rufescens, quam tergum. *Pedes* toti rufi; unguibus nigris. *Alae* hyalinae, maculis duabus magnis subquadratis costalibus nigris.

Cepi *feminam*, Augusto et Septembre mensibus, *Sickershusae* in horto. Rarum in *Liguria* obvium esse, cl. *Spinola* l. c. refert, a se in Galla coronata mispiliformi quercus ramorum (quam *Cyniphis Quercus Tozae* Fabr. gallam esse, missis exemplis edocti sumus), inventum; alterum etiam ejusdem individuum a cl. *Bonellio* sibi tradi-

tum esse. *Halae Saxonum* Hübnerus primus invenit. (*Fabricius.*)

Mas non notus.

3. Cleonymus *bicoloratus.*

Cl. viridi-aeneus, antennarum scapo, abdominis basi pedibusque testaceis; alis hyalinis, immaculatis. Fem.

Synon. *Cleonymus bicoloratus Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 149.

Diplolepis bicolorata Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 221. *n.* LXXV.

Long. lin. 2½. *Antennae* nigrae, *scapo* testaceo. *Caput* saturate viridi-aeneum; *mandibulis* nigris; *palpis* pallidis. *Thorax* viridi-aeneus; *prothorace* angustiore, producto. *Abdomen* capite thoraceque longius, elongato-conicum, dorso planum; segmentis duobus anterioribus obscure testaceis; reliquis nigris; extremo producto acutissimo. Venter basi testaceus, apice niger. *Terebra* a segmento primo ventrali prodiens, abdomen longitudine non transgreditur, deorsum deflectenda, quo cum ventre angulum 45° efficit. *Pedes* toti testacei. *Alae* hyalinae, immaculatae.

„*Habitat* in tota *Liguria* haud infrequens. Sub foliis Coryli Avellanae imaginem saepe deprehendi. *Spinola* l. c.“

Adnot. I. *Terebra* in hujus generis speciebus prope a basi ventris oriens, quum motu insecti spontaneo, vel arte, e canali ventrali dimoveatur, deorsum flexa cum abdomine angulum describat necesse est. Hanc notam autem, ad statum transeuntem respicientem, stabilem esse existimans, cl. *Spinola* in sua dispositione Diplolepidum divisionem tertiam, *Cleonymo* generi respondentem, obscuriorem reddidit.

Adnot. II. *Cleonymus cingulum* Spin. Classif. l. c. mihi ignotus est.

4. Cleonymus *immaculatus.*

Cl. viridi-aeneus, abdomine cupreo; antennarum scapo pedibusque rufis, flagello fusco; alis hyalinis, immaculatis. *Fem.*

Long. lin. 1¼. Corporis statura omnino fere praecedentis. *Caput* e viridi aureum, fascia aurea infra antennas. *Antennae* capite paulo longiores, fuscae; *scapo* angusto, brevi, rufo. *Thorax* totus cum *pleuris*, et *pec-*

tore aeneo-viridis. *Scutellum* parvum, thoraci concolor. *Metathorax* etiam aeneo-viridis, convexus, laevis, linea dorsali elevata. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, dorso depressum, postice subulatum, ex aureo cupreum. Venter basi convexo-gibbus. *Coxae* virides. Quod reliquum est *pedum* rufum; femoribus posticis saturatioribus. *Alae* hyalinae, purae, immaculatae.

Unum exemplum, feminei sexus, die 5. Maji a. 1811 in Pruno Pado locis sylvaticis prope *Sickershausen* cepi. De mare nihil constat.

5. Cleonymus *depressus* Latr.

Cl. obscure aureus, abdomine cyaneo; pedibus flavis; alis apice late fuscis puncto marginali magno (macula) fasciaque terminali albis. *Fem.*

Synon. *Cleonymus depressus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 29. *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 149.

Diplolepis depressa Fabr. Syst. Piez. p. 151. *n.* 13. *Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 220.

Ichneumon depressus Fabr. Ent. syst. Suppl. p. 231. *n.* 220 — 21. *Coqueb. Illustr. icon. I. p.* 21. *tab.* 5. *fig.* 5.

Speciem, a me non visam, cl. Latreilleo duce, verbis *Fabricii* describam, ea, quae icon Coquebertiana ostendit, in supplementum suo loco adjiciens.

Parvus (long. lin. 2½). *Antennae* capiti concolores, extremo articulo atro. *) Corpus angustum. *Caput* et *thorax* obscure aurea, vix nitida. *Abdomen* capite cum thorace longius, lanceolatum, planum, acuminatum, cyaneum, nitidum. Terebra non exserta. *Pedes* lutei. *Alae*, secundum Fabricium albae, apice fuscae, puncto marginali magno fasciaque terminali albis, potius, secundum iconem, cinerascentes, basi albidae, arcu magno, costae mediae cruribus imposito areamque albam includente fusco, fasciaque lata alba ante apicem, qui ipse iterum fuscescit.

Habitat Parisiis, e Museo *Bosciano* descriptus a *Fabricio*.

b. *Pleuris scutatis; ramulo stigmaticali abbreviato.*

6. Cleonymus *elegans.*

Cl. viridi-aeneus, antennarum basi, scutello pedibusque variegatis flavis; alis fuscis, basi albis, ramulo stigmatico brevissimo; pleuris scutatis. *Fem.*

---

*) In icone ferruginei apparent.

SYNON. *Encyrtus elegans Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 151. *n.* 2. *Pterom. Suec. p.* 27. *n.* 2. ? *Eupelmus elegans Dalm. act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 384. *Pterom. Suec. p.* 95.

Long. 1 — $1\frac{1}{2}$ lin. „*Caput* magnum, antice visum suborbiculare, valde convexum, impunctatum; *frons* rufescens; *vertex* certo situ apparet purpureus, alias viridimicans; *oculi* magni, in exsiccato subplumbei. *Antennarum scapus* vertice humilior; *flagellum* scapo plus duplo longius, extrorsum sensim dilatatum, apice quidem non truncato, attamen sat obtuso, articulis contiguis, difficile discernendis (10 — 11)? *Caput* postice concavum, infuscatum. *Thorax* viridi-aeneus. *Scutellum* magnum, elevatum, flavum, apice nigro, piloso. *Metathorax* viridis, nitidus. *Lamina pectoralis* lateralis valde conspicua, convexiuscula, violacea, laevissima, nitida. *Abdomen* triangulare, thorace brevius, viridi-aeneum, nitidum, ano acuminato, non adscendente. *Terebra* tenuis pallida, abdominis apice non longior. *Pedes* flavi, coxis omnibus concoloribus, pallidis; *antici* immaculati; *medii* elongati, femoribus tibiisque annulo obscuro distincto, spina tibiarum apicali flava; *pedes postici* fere toti nigro-fusci, geniculis apiceque flavis. *Tarsi* pallide flavi, ungue fusco. *Alae* fuscae, basi ad tertiam fere partem hyalinae; nervus submarginalis in costam distincte et sat longe productus, apice emittens ramulum stigmaticalem perbrevem, punctiformem."

Habitat in *Westrogothia* rarissime. Unum exemplum, in Museo *Gyllenhaliano* asservatum, a *Dalmano* verbis huc translatis descriptum est.

Adnot. Proprii generis esse hoc insectum, vix est, quod dubites. Differt a *Torymo* genere, cui ramulo stigmatico abbreviato convenit, *pleuris* scutatis, *abdominis* forma, *terebra* recondita; ab *Eupelmo ramuli stigmatici* exiguitate et *terebra* inclusa, tarsorum medii paris *scopa deficiente* etc.; ab *Encyrtis* paesertim *nervo subcostali* alarum longe producto et forma *prothoracis* recedit; a *Cleonymis* etiam aberrat: *pleuris* scutatis, *abdomine* brevi, *ramulo stigmatico* brevissimo.

GENUS X.

PTEROMALUS Swed.

An a *πτερὸν*, pluma, ala, et *μαλλὸς* seu *μαλὸς*, cirrhus, crinis? Swederus Pteromali nomine omnem hanc familiam comprehendens, ad antennas *Eulophorum* quorundam *plumatas* adlusisse videtur.

Pteromalus Swed. Acta Holm. a. 1795. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 31. *n. CCCCLIX. Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 136. *n.* 9. *tab.* 1. *fig.* 29 — 31 (*antenna ala, abdomen*). *Halticopterae Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148. *n.* 9. *specc. Callitulae Spin. l. c. p.* 151. *n.* 20. *specc. Diplolepidis specc. Fabr. Spin. Div. II. D. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 215 *sqq. Cleptis specc. Fabr. Ichneumonis specc. Lin. Vill. Schrank, de Geer, Réaum. Rösel. Cyniphis specc. Oliv. Latr. H. N.*

Antennae fractae, fronti mediae insertae, novem- ad undecimarticulatae; scapo tenui; flagello crassiori, subfusiformi, articulis subaequalibus contiguis. *Alae* nervo subcostali ante medium costae conjuncto, et cum ea ad apicem fere excurrente, ramulum stigmaticum plerumque excedente; ramulo stigmatico trans mediam alam orto, distincto, versus discum alae descendente. *Prothorax* brevis, antice non productus (transverse linearis). *Pleurae* planae, suturis distinctae. *Abdomen* sessile, ovato-trigonum, depressum, in femina apice attenuatum et magis minusve adscendens. *Terebra* in carinula ventrali latens.

Mandibulae apice dilatatae, quadridentatae. *Lingua* integra, cucullata. *Palpi* filiformes, *maxillares* quadriarticulati, *labiales* biarticulati.

Character naturalis (a *Pteromalo variante*, cum aliis pluribus comparato, derivatus).

Clypeus brevis, non discretus. *Labrum* transversum, deflexum. *Mandibulae* validae, arcuatae, apicem versus dilatatae, quadridentatae, dente infero profundiori acutiori, superis subtruncatis. *Maxillae* labio longiores, idemque arcte amplectentes; *stipes* compressus, membranaceus, facie infera cornea, lanceolata, introrsum ante apicem parum dilatata, convexa, laevi, ciliata; *mala* membranacea, stipitis longitudine at multo latiore, securiformi, biarticu-

lata, articulo infero maximo, introrsum rotundato et prominente, supero parvo semi-circulari, linea obscuriori ab articulo inferiori discreto, margine supero ciliis longis cincto. *Palpi maxillares* malas longitudine ultimi articuli superantes, rectiusculi, filiformi-subclavati, quadriarticulati; articulis primo et secundo subaequalibus, subcylindricis, basin versus paulo angustioribus, tertioque minori obconico parum pubescentibus, quarto duorum praecedentium simul sumptorum longitudine et paulo crassiori, subcylindrico, basi angustiori, apice introrsum oblique rotundato, obtuso, longius crinito. *Labium*: *mentum* corneum, ovatum, convexum, laeve, glabrum, apice truncatum, integrum; *lingua* menti longitudine, membranacea, rotundata, integerrima, fornicata, seu lateribus decurvis subtus concava, minute ciliata. *Palpi labiales* linguam non superantes, eidemque appressi, filiformes, biarticulati, articulis aequalibus; primo obconico; secundo oblongo obtuso subciliato. *Antennae* decem-vel undecimarticulatae, mediae fronti fere insertae; *radicula* brevissima, in foveola frontali latente; *scapo* longitudine tertiae partis, vix unquam dimidii flagelli, tereti, aequali; *pedicello* obconico; *flagello* in *femina* fusiformi-clavato, scapo crassiori; articulis septem vel octo primo minori, reliquis longitudine subaequalibus, crassitie autem a primo ad sextum modice crescentibus, tum septimo et octavo decrescentibus, hoc paulo breviori, obtuso. *Flagellum* antennae masculae longius, filiforme, articulis discretis, haud raro altero latere paulo magis prominulis, quo flagellum subserratum videtur, magis minusve pilosum, villosum vel sericans. In speciebus, antennis decemarticulatis praeditis, primus flagelli articulis cum sequente ita confluit, ut flagellum sexarticulatum videatur; his antennas novemarticulatas tribuere solent. *Alae* quales in charactere essentiali exponuntur.

Habitus. *Color* plerisque metallicus, caeruleus, virens, rariusve ater. *Punctura* densa, plerisque subtilis. *Caput* thoracis latitudine, spatio inter oculos lato. Oculi laterales, ovati. Vertex latiusculus. Occiput concavum. *Prothorax* staturae a praecedentibus plerisque diversae, *Perilampi* generis solius. *Chalcidisque* comparandus, linearis fere, transversus, margine antico arcuato capiti, postico recto excavatove margine thoraci, proprie sic dicto, contiguis. *Thoracis dorsum medium*, detractis scapulis obverse trigonum, triangulo prothoraci imposito, parum convexum. *Scutellum* breve convexum, distinctum. *Metathorax* con-

vexus, brevis, non areatus. *Pleurae* planiusculae, verticales, suturis binis obliquis divisae. *Abdomen* sessile, thorace saltem, in nonnullis capite cum thorace longius, ovatum, oblongum, conicumve, dorso planiusculum, in *femina* septemannulatum; segmentis quatuor anticis subaequalibus primo scutiformi, reliquis in dorso paulo magis, quam ventrem versus, productis; tum tribus postremis repente coangustatis, in acumen plus minusve elongatum, plerumque ascendens contractis, ano acuto. Venter planiusculus, obtuse carinatus. *Terebra* a quarto segmento ventrali ortus; cum ano ascendens, in canali ventris recondita, parum vel non ultra ani apicem emergens. *Pedes* ratione corporis breves; femoribus, posticis praesertim, crassioribus, sed non dentatis. *Alae* rarius maculatae, plerisque hyalinae, structurae non adeo tenuis. Motus agilis, saltatorius; volatus vehemens, citissimus.

Mares a feminis differunt, praeter structuram antennarum, supra indicatam, etiam colore earum, plerisque magis ad rufum fuscumve vergente, nitore universi corporis laetiore, et ubi viror in femina lucet, aureo-micante; tum vero maxime abdomine multo breviore, plano, basi contracto, apice rotundato, segmentis extremis brevibus, sub anterioribus recondendis. *Pedes* marium quorundam paulo validiores.

Metamorphosis, quantum scio, gregaria in Lepidopterorum larvis, quibus denique in Puppas mutatis, ex harum superficie, ostiolis minutis exesis, prodeunt imagines. — Aliae species in *Cyniphum* et *Ichneumonidum braconoideorum* larvis etc. metamorphosin subeunt. Solus *Pteromalus Salicis* tumores salicis (auritae) non solum incolere, sed, quod sane mirandum, etiam gignere partu suo videtur.

Adnot. Species, vix commode dividendas, ad metathoracis formam et antennarum articulationem, isti in universum numero diverso partium congruentem, respicientes, in *duas Subdivisiones* distribuimus; monendum tamen, neque hanc distribuendi methodum nobis sufficere, innumerisque affinitatum veluti annulis unam divisionem cum altera connecti.

SECTIO I.

Metathorace sub scutello prominulo thoracisque dorso magis minusve convexo. Caput plerisque crassum. *Antennae* plerisque undecimarticulatae.

1. Pteromalus *Cyniphis.*

Pt. viridis, nitidus; abdomine ovato-obtuso basi, antennis pedibusque luteis; alis immaculatis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis Cynipedis Fabr. S. Piez. p.* 152. *n.* 17.

Ichneumon Cynipedis Lin. Syst. Nat. II. p. 939. *n.* 68. *Faun. Suec. n.* 1639. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 207. n. 236. *Fabr. Ent. syst. II. p.* 187. *n.* 223.

Long. lin. $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$. *Caput* et *thorax* laevia glabra, in plerisque laete viridia, nitida. *Antennae* capite paulo longiores, totae testaceae, in varietate annulatae; *flagello* angusto, articulis sat distinctis. *Abdomen* late sessile, thorace vix longius, ovatum, ano parum acuto, planum, laeve, basi luteum, postice e fusco aeneo-nitidum. *Pedes* lutei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, purae.

Mas differt a femina: *antennarum scapo* compresso, dilatato; *flagello* septemarticulato, articulo primo et secundo longioribus, tertio ad sextum usque brevibus cylindricis, extremo elongato obscuro; ano, ob genitalia mascula prominula, apiculato.

Habitat, *Linneo* teste, in larvis *Cyniphis gallarum salicis pentandrae* intus concameratarum; nec non in puppis phalaenarum. Equidem plures cepi, tam mares quam feminas prope *Sickershausen*, Julio et Augusto mensibus in floribus Anethi graveolentis horti mei, tum multo frequentiores a Septembre ad medium Novembrem sub foliis deciduis.

Varietates:

α. Antennarum flagello annulis duobus, altero baseos, altero apici propiori apiceque nigris; fascia determinata aequali flava juxta basin abdominis. *Mas.*

Cepi, Aprili mense, in floribus Salicis auritae prope *Sickershausen.*

β. Long. lin. $\frac{3}{4}$ — lin. 1, *colore* magis aeneo, *pedibusque* testaceis magis quam luteis. *Fem.*

Cum aliis multis capta sub foliis deciduis, mense Octobre, prope *Sickershausen.*

γ. Aptera, alarum rudimentis mutilis, *antennis* basi apiceque fuscis. *Fem.*

Capta, plus uno exemplo, *Sickershusae* sub foliis deciduis.

Adnot. Descriptio *Ichneumonis Cynipedum*, „vix pulicem aequantis," quam *Linneus* in Fauna Suecica nobis re-

liquit, ad verbum cum hac nostra specie convenit, neque usquam terebrae exsertae ab eo mentionem factam invenio. Nescio igitur, quo commoti, *Dalmanus* hanc speciem inter *Torymos*, cl. *Spinola* autem inter *Diplolepides* Sectionis secundae C., terebra exserta praeditas, posuerint. Horum auctorum species ejusdem nominis, inter *Torymos* certe releganda, mihi omnino dubia restat, nisi forte *Torymo cingulato* p. 62. n. 9 sit conjungenda, cui etiam haec synonyma in antecedentibus subjunximus.

2. Pteromalus *Cingulum.*

Pt. fusco-aeneus, antennis fuscis, scapo, abdominis cingulo prope basin, femoribus apice tibiis et tarsis rufis; abdomine (maris) oblongo, obtuso. *Mas.*

Long. lin. 1 1/6. *Caput* et *thorax* subtilissime punctata, glabra, fusco-aenea, nitore pingui. *Antennae* undedecimarticulatae; *scapo* rufo; *flagello* fusco, elongato, articulis cylindricis, primo longiore (ex duobus, in unum conflatis orto, ut itaque antenna duodecimarticulata dici posset. *Prothorax* humilis, transversus, at minus, quam in reliquis plerisque hujus generis contractus. *Metathorax* inaequalis, laevis, nitens, thoraci concolor. *Scutellum* parvum, colore thoracis. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, oblongum, dorso plano-depressum, ventre compresso-carinatum; primo segmento basi fuscoaeneo, dimidio postico testaceo, quo fascia aequalis oritur; reliquis segmentis atris subviolaceis. Anus obtusus. Venter basi testaceus. *Pedes* coxis femoribusque fuscoaeneis, his apice, trochanteribus, tibiis tarsisque rufis. *Alae* hyalinae.

Marem unum cepi prope *Sickershausen.* *Feminam* non vidi.

3. Pteromalus *Larvarum.*

Pt. viridis, nitidissimus, antennarum scapo pedibusque flavis, flagello apice concolore; abdomine oblongolanceolato, fusco-aeneo; alis hyalinis. *Fem.*

Mas antennis totis abdominisque plaga media luteis.

Synon. *Diplolepis larvarum Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 162. *n.* 16 (*Mas.*). (*Excl. omnibus Synon.*)

Long. lin. 1 — 1 1/2. *Caput* et *thorax* laete viridia, laevia. *Antennarum flagellum feminae* fuscum, articulis contiguis, transverse-cylindricis; *scapus* angustus, flavus; os flavum. *Thorax* cum *scutello* et *metathorace* subtilis-

sime punctulatus, glaber, nitidus, viridis. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, oblongo-lanceolatum, planum, acutum, laevissimum, fusco-aeneum, plaga media nigro-aenea. *Terebra* recondita. *Pedes* toti lutei, unguibus nigris. *Alae* hyalinae, purae.

Mas a femina differt: *antennis* longioribus; *scapo* ut in femina; *flagello* vel toto testaceo, vel supra fusco subtus testaceo, articulis subaequalibus, discretis, villosiusculis; *capite* crassiore; *abdomine* breviore, thoracis longitudine, obtuso, dorso purpurascente, segmentis secundo et tertio in medio testaceis pellucidis; *femoribus*, posticis praesertim, basi superne nigro-aeneis.

Adnot. *Ichneumon larvarum* Lin. *Eulophus larvarum* nobis, ab hac specie distinctissimus et *Eulopho ramicorni* adeo similis, ut vix, nisi e marium antennis non ramosis et abdomine basi rufescente dignoscas.

4. Pteromalus *apicalis.*

Pt. viridis, nitidissimus, antennarum scapo pedibusque flavis, flagelli articulo ultimo crassiori atro; abdomine oblongo-lanceolato, fusco-aeneo; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. 1¼. *Statura*, *colores*, *forma* omnino praecedentis, ut necesse non sit descriptionem repetere; sed adest differentia insignis, *antennas* dico, quarum extremus articulus reliquis crassior, suborbiculatus, *atri coloris*, maxime conspicuus est. *Abdomen* non adeo in fuscum vergit, sed magis virescit. *Pedes* lutei, unguibus nigris.

Cepi unum exemplum, *feminei* sexus, autumno prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

5. Pteromalus *pallipes.*

Pt. cyaneo-purpureus, antennis pedibusque pallidis; abdomine lanceolato concolore; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Diplolepis pallipes Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 218. *n. LXXIII.*

Long. lin. 1½. Similis dicitur speciei (in opere Spinolae) sequenti (*Pteromalo varianti*), differre autem facileque distingui corpore lineari staturaque minore. *Antennae* pallide testaceae. *Corpus* totum cyaneo-purpureum. *Pedes* albidi, unicolores, coxis femorumque basi cyaneo-purpureis. *Alae* hyalinae.

Mas non notus.

Habitat in agro *Arquatensi* rarior.

Adnot. Haec *Spinola.* Equidem speciem hanc, sane ab omnibus mihi cognitis distinctissimam, non vidi.

6. Pteromalus *cuprifrons.*

Pt. aeneo-viridis, fronte cuprea; antennis totis nigris; pedibus totis rufis; abdomine conico-elongato; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. *Caput* crassiusculum, punctulatum, fronte hypostomateque cupreis, nitidissimis. *Antennae* nigrae; *scapo* subaeneo; *flagello* aequali, subcylindrico. *Thorax*, cum *scutello*, structurae solitae, subtilissime punctatus, aeneo-viridis; *metathorax* magis nitidus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, elongatum, conico-attenuatum, laevissimum, aeneo-viride, reliquo corpore paulo obscurius. *Pedes* rufi; *coxis* basi aeneis; *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, purae.

Mas differt a femina: *colore* corporis paulo obscuriori, et *antennis* fuscis, subvillosis, compressis, scapo pallidiori.

Cepi Marem et *feminam* Junio et Septembre mensibus prope *Sickershausen.*

7. Pteromalus *picipes.*

Pt. nigro-aeneus, antennis pedibusque fusco-piceis, tarsis pallidis; abdomine conico-elongato; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. ½. E minimis hujus generis. Statura omnino praecedentis, quo duplo minor. *Color* totius corporis e nigro aeneus; opacus; punctura subtilissima. *Antennae* ad dimidium thoracem vix pertingentes, fuscae; *flagello* aequali, subciliato. *Abdomen* thorace longius, angustum, conico-acuminatum, magis nitidum. *Pedes* concolores, fusco-picei; *tibiae* subtestaceae, villosulae; tarsi albido-testacei. *Alae* hyalinae.

Unum exemplum, sexus *feminei*, a. 1809 prope *Sickershausen* cepi, neque alterum usque, nec mas occurrebat.

8. Pteromalus *bimaculatus.*

Pt. aeneus, antennis pedibusque rufo-piceis, scapo testaceo; abdomine oblongo-ovato, cupreo-violaceo; alis maculis duabus costalibus nigris. *Fem.*

Synon. *Halticoptera bimaculata Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 148 ?

Long. lin. 1¼. *Caput* et *thorax* structurae communis, aenea, glabra, subtilissime punctata. *Antennae scapo* testa-

testaceo; *flagello* aequali, piceo, articulis contiguis. *Abdomen* thorace paulo longius, oblongo-ovatum, acutum e violaceo cupreum, laeve, nitidum, concolor; segmentum quartum ventrale dilatatum, unde terebra, recondita canali ventrali, egreditur. *Pedes* rufo-picei; coxis aeneis; unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, maculis duabus magnis transversalibus costae impositis nigris notatae, altera ad ortum rami stigmatici posita, altera magis postica.

Prodiere die 18. Maji a. 1808 aliquot hujus singularis speciei exempla *Sickershusi* e ramulo quercino, cui per hiemem avis exuviae praeparatae impositae fuerant. Plura autem circa earum historiam non constant. In *Liguria* passim obviam esse et novam sibi videri speciem, cl. *Spinola* per litteras mihi nunciavit.

Adnot. *Diplolepis Quadrum* Fabr., a me *Cleonymis* consociata, quoad alas magis nostro *Pteromalo bimaculato* accedere videtur; sed differt abdomine basi rufo, quod nostro omnino concolor est.

9. Pteromalus *virens*.

Pt. viridis, nitidissimus, antennis nigris, trochanteribus, tibiis tarsisque rufo testaceis; abdomine oblongo-ovato, obtuso; alis hyalinis. *Mas.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$ — 2 lin. Species inserta, aptius forte inter *Torymos* referenda, cujus sola mascula exempla vidi. Totum corpus ex aeneo laete virens, unicolor, nitidum; abdomine magis adhuc lucido. *Caput* thorace paulo latius, transversum, vertice angusto obtuso. *Frons* et *hypostoma* lata, nitida; *hypostoma* tuberculo infra antennas prominens. Os piceum. *Antennae* thoracis fere longitudine, nigrae; *radicula* brevi, *scapo* flagello plus triplo breviore, aeneo-virente; *pedicello* obconico, brevi; *flagello* articulis octo, primo perbrevi, reliquis, cylindricis, subhirtis, secundo et octavo longioribus, hoc conico-acuminato. *Oculi* ovati. *Prothorax* brevis quidem, sed conico-productus. *Thoracis* dorsum tricolle, cum scutello e viridi caerulescens, subtilissime punctulatum. *Metathorax* infra scutellum rugulosus, postica versus ruguloso-punctatus et denticulo utrinque minuto praeditus, virens. Pectus viride. *Abdomen* longitudine thoracis, oblongo-ovatum, obtusum, laevissimum, viridi-nitens; primo segmento majori, canaliculato-depresso; reliquis, anterioribus praesertim, depresso-planis. Venter obtuse carinatus, concolor. Margines abdominis ob segmenta prominula serrati. *Pedes* me-

diocres; *coxae* virides; *trochanteres* picei; *femora* postica atro-viridia, anteriora fusco-atra, omnia apice piceo-rufi; *tibiae* et *tarsi* testacea; hi apice fusci. *Alae* hyalinae; nervulo stigmatico brevi, nigro, apice incrassato.

Cepi mense Majo prope *Sickershausen* et alterum exemplum in collectione cl. *Geyeri*, *Carlsruhae*, vidi. Femina non nota est.

10. Pteromalus *obscurus*.

Pt. viridis, opacus; antennis nigris, trochanteribus, femoribus, tibiis tarsisque testaceis; capite thoraceque crassis abdomine triquetro-subconico, viridi, nitente; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^3/_4$ — 2. *Caput* latitudine thoracis eidemque arcte contiguum, vertice latiusculo, dense et evidenter punctatum, aeneo-saturate-virens, opacum. *Frons* et *hypostoma* lata, convexa, paulo magis nitida. *Mandibulae* piceae. *Oculi* ratione capitis parvi, subrotundi, laterales. *Antennae* mediae fronti insertae, ad medium thoracem non porrigendae; *scapus* aeneus, basi piceus; *pedicellus* brevis, obconicus; *flagellum* subaequale, nigrum, articulis contiguis, subcylindricis. *Thorax* brevis, latiusculus, convexus, punctura et colore capitis; *prothorax* linearis, antice truncatus, postice arcu thoracem cingens. *Scutellum* magnum, rotundatum, convexum, punctura et colore thoracis. *Metathorax* brevis, convexo-declivis, reticulato-rugulosus, subnitens, concolor. *Abdomen* thorace paulo longius, dorso planum, oblongo-triquetrum, conico-acuminatum, viridi-nitidum, laeve. Venter carinatus, concolor. *Terebra* recondita. *Coxae* virides. *Trochanteres* laete testacei. *Femora* structurae communis, anteriora fusco-aenea, postica viridi-aenea, cuncta apice laete testacea, sed antica latiori spatio. *Tibiae* et *tarsi* rufo-testacea, hi apice parum obscuriores. *Alae* hyalinae, nervo subcostali et stigmatico ferrugineo, isto punctulo nigro terminato.

Mas differt a femina: *antennarum flagello* fusco, longiori, magis acuto, *abdomine* thoracis vix longitudine, eodemque angustiori, oblongo, obtuso, dorso depresso, et in medio subcupreo.

Feminam cepi mense Julio in Ononide spinosa prope *Sickershausen*. *Marem* in collectione cl. *Geyer*, *Carlsruhae*, vidi et descripsi.

A praecedente specie *colore viridi-opaco*, *capite tho-*

raceque crassioribus, *prothorace* et *metathorace* brevioribus abunde differt, magisque accedit *Pteromali variantis* individuis majoribus. Ab his autem e *scapo* aeneo, *colore* et *punctura* facile dignoscitur.

11. Pteromalus *dubius*.

Pt. aeneo-virescens vel nigro-aeneus, glaber, antennis fuscis, scapo viridi-aeneo, trochanteribus, femoribus apice, tibiis tarsisque testaceis, tibiis posticis in medio fuscis; abdomine conico-acuminato, cupreo; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$. Statura fere refert praecedentem, mole minutum; sed caput paulo minus. *Color* magis aeneus in femina subniger. *Antennarum flagellum* breve, subcylindricum, tenue, fuscum; *scapus* aeneus, virescens. *Thorax* cum *scutello* colore capitis, punctulatus, glaber. *Metathorax* rugulosus, magis nitidus. *Abdomen* thorace paulo longius, conico-acuminatum, planum, cupreum, nitidum. *Coxae* colore corporis. *Femora* nigro-fusca, subaenea, apice, *trochanteres* omnes, *tibiae* anteriores totae, posticae basi et apice, tum *tarsi* cuncti testacei; *ungues* fusci. *Alae* hyalinae, puncto nullo rami stigmatici.

Mas differt a femina: *flagello* antennarum paulo longiori et *abdomine* oblongo, obtuso, etiam, ut in praecedente specie, thorace angustiore et paulo breviore. Cepi *mares* et *feminas* Majo, Junio et Julio mensibus prope *Sickershausen*.

12. Pteromalus *tibialis*.

Pt. aeneo- vel nigro-caerulescens virescensve; antennis fuscis, scapo aeneo; femoribus apice, tibiis tarsisque laete flavis; abdomine ovato-lanceolato, acuminato, concolore; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{3}{4}$ — 1. Structura praecedentis, a quo differt: *colore*, *antennis* paulo longioribus, *abdomine* breviore et paulo latiore, *trochanteribus* concoloribus, parum piceis, sed, *femorum* apicibus, *tibiis* et *tarsis* flavis, nec vero testaceis, posticis concoloribus.

Mas a femina distinguitur: *antennis* paulo longioribus, articulis *flagelli* octo, subcylindricis, brevibus tamen, discretis, pulchre ciliatis, et *abdomine* obtuso, ratione thoracis minori.

Quoad colores duae *Varietates* occurrunt, quae forte tot species habendae.

α. Aeneo-caerulescens, vel laete virens (mares), vel obscure caerulescenti-aeneus (feminae); femoribus apice, tibiis et tarsis flavis. *Mas. Fem.*

Cepi individua utriusque sexus, promiscua, Augusto, Septembre et Octobre mensibus in hortis et dumetis prope *Sickershausen*, semel, die 20. Augusti a. 1812, marem feminae copula junctum offendi.

β. nigro-caeruleus, femoribus apice, tibiis et tarsis *albidis*. *Mas. Fem.*

Marem cum *femina* ejusdem coloris junctum die 27. Julii a. 1812 cepi in Anethi graveolentis horti floribus prope *Sickershausen*, iisdemque in locis eodemque tempore plura utriusque sexus exempla legi. Marem etiam medio mense Martio in Salicis Cupreae floribus inveni.

Observ. A *Pteromali ovati* (n. 16) minoribus exemplis, statim *scapo antennarum* aeneo nec rufo, et *femoribus* nigro-aeneis distinguitur.

13. Pteromalus *scabriculus.*

Pt. aeneus, albido-scaber, antennis nigris, scapo aeneo, tibiis et tarsis basi albidis; abdomine oblongo, nitido, segmentis basi punctulatis lituraque albido-scabra utrinque notatis; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2. Statura communis hujus subdivisionis, et maxime *Pteromali cuprei* (n. 14), sed differt *antennis* gracilioribus, totis fuscis, scapo basi parum rufescente; *abdomine* magis oblongo, punctulato, et *pubescentia* singulari.

Antennae nigro-fuscae. *Caput* et *thorax* aenea, punctulata, pilis brevibus albis erectis scabra. *Prothorax* brevissimus, antice truncatus, linearis, postice arcuatus. *Metathorax* paulo magis nitens et glaber. *Pectus* glabrum. *Abdomen* thorace longius, oblongum, conico-acuminatum, dorso depressiusculum; segmentis basi punctulatis, opacis postice laevibus, nitidis, ab utroque latere ad basin macula trigona e pilis appressis albo-micantibus orta, notatis, quae maculae in binis ultimis segmentis in strigam confluunt. *Venter* carinatus, segmentis basi pilis depressis albis vestitis. *Pedes* fusco-subaenei, tibiis basi et apice albidis, tarsis albidis, unguibus fuscis. *Alae* obscure hyalinae.

Mas feminae quoad structuram, colorem, et pubescentiam simillimus, *antennis* differt, *Eurytomarum* marium antennis similibus, undecimarticulatis elongatis; *radicula* brevissima, parum rufescens; *scapus* nigro-aeneus, fusi-

formi-cylindricus, laevis, glaber; *pedicellus* subglobosus, glaber, concolor; *flagellum* fuscum, primo articulo elongato cylindrico, pedicello contiguo, ab insequente articulo vero, ut idem a proximo, et sic porro, isthmo brevi angusto discreto; eodemque et reliquis omnibus in medio contractis verticillato-pilosis, extremo longo attenuato. *Abdomen* thorace brevius, oblongo-ovatum, postice ad latera pubescenti-scabrum. Genitalia mascula prominula. *Pedes* et *alae* ut in femina.

Marem et *feminam Sickershusae*, die 10. Julii a. 1811 in Anethi graveolentis horti floribus cepi.

14. Pteromalus *Seniculus.*

Pt. aureus, opacus, glabriusculus, antennis fuscis, scapo pedibusque rufis; abdomine oblongo nigro-aeneo, segmentis basi punctulatis lituraque albido-scabra utrinque notatis; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. $1^3/_4$. Affinis praecedenti *statura*, *abdominis*que segmentis basi punctulatis et maculis lateralibus albido-pilosis notatis; sed differt: *colore*, *pubescentia* corporis rarissima *scapo antennarum* et *pedibus* rufis, et *prothorace* antice magis rotundato, paulo magis producto.

Antennae graciles, longiusculae; *scapo* rufo; *flagello* fusco. *Os* piceum. *Frons* lata. *Caput* et *thorax* confertissime subtilissimeque punctulata, vix pubescentia, aurea, opaca. *Prothorax* brevis quidem, sed thorace medio paulo angustior et antica versus rotundatus, ad caput recipiendum paulum productus, pauloque magis nitens. *Scutellum* thoraci concolor. *Metathorax* nitidulus. *Abdomen* oblongum, acuminatum, convexiusculum, nigro-aeneum, laeve, nitidulum; segmentis basi punctulatis ibidemque opacioribus, et macula utrinque ad basin trigona albido-sericea, paulo minus, quam in praecedente, conspicua, notatis. *Venter* obtuse carinatus, segmentis basi punctulatis glabris. *Coxae* aeneae. Praeter eas *pedes* saturate rufi, concolores; femoribus validis. *Alae* hyalinae, purae.

Cepi unam feminam prope *Sickershausen* in frutice horti. *Marem* non vidi.

15. Pteromalus *varians.*

Pt. aeneus, vel ex aeneo virens, antennarum scapo, femorum apicibus, tibiis tarsisque testaceis; abdomine conico, magis nitido, primo segmento aeneo-viridi, nitidissimo; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis varians Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 216. *n. LXXII. (exclusis varietatibus.)*
Halticoptera varians Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 148.
Diplolepis corusca Gravenh. Verz. n. 3803.

Long. lin. 2. *Caput* latitudine thoracis, et thorax totus crassiuscule punctata, viridi-aenea, non nitentia sed potius opaca. *Mandibulae* fuscae. *Antennae* nigro-fuscae; *scapo* testaceo. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, conico-acuminatum, laevissimum, aeneum; primo segmento viridi-aeneo, nitidissimo. *Pectus* et *venter* concolora. *Pedes coxis* et *femoribus* aeneo-nigris, his apice, *tibiis tarsis*que e piceo-testaceis, *unguibus* nigris, *trochanteribus* piceis. *Alae* hyalinae, nervo costali pilis adscendentibus hirto.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, *flagello* fusco, piloso, apice compresso; *abdomine* breviore, oblongo, obtuso.

Habitat species haec, satis vulgaris, in omni fere *Europa.* In *Liguria* cl. *Spinola* primus eam observavit, sed pluribus affinibus eodem nomine confusis, certis characteribus non circumscripsit. Ego quidem, a vere in autumnum usque prope *Sickershausen* legi, neque vero contigit, metamorphosin observare, quam in Lepidopterorum larvis peragi, ex affinium specierum certa historia sequi videtur.

Adnot. Cum cl. *Spinola* sub communi *Diplolepidis variantis* nomine, l. c., plures, easque meo quidem judicio, diversissimas species commiscuisse videatur, equidem hanc formam, majoris staturae, et inter varietates, femoribus nigris praeditas, ab eo relatam, in rei memoriam „*variantis*" nomine appellandam mihi elegi.

16. Pteromalus *cupreus.*

Pt. cupreus, antennarum scapo, tibiis basi et apice tarsisque testaceis; abdomine conico, cupreo-violaceo, concolore; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis varians Var. Spin. l. c.*

Long. lin. 2. Differt a praecedente, cui maxime quidem accedit, *statura* paulo minore, *punctura* subtiliore, *colore*, *abdomine* minus conico.

Mas, feminae quoad colorem congruus, differt: *antennis* pro mare longioribus et angustioribus, *abdomine*que

obtuso breviori. Alarum nervus subcostalis ut in praecedente ciliatus.

Cepi utriusque sexus exempla Augusto et Septembre mensibus prope *Sickershausen.*

V a r i a t:

? *β colore* ex aeneo aurato; *antennis* fusco-rufis; *femoribus* rufis; *tibiis* posterioribus apice, *tarsis* iisdem basi albidis. *Fem.*

Cepi unum exemplum cum reliquis prope *Sickershausen. Mas* non occurrit.

Species distincta videtur, haud rite jamjam describenda.

17. Pteromalus *communis.*

Pt. viridis aeneusve, scapo antennarum pedibusque, exceptis coxis, totis testaceis; abdomine ovato-oblongo, subconcolore, basi viridi-aeneo, nitido; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis varians Var. Spin. l. c.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Statura brevior minorque, quam in praecedentibus. *Caput, thorax, abdomen* aenea, magis minusve virentia. *Antennarum scapus* testaceus; *flagellum* nigro-fuscum, gracile, scapo haud duplo longius. *Abdomen* thorace paulo longius, ovatum, ano conico, corpori reliquo concolor, laevissimum. *Coxae* colore corporis. *Pedes*, his non computatis, rufo-testacei, *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, nervo subcostali vix ciliato, fere nudo.

Mas, magnitudine feminae, *antennarum* flagello longiori, subaequali, fusco, villoso; *abdomine* oblongo, obtuso; *femoribus* posticis medio fuscescentibus differt.

Cepi *marem* et *feminam* vulgatissimae hujus speciei Junio et Septembre mensibus prope *Sickershausen* in agris, hortis et ad fenestras cubiculi. — *Marem*, Junio mense prope *Brunsvicum* a se lectum, benignissime suppeditavit *Gravenhorstius*, vir praeclarissimus.

Adnot. Similis *Pteromalo rufipedi* n. 13, sed differt: *antennis* tenuioribus, *scapo* longiori, *flagello* magis cylindrico, fere nigro; *thorace* angustiore.

18. Pteromalus *ovatus.*

Pt. aeneus, antennarum scapo, pedibusque testaceis, femorum clava fusca; abdomine ovato, cupreo, basi viridinitente; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis varians Spin. Var. l. c.*

Long. lin. 1¼. Colores *Pteromali variantis*, sed statura minor, brevior; punctura subtilissima; *abdomen* ovatum, breve; *femora* rufa, medio fusca; *alae* crista nervi subcostalis destitutae.

Mas solo *abdomine* breviore et apice obtuso differt.

Exempla utriusque sexus, frequentia a vere in serum antumnum observavi prope *Sickershausen*, eaque omnia magnitudine, colore, staturaque congrua.

V a r i a t:

β. Capite et *thorace* laete viridibus; *antennis* fusco-testaceis; *abdomine* paulo angustiori. *Fem.*

Capta Aprili mense prope *Sickershausen.*

19. Pteromalus *apum.*

Pt. nigro-subaeneus, depressiusculus, antennis rufo-fuscis, scapo biarticulato, pedibus testaceis, femoribus medio fuscis; abdomine ovato-conico, depresso, aeneo-cupreo; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Ichneumon Apum Retz. in de Geer p.* 283. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 211. *n.* 249.
Die schwarze Springschlupfwespe mit dunkelgrünem Anstrich, gebrochenen Fühlhörnern und braunen schwarzgefleckten Füſsen. De Geer. Ins. vers. Germ. II. 2. *p.* 193. *tab.* 30. *fig.* 29—31.

Long. lin. 1. Praecedentibus primo quidem intuitu admodum similis, sed satis diversa species, *corpore* magis depresso, *metathorace* plicato, et *antennarum* structura.

Antennae capite parum longiores, undecimarticulatae; *radicula* brevi, ovata; *scapo* longitudine dimidii flagelli, aequali, subangulato, infra medium annulo articulari cincto, et ita quasi biarticulato; *pedicello* obconico, satis magno; *flagelli* fusiformis, primo articulo brevissimo et reliquis multo angustiori, his subcylindricis arcte contiguis, secundo longiore, caeteris longitudine et crassitie aequalibus, extremo denique, seu octavo flagelli, paulo majori et crassiori, ovato obtuso, obsolete annulato. Color *flagelli* rufo-ferrugineus, *scapi* testaceus. *Caput* latitudine thoracis, vertice punctulato, nigro-aeneum. *Thorax* dorso depressiusculus, distincte tricollis, punctulatus, glaber, obscure nigro-aeneus, ejusdemque coloris etiam *scutellum. Metathorax* brevis, convexus, plicatus, laete viridi-nitidus. *Abdomen* thorace paulo longius, ovatum, planum, cupreum;

primo segmento aeneo-viridi, basi contracto. *Coxae* nigrae; *femora* nigro-fusca, basi et apice, *trochanteres*, *tibiae* et *tarsi* rufa; *tarsi* apice nigri.

Mas differt a femina: *antennis* villosis, compressis; *colore* capitis et thoracis viridi-aeneo laetiori; *tibiis* posticis apice fuscis; *tarsis* albidis, ungue fusco. *)

Metamorphosis gregaria in Apiariae cujusdam (forte Megillae generis) nido ovati, ex argilla ad muros exstructo. Imago haud rara in Umbellatarum floribus herbisque horti mei capta prope *Sickershausen*, Augusto, Septembre et Octobre mensibus.

20. Pteromalus *Salicis*.

Pt. caerulescenti-viridis, nitens, fronte, aurea, antennis testaceis, pedibus luteis, femoribus posterioribus basi fusco-aeneis; abdomine oblongo-lanceolato, cupreo; alis hyalinis, puncto ramuli stigmatici nigro. *Mas. Fem.*

Synon. *Cynips Capreae Lin. quoad notam „Habitat et in aliis excrescentiis ramorum" Syst. Nat. II. p.* 919. *n.* 14. *Faun. Suec. n.* 1531. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 74. *n.* 14. *Fabr. Syst. Ent. n.* 11. *Ent. syst. II. p.* 102. *n.* 13. *Syst. Piez. p.* 146. *n.* 15.

Long. lin. 1—1¼. *Antennae* fronti inferae insertae, capite paulo longiores, testaceae, pubescentes, dorso saepe fuscescentes, novem-articulatae; scilicet: *radicula* brevissima, tamen conspicua; *scapus* vertice brevior, aequalis, gracilis, rectus; *pedicellus* obconicus; *flagelli* crassiusculi sexarticulati articuli breves, ad diametrum quam ad longitudinem majores, contigui, primus obconicus, paulo longior, medii aequales, extremus ovatus, acutus, triannulatus, unde antennae revera undecimarticulatae habendae. *Caput* thorace fere latius, transversum, verticale; *os* rufum; *mandibulis* latis, rufis, quadridentatis, apice fuscis; *clypeus* parvus, convexus, subrotundus; *hypostoma* transversum, breve, dense et subseriatim punctulatum, tuberculo infra antennas notatum; *frons* excavata punctulata, haec cum hypostomate aurea, nitida; vertex angustus, viridis, punctulatus, subpubescens. *Oculi* magni, parum prominuli, subrotundi (in mortuis), fusci. *Prothorax* brevis, humilis, transversus, aequalis, marginibus anteriori

*) Color tarsorum pallidus in hoc genere maribus pluribus proprius.

et posteriori rectis, laeviusculus, virescens, totus fere ab occipite reconditus. *Thorax* proprie dictus ovatus, depressiusculus, punctulatus, subpubescens, caerulescenti-viridis, sulcis duobus distincte trilobus; lobo antico majori, obtrigono, postice truncato; scapularibus ovatis, postice oblique truncatis. *Scutellum* colore et punctura thoracis, obovatum, convexum, magnitudine fere lobi thoracis medii, basi utrinque foveola supra alas posticas discretum, apice obtusum, ad metathoracem paululum inclinatum magisque nitidulum, quae pars ejus linea recta transversali subtiliori ab anteriori dirimitur. *Metathorax* brevis, magis virens et nitidus, sub scutello rugulosus arcuque impresso notatus, postice laeviusculus; obtuse subcarinatus, lateribus planiusculis, apice truncatus. *Pleurae* planae, suturis duabus obliquis divisae, et *pectus* colore reliqui corporis cum nitore. *Abdomen* thorace longius sed angustius, lanceolatum, acutum, dorso depressum, basi retusum, laeve, nitidum, violaceo-cupreum; primo segmento viridi, magis nitido, ano pilosulo. *Venter* carinatus, in medio gibbus, subviolaceus, carina cuprea, postice adscendens, scilicet segmentis tribus anterioribus amplioribus, posterioribus arctius appressis, pubescentibus. *Terebra* sub tertio segmento ventrali egressa, inde a canali segmentorum posteriorum recepta, nigra, pubescens, parum ultra anum prominet, vel tota latet. *Pedes* infirmes, luteo-testacei, geniculis et tarsis pallidioribus; *coxae* colore corporis; *femora* antica macula marginis inferioris, postica basi e fusco aenea vel virescentia; *ungues* fusci. *Alae* hyalinae, nervo subcostali situ solito et ramulo stigmatico nigris, hoc satis longo et valido, puncto fusco terminato.

Mas differt a femina: *antennarum flagello* pallide testaceo vel potius luteo, septemarticulato, nonnihil tenuiori, longiori magisque pubescente, articulis paulo distinctioribus, at brevioribus, extremo etiam breviore, forte ob antecedentem nunc sejunctum, qui in femina cohaeret; tum *abdomine* thorace breviore multoque angustiore, fere lineari, basin versus paulisper angustato, apice obtuso, dorso canaliculato, magis cupreo, basi tamen brevi spatio virescente. Color corporis reliqui ut in femina. Statura paulo minor.

Habitat in tumoribus ovalibus vel oblongis polythalamis, ramulorum *Salicis* (auritae), totum ramum ambientibus et saepe gemmis perfectis praeditis, ramulo modo ad

apicem tumoris emortuo, modo ulterius continuato. An *causa* tumorum habendus sit, an *parasita* primi incolae, non audeo decidere. Qui porro pertusi inveniebantur tumores, paucis vel nullis impraegnati erant *Pteromalis*, reliqui omnes multos utriusque sexus Pteromalos, nullius autem diversi generis insecti vestigia, ut verosimile sit, tumores hoc ipsius *Pteromali* ictu et partu provocari, singulari sane in hac familia exemplo.

Gallas, seu tumores, ex quibus exempla hic descripta, pridem in iisdem emortua, cultro liberavi, legit cl. *Alexander Braun*, Carlsruhensis, juvenis dilectissimus, exeunte Aprili vel ineunte Majo mensibus, in varietate quadam humili Salicis auritae regionis uliginosae inter *Sebersbrunn* et *Starenberg* prope *Monacum*. A praecedente anno hos tumores perstitisse persuasum est.

Varietas:

? *β. Colore* nigro-viridi; *antennarum scapo* testaceo. *Mas.*

Dubius adduco hunc marem, colore obscuriori, et praesertim *scapo* reliquae antennae concolore, neque obscuriori, distinctum, quod inter plurimos mares hujus speciei, e tumoribus effossis, nullum scapo pallidiore instructum invenerim; etiam *flagelli* extremus articulus paulo crassior reliquis visus est, et triannulatus, quod secus in *Pteromalo Salicis* genuino. Sed reliqua ad verbum isti adeo respondent, ut varietatem non habere nequeam.

Cepi unum hujusmodi marem ineunte Septembre prope *Sickershausen* in frutice quodam nemoris, in quo Salix aurita magna copia crescebat.

Adnot. Nisi *Frischius*, ubi de *Ichneumone* illo *Cecidomyiae salicinae* sermo est, eidem disertis verbis „terebram exsertam“ tribueret (quam quidem figura [IV. tab. 22] non habet), et nisi de *Cecidomyiae* dictae larvis constaret, eas tumores gemmaceos, nec vero ligneos incolere, *Pteromalum* nostrum ad istam Frischianam speciem aliquis fortasse referri posse existimet. Sed satis jam videntur ea, quae hic notavi, ad probandum contrarium, quibus accedit, quod Frischius *femora* corpori concolora, et solas tibias cum tarsis pallidas (braun und weifs) esse perhibet. His commotus, Frischium ad *Torymum nigricornem* p. 59 n. 5. laudavi.

21. Pteromalus *puparum.*

Pt. obscure viridi-aeneus viridisve; antennis totis vel earum scapo saltem, pedibusque pallidis; femoribus (femi-

nae) in medio aeneo-fuscis; metathorace opaco; abdomine planiusculo, orbiculato-ovato, longitudine thoracis; in mare aureo; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Pteromalus puparum Swed. Act. Holm. l. c. Dalm. Pterom. in tabula synoptica.*

Diplolepis puparum Fabr. Syst. Piez. p. 151. *n.* 15 (*ob citatos auctores magis, quam ex definitione, quae colores nimis abhorrentes refert*).

Ichneumon puparum Fabr. S. Ent. p. 243. *n.* 8. *Ent. Syst. II. p.* 186. *n.* 221. *Lin. Syst. Nat. II. p.* 939. *n.* 66. *Faun. Suec. n.* 1636. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 206. *n.* 234. *Schrank. En. n.* 758. *Müller Zool. Dan. Prodr. p.* 159. *n.* 1855. *Füesli Verzeichniſs p.* 50. *n.* 967.

Ichneumon Antiopae Scop. Carn. n. 765.

Le Cinips des Crisalides des Papillons Geoffr. Ins. Par. II. p. 305. *n.* 24.

Die goldgrüne Springschlupfwespe mit gebrochenen keulenförmigen Fühlhörnern, gelben Füſsen und einer dicken Ader am Anhang der Flügel, in den Puppen der Schmetterlinge. De Geer. Ins. vers. germ. II. n. 2. *p.* 190 (*excl. cit. I. tab.* 35. *fig.* 14—17. *et tab.* 32. *fig.* 17—22; *quae minime hujus loci*). *Roes. Ins. II. Bomb. et Vesp. p.* 18. *tab.* 3. *fig.* 4, 5. *mas, fig. a, b. fem. Réaum. Ins. VI. tab.* 30. *fig.* 13, 14, 15. *Goed. Ins. I. tab.* 77. *hist. in Goed. expl. p.* 7. *n.* 3. *Mer. Ins. Eur. tab.* 44 *et* 52. *Frisch. Ins. IV. p.* 10. *tab. I. fig.* 5. 1. 2.

Der Puppenmörder. Müller. Syst. Nat. Lin. V. 2. *p.* 860. *n.* 66.

Die sehr kleine gesellige Schlupf- oder Viper-Wespe, die sich als Wurm in den Puppen der Tagpapilionen aufhält. Onom. Hist. nat. IV. p. 505.

Long. lin. 1¼. *Statura* praecedentis crassiore, *abdomine* breviore, magis rotundato, *punctura* magis conspicua, *metathorace* opaco, qui in reliquis nitet, satis distincta species.

Caput thorace latius, hypostomate lato, transverso, planiusculo, vertice angusto rotundato, dense punctatum, glabrum, obscure viridi-aeneum, opacum. *Mandibulae* piceae. *Antennae* longitudine dimidii thoracis; *scapo* longitudine dimidii flagelli, testaceo; *flagello* angusto, aequali,

acuto, fusco-nigro (in femina), articulis octo subaequalibus maxime contiguis. *Thorax* cum *scutello* et *metathorace* viridi-aeneus, punctatus, glaber, opacus; *prothorax* lineari-transversus, antice posticeque linea recta divisus; dorsum medium latum, parum convexum, ante scutellum triangulari-contractum et truncatum. *Scutellum* suborbiculare, convexum, punctura et colore thoracis. *Metathorax* humilis, obtrigonus, truncatus, modice convexus, dense punctulatus, opacus, thoraci reliquo concolor, utrinque sulculo impresso marginatus. *Abdomen* sessile, longitudine thoracis et eo fere angustius, orbiculato-ovatum, acutum planum, laevissimum, aeneo-auratum, nitidissimum; venter basi carinato-gibbus, concolor. *Terebra* recondita. *Pedes* mediocres. *Coxae* colore corporis; *femora* fusca nitore aeneo, basi et apice, *trochanteres* etiam omnes piceo-testacea; *tibiae* testaceae, interdum in medio apicem versus fuscescentes; *tarsi* testacei, ungue fusco. *Alae* latiusculae, hyalinae, nervo stigmatico distincto, apice paululum incrassato.

Mas feminae magnitudine par, differt: *Antennarum flagello* obscure testaceo, articulis distinctioribus, neque vero discretis neque hirtis; *colore* capitis et thoracis ex aeneo laete viridi; *abdomine* angustiore (nec vero breviore), ovato-oblongo, obtuso, convexiusculo, laete aureo; ventre planiusculo; *coxis* viridibus; *pedibus*, praeter coxas, rufis, unicoloribus, solis unguibus nigris.

Metamorphosis in pupis Papilionum, Nymphalium praesertim, e. g. N. *Urticae*, *Polychlori*, *Antiopae*, etc., gregaria; quibus, cum larva, ad metamorphosin tendens, filo pendet, feminae plures eodem tempore ova imponere tentant, maxime tamen, cum cadentibus larvae exuviis, pupa tenera adhuc ictibus exposita est. Quorum vi mox emortua pupa rigida perstat, larvisque intrinsecus corroditur. *Larvae* minutae, ovatae, ano acuto, annulatae, nigricantes; caput orbiculatum. *Pupa* pallida, structurae solitae, ex qua post octo decemve dierum quietem imagines excluduntur. Hae frequenter obviam sunt in floribus, et in fenestris aedium, aestatis praesertim mensibus. E *Nymphalis Polychlori* pupa 12. Julii a. 1808 viginti exempla utriusque sexus, ostiolo eroso, prodeuntia vidi, maresque cum feminis brevi post coibant.

Memoria dignum, quod *Geerus* refert, sibi ex una Papilionis pupa masculi tantum sexus Ichneumones hujus speciei provenisse, ex altera solas feminas. Quod quidem

non constante quadam lege ita evenire monente jam ipso auctore citato, etiam observatione propria, modo allata, probatur.

22. Pteromalus *flavicornis.*

Pt. laete viridis, antennis totis pedibusque flavis; abdomine depresso, orbiculato, thorace breviore; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Diplolepis flavicornis Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 219. *n.* LXXIV.

Halticoptera flavicornis Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 149.

Long. lin. 1⅔. *Antennae* undecimarticulatae, flavae; *scapo* tertiam antennae partem aequante. Corporis *totius* color laete viridis, nitore metallico splendens. *Mandibulae* quadridentatae, testaceae, margine interno nigro. *Abdomen thorace* brevius, rotundatum, medio dilatatum, valde depressum; segmento primo maximo, basi profunde impresso. *Terebra* vix conspicua. *Pedes* flavi, coxis tantum viridibus. *Alae* hyalinae, costa ramuloque stigmatico testaceis.

Habitat in montibus *Orerii* (*Spinola*, e Museo Bonelliano).

Varietatem dimidio minorem, in agro *Arquatensi* a se captam, refert cl. *Spinola*, l. c.

Adnot. Speciem, certo quidem distinctam, et ab omnibus, mihi cognitis, diversam, cum nullum ejus exemplum videre contigerit, ex opere cl. *Spinolae* transcripsi.

SECTIO II.

Metathorace sub scutello abrupte declivi, brevi, ad abdominis insertionem conico-angustato, saepe ruguloso. *Thorace* planiusculo.

Caput transversum, vertice angusto. *Antennae* plerisque decemarticulatae, vel, primo et secundo flagelli articulis subindiscretis, ad speciem novemarticulatis. *Abdomen* depressum, breve, primo segmento ad punctum insertionis saepe in petioli brevis cylindrici speciem contracto.

23. Pteromalus *deplanatus.*

Pt. nigro aeneus, depressiusculus, antennarum scapo pedibusque totis rufo-testaceis, femoribus fuscis; abdomine

subpetiolato, rotundato, plano-depresso, fusco aureo; ano in utroque sexu rotundato; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^1/_4$. A praecedentibus plerisque differt: *statura* minore et magis applanato corpore; *abdomine* basi in petioli formam contracto, quam ob rem *Chrysolampo* generi cum quibusdam sequentibus adjici posset, nisi reliquus habitus obstaret. *Caput* latitudine thoracis, transversum, vertice angusto, subtilissime punctulatum, nigro-aeneum. *Antennae* nigro-fuscae; *scapo* rufo; *flagellum* subaequale. *Mandibulae* rufo-ochraceae; *tridentatae* mihi visae sunt, dentibus duobus interioribus multo minoribus. *Thorax* depressus, tenuissima pube adspersus, subtilissime punctulatus, nigro-aeneus. *Metathorax* brevis, angustus, subconicus, rugulosus. *Abdomen* longitudine thoracis, at paulo latius, suborbiculare, planum, fusco-aureum; primo segmento aeneo-nitido, posterioribus angulo laterali prominulis, et abdomen apicem versus serrulatum reddentibus. *Anus* in femina acutus, acumine brevi, in mare obtusus. *Venter* planiusculus, medio obtuse carinatus. *Terebra* recondita. *Pedes* mediocres. *Coxae* nigro-aeneae. *Pes* reliquus rufo-testaceus; *femora* extus macula magna fusca; *tarsi* basi albidi, apice fusci. *Alae* hyalinae.

Mares et *feminas* primo vere et autumno ad fenestras cubiculi *Sickershusae* observavi. Majo mense in Pruno Pado, Julio aliis in floribus deprehendi.

V a r i a t u r:

β. Paulo minor, magis caerulescens, *coxis*, *trochanteribus femoribus*que basi concoloribus; *metathorace*, ut in *Pteromalo puparum*, punctulato, opaco, utrinque sulculo notato, at breviori.

Femina ano acuto; *mas* ano obtuso, antennisque gracilioribus subpubescentibus fuscis.

Cepi *marem* Julio et Augusto mensibus in floribus Pastinaccae horti prope *Sickershausen*; *feminam* Julio mense in Anetho.

A d n o t. Species distincta videtur, mihi vero non rite examinata, quae transitum quasi parat a *Pteromalo deplanato* ad *Pteromalum puparum*, in antecedentibus descriptum.

24. P T E R O M A L U S *ramealis.*

Pt. nigro-fusco-subaeneus, nitidus, antennis fuscis, pedibus piceo-rufis; abdomine depresso, suborbiculato, basin versus angustato; alis hyalinis, nervo stigmatico atro. *Mas.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Statura *Pteromali deplanati*, cui proxime affinis. *Corpus* laeviusculum, subtilissime punctulatum. Color e nigro parum aeneus nitore pingui. *Os* piceum. *Antennae* fuscae; *scapo* angusto concolore; *flagello* elongato, articulis omnibus distinctis, cylindricis, aequalibus, pubescentibus, extremo acuto. *Thorax* planus, obtuse tricollis; *prothorace* angusto arcuato. *Scutellum* colore et punctura thoracis, obtusum, conspicuum. *Metathorax* utrinque inclinatus, parte media angusta prominula, apice truncata. *Abdomen* longitudine thoracis, orbiculato-obovatum, basin versus angustius, apice rotundatum, ex aeneo cupreum; segmentis imbricatim prominulis. *Pedes* piceorufi; *coxis* colore corporis; *femoribus* basi piceis. *Alae* hyalinae, costa media ramuloque stigmatico brevi nigris.

Marem mense Majo in Pruno Pado, et Octobre mense in alio frutice prope *Sickershausen* cepi. Femina me adhuc latet.

25. Pteromalus *tarsatus*.

Pt. nigro-violaceus, tibiis tarsisque basi albidis, antennarum flagello fusco-testaceo; abdomine brevi, ovato, depresso, subcupreo; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* breves; *scapo* violaceo; *flagello* apicem versus paulo crassiori, fusco, glabro, octoarticulato, articulis contiguis. *Caput* thoracis latitudine, fronte lata, colore, uti totum corpus, e nigro violaceo, nitente. Punctura subtilis. *Thorax* cum *scutello* et *metathorace* structurae communis hujus divisionis, depressiusculus. *Abdomen* vix longitudine thoracis, ovatum, basi brevissimo spatio contractum, depressum, laeve, cupreonitens; segmento primo viridi-nitente. Anus acutiusculus. *Pedes* laete violacei, *tibiis* basi apiceque, brevissimo spatio, albidis; *tarsi* albi, ungue fusco. *Alae* hyalinae, purae.

Mas feminae ex toto similis. *Flagelli* articuli etiam in hoc contigui et glabri, extremi paululum crassitie aucti. *Abdomen* thorace multo angustius et brevius quoque, obovatum, obtusum. *Tibiae* breviori etiam spatio baseos et apicis albicantes.

Cepi *marem* et *feminam* Octobre mense in dumetis prope *Sickershausen*.

26. Pteromalus *chalybaeus*.

Pt. ater, subaeneus, tibiis posticis tarsisque omnibus pallidis; abdomine ovato, planiusculo, chalybaeo; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long.

Long. lin. 1. Similis praecedenti, sed differt *colore*, *tibiis*que posticis totis pallidis. *Antennae* feminae totae nigrae. *Caput* et *thorax* omnis cum scutello, subtilissime punctulata, laevia, nitida, nigra, parumper aeneo-micantia. *Metathorax* brevis, paulo magis micans. *Abdomen* vix longitudine thoracis, ad insertionem brevissimo spatio contractum ideoque ad speciem late sessile, ovatum, acutum, planum, laeve, chalybis colore cyanescente nitens. *Venter* subcarinatus, concolor. *Pedes* nigri, solis *tibiis* posticis tarsisque omnibus lutescenti-albidis, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, purae, tenerae.

? Mas. Long lin. $\frac{1}{2}$. *Antennae* fusco-testaceae, articulis distinctissimis. *Abdomen* spathulatum, basin versus angustatum, viridi-aeneum vel fusco-aeneum; primo segmento canaliculato-impresso. *Tibiae* omnes pallidae, medio fuscae. *Femora* etiam in alio exemplo fusca, apice rufa.

Adnot. Mares, hoc loco descripti, ad aliam speciem pertinere videntur, habeantque hunc, donec verus inveniatur, locum.

Feminam Majo mense inter frutices prope *Sickershausen* cepi. *Mares* huc citatos autem Augusto et Septembre mensibus ibidem in quercu deprehendi.

27. Pteromalus *geniculatus*.

Pt. caeruleo- vel aeneo-viridis, nitidus, ore, tibiis basi et apice tarsisque testaceis; abdomine plano, ovato, acuto, concolore; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Totum corpus in aliis e viridi pulchre caerulescit; in aliis aeneo-viride, tum abdomine laetius virente. *Caput* vix latitudine thoracis, vertice angusto; fronte hypostomateque latis, brevibus, illa subtilius, hoc cicatricose punctata. *Mandibulae* rufae vel piceae. *Antennae* decemarticulatae; *radicula* brevissima, *scapo* aequali, angusto, *pedicelloque* brevi obconico aeneo-viridibus vel caerulescentibus; *flagello* fusco, subcylindrico, subsericeo, primo articulo brevissimo, secundo longo obconico, basi, ubi alterius articuli vestigia latent, contracto, reliquis articulis cylindricis, subaequalibus, distinctis quidem sed non discretis vel remotis, extremo conico acuto longiore, in nonnullis rufescente. *Thorax* omnis cum *metathorace*, *pleuris* et *pectore* confertim punctatus, opacus. *Prothorax* antice angustissimus, linearis, utrinque ad alarum originem expansus. *Thoracis dorsum* plano-convexum, segmento medio antico obovato-trigono et scapularibus anterioribus

subaequalibus, his oblique obovatis convexis, in exemplis viridibus puncto distincto cyaneo notatis; scapularibus posterioribus minoribus, trapezoideis. *Tegulae* alarum virides. *Scutellum* magnum, elevatum, convexum, late obovatum, obtusum. *Metathorax* brevis, infra scutellum demissus, lineis quinque elevatis laevibus in areas quatuor subquadratas punctulatas divisus, quarum laterales minores sunt; postice submarginatus, truncatus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, thorace latius, orbiculato-ovatum, sessile, plano-depressum, viridi-caeruleum vel virens, nitidum; segmento primo majore, basi subretuso; reliquis omnibus basi punctulatis et, ubi abdomen colore est viridi, cupreis, unde his abdomen cupreo-fasciatum; anus acutus. Venter obtuse carinatus, apice ascendens, caerulescens vel virens, concolor, pilis aliquot brevissimis appressis albicantibus inspersus. *Coxae* et *femora* caeruleo-viridia vel viridia; haec apice parum testacea. *Trochanteres* obscure fusci. *Tibiae* anticae piceo-testaceae, in medio obscuriores; mediae fusco-aeneae, basi et apice testaceae, posticae aeneo-virides, vix basi sed apice tantum testaceae. *Tarsi* testacei, ungue subfusco. *Alae* hyalinae, purae, glabrae, nervo subcostali et ramo stigmatico nigris.

Mas long. lin. 1. differt a femina: *antennarum flagello* magis sericeo, primo articulo minuto distinctoque, secundo quam in femina breviori, reliquis crassiori, obovato, extremo praecedente parum longiori (neque, ut in femina, duplo longiori); *abdomine* oblongo, obtuso, depresso-canaliculato; *femoribus* anticis apice, *tibiis* iisdem totis, posterioribus basi et apice *tarsis*que albidis, unguibus nigris. Viridis coloris marem non vidi.

Cepi *feminam*, Augusto mense, in Pastinacca sativa horti mei, *marem* mense Septembre in dumetis prope *Sickershausen*. Alterum exemplum, sexus feminei, in Museo cl. *Geyer, Carlsruhensis*, vidi, hac ipsa regione lectum.

28. Pteromalus *reptans*.

Pt. obscure viridis, antennis fuscis, femoribus apice, tibiis et tarsis albidis; abdominis ovati brevis segmento primo basi transversim gibbo; alis hyalinis. *Fem.?*

Long. lin. $^1/_2$. Singularis hujus speciei, casu quodam in collectione mea mutilato unico ejus exemplo, accuratiori ea, quam olim ad vivum paucis verbis definitioni adjeceram,

descriptione illustrare non possum. Totum corpus ex aeneo virens, vel saturate viridulum, parum nitens. *Antennae* breves, totae fuscae. *Thorax* depressiusculus. *Abdomen* thoracis fere longitudine, ovatum, acutiusculum, aeneo-virens; primo segmento plica transversali diviso et inde gibboso, reliquis planiusculis. *Pedes* colore corporis, sed *femora* apice, *tibiae* et *tarsi* albicantes; *ungues* obscuriores. *Alae* hyalinae. Cepi mense Octobre in sylvis prope *Sickershausen.*

Species incerta, genere exempli unici, a me observati, ipso adhuc dubio.

29. PTEROMALUS *affinis.*

Pt. viridi-aeneus, antennis fuscis, scapo pedibusque flavis; abdomine oblongo, subcupreo, plaga media utriusque sexus pallida; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. maris $^1/_2$, feminae $^1/_3$ lin. *Caput* crassum, opacum, dense punctatum, viridi-aeneum. *Antennae* breves; *scapo* flavo; *flagello* fusco, articulis satis distinctis, extremo ovato crassiori. *Thorax* cum *scutello* punctura et colore capitis; *metathorax* nitidulus. *Abdomen* oblongum, acutum, e cupreo-aeneum, macula media oblonga pallida subpellucida notatum. *Pedes* flavi; *coxis* colore corporis; *unguibus* fuscis.

Mas differt a femina abdomine obtuso, et magnitudine inferiori.

Cepi mares et *feminas* mensibus Julio et Octobre in Selini Oreoselini floribus prope *Sickershausen.* De metamorphosi nihil mihi innotuit.

30. PTEROMALUS *plagiatus.*

Pt. nigro-aeneus, antennarum scapo, pedibus, abdominisque ovati plani brevissime petiolati dorso medio antico ventreque rufo-testaceis; alis hyalinis. Fem.

SYNON. *Callitula bicolor Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151.

Long. lin. 1. Caput thorace paulo latius, transversum, punctulatum, nigro-subaeneum, opacum; *vertice* angusto, hirtulo; *fronte* retusa; *hypostomate* lato, convexo. *Mandibulae* piceae. *Antennae* mediae fronti insertae; *radicula* brevissima; *scapo* fronte paulo altiori, subcylindrico, apicem versus attenuato, rufo; *pedicello* obconico, rufo-piceo; *flagello* subcylindrico, nigro, scabro, septemarticulato, primo articulo parvo cum secundo interdum veluti in

unum eumque obconicum confluente, in aliis multo angustiori, ut flagellum ad pedicellum interruptum videatur; reliquis articulis a tertio ad septimum subaequalibus, subcylindricis, diametris longitudinali et transversali subaequalibus, extremo articulo ovato acuto, antecedentibus longiori. *Thorax* cum *scutello* et *metathorace* brevis, subrotundo-ovatus, dense punctatus, nigro-subaeneus, opacus, subpubescens; *prothorax* medio thorace paulo angustior, transversus, latitudine aequali, ad alas non productus, versus nucham rotundatus; *thoracis* lobi, medius et scapulares, subaequales; *scutellum* magnum, ovatum, obtusum; *metathorax* brevis, demissus, thorace angustior, reticulato-rugosus, subarcatus, truncatus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, thorace latius, ovatum, acutum, dorso plano-depressum, laeve, nitidum; primum segmentum basi in petiolum brevem, crassum, cylindricum, subgibbosum, punctulatum, metathoracis apici supero insertum contractum, hoc autem decurvo metathoraci arcte contiguum, rufum, macula utrinque nigro-subaenea transversali notatum; secundum, tertium et quartum segmentum rufo-testacea, margine sinuato aeneo-nigro, reliqua segmenta nigro-aenea, concolora; anus acutus. Venter basi gibbus, apice adscendens, testaceus, immaculatus. *Terebra* in sulculo ventrali recondita. *Pedes*, cum *coxis*, rufo-testacei, unguibus fuscis; *coxae* anticae basi subaeneae. *Alae* hyalinae, aliquantum lutescentes, nervis luteis. Ramus stigmaticus puncto obsoleto terminatus.

Cepi *feminam* frequentem sub foliis deciduis aridis, Octobre, Novembre, et primo etiam vere, Februario mense, nunquam vero aestate, prope *Sickershausen; Carlsruhae* cl. *Geyer* legit. *Marem* non vidi.

V a r i a t:

β. Aptera, alarum vestigiis obsoletis. *Fem.*

Iisdem in locis, una tantum vice, 2. Octobris a. 1808 inveni, nullis omnino notis a reliquis distinguendam.

31. Pteromalus *assimilis.*

Pt. nigro-aeneus, antennarum scapo pedibusque totis rufis; abdomine ovato, subsessili, concolore; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. $^3/_4$. Differt a praecedente, quacum, obiter conspecta, confundi posset: *antennis* tenuioribus, *flagello* fere filiformi, articulis diametro sua longioribus; *scutello* magis tumido; *metathorace* laevi, nitido, tricarinato; *ab-*

domine basi contracto quidem in formam petioli, sed parte ista multo minus conspicua, neque distincte metathoraci supero affixa, *colore abdominis* obscuro, aeneo, vix parte petiolari parum rufescente; *pedibus* denique pallidioribus. Venter corpori concolor est, nec rufus.

Feminam unam cepi Augusto mense in nemore prope *Sickershausen.* *Mas* ignotus.

32. Pteromalus *rufipes.*

Pt. aeneus, subnitidus, antennis fuscis, scapo pedibusque totis rufis; hypostomate subtiliter punctato; abdomine ovato, depresso, concolore; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. 1. Statura coacta, omnino fere *Pteromali plagiati*, cujus forte varietas. *Caput* latitudine thoracis, subtilissime punctatum, et *thorax* aenea, nitida. *Abdomen* ovatum, thorace paulo longius; primo segmento basi in petiolum brevem cylindricum adscendentem et metathoraci supero ad nexum contracto, laeve, aeneum, nitidum. Anus acutus. *Pedes* cum *coxis* rufi, *unguibus* fuscis; solae coxae posticae aeneo-virides. *Alae* hyalinae.

Femina capta prope *Sickershausen* Octobre mense sub foliis aridis deciduis. Marem non vidi.

33. Pteromalus *punctifrons.*

Pt. aeneo-virens, nitidus, antennarum scapo pedibusque rufis; hypostomate convexiusculo, punctis sparsis cicatricosis impresso; abdomine ovato, depresso, concolore; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. 1. Differt a *Pteromalo rufipede*, cui similis, praeter colorem laetius virentem et nitorem, praesertim *capite* minore, *hypostomate*que remote cicatricoso, quod illi tantum punctulatum.

Antennae decemarticulatae; *scapo* laete testaceo; *flagello* nigro. *Caput* thorace paulo angustius, transversum, vertice angusto, hypostomate convexiusculo lato, punctis cicatricosis non adeo crebris impressum; *mandibulae* piceo-rufae. Color *capitis* et *thoracis*, tum *metathoracis* et *scutelli*, laete aeneo-virens. *Prothorax* angustus, lineari-transversus. *Metathorax* humilis, angustus, rugulosus. *Abdomen* ovatum, planum, sessile, acutum, laeve, aeneo-virens, nitidum, concolor; venter ejusdem coloris. *Pedes* cum coxis rufi, *ungue* atro. *Alae* hyalinae.

Cepi unam *feminam*, quinto Augusti, in Quercu prope *Sickershausen.* Mas non innotuit.

34. Pteromalus *glabriculus.*

Pt. virescenti-aeneus, nitidus, antennis nigris, femoribus aeneo-fuscis, apice, tibiis tarsisque rufis; abdomine ovato, plano, concolore; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. 1. Statura *Pteromali rufipedis.* Totum corpus subtilissime punctulatum, glabrum, virescenti-aeneum, nitidum. *Caput* thorace paulo angustius. *Antennarum scapus* nigro-aeneus; *flagellum* subcylindricum, nigrum. *Thorax* cum *scutello* structurae communis, convexiusculus. *Metathorax* humilis, parvus, opacus, carina media distincta praeditus. *Abdomen* basi contractum quidem, sed adeo brevi spatio, ut latius sessile videatur, thorace vix longius, ovatum, acutum, dorso planum, laevissimum, nitidissimum, virescenti-aeneum, concolor. *Coxae* fusco-aeneae. *Trochanteres* rufi. *Femora* fusco-subaenea, apice rufa. *Tibiae* rufae. *Tarsi* rufi, ungue nigricante. *Alae* hyalinae, purae.

Cepi *feminam* unam hujus speciei mense Septembre a. 1812 in Quercu prope *Sickershausen.* *Marem* non vidi.

35. Pteromalus *aeneus.*

Pt. aeneus, nitidiusculus, antennis pedibusque rufis; abdomine ovato, sessili, plano, concolore; alis disco indeterminate lutescentibus.

Long. lin. 1. *Caput* thoraci contiguum ejusdemque latitudinis; *fronte hypostomateque* transverso convexo subtilissime punctulatis, hoc subcarinato. *Antennae* breves, mediae fronti insertae, totae testaceae; *scapo* longitudine dimidii flagelli; *flagello* septemarticulato, primo articulo minuto, extremo ovato-conico majori acuto, obsolete annulato. *Color* totius corporis aeneus, parumper nitidus. *Thorax* structurae communis, subtilissime punctulatus, subpubescens. *Scutellum* ovatum, colore et punctura thoracis, apice depressiusculo. *Metathorax* quam in aliis paulo magis productus, convexus, punctulatus, opacus. *Abdomen* sessile, longitudine thoracis, ovatum, planum, acutum, aeneum, concolor. *Coxae* vel totae, vel basi saltem, viridi-aeneae. *Pedes* praeter costas rufi, *femoribus*, posticis praesertim, in quibusdam fuscescentibus. *Alae* hyalinae, disco lutescentes, sed isto colore nullis limitibus circumscripto sensimque versus ambitum evanescente.

Cepi *feminam*, Aprili mense, in floribus Salicis Capraeae, Julio autem in Quercu, locis nemorosis prope *Sickershausen.* De mare nihil constat.

36. Pteromalus *discoideus.*

Pt. aeneus, antennarum scapo pedibusque luteis; abdomine ovato, plano, concolore, basi magis nitido; alis obscure hyalinis, macula orbiculata disci fusca. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Statura omnino praecedentis, a qua differt *colore* paulum diverso, *pedibus* pallidis et *macula alarum* discoidali circumscripta.

Mas differt a femina *antennis* longioribus tenuioribus, *abdomine*que breviori, basi media rufo.

Cepi marem et *feminam*, autumno, Septembre et Octobre mensibus, sub foliis deciduis prope *Sickershausen.*

Varietas:

β. Antennis totis rufis. *Fem.*

Mense Aprili prope *Sickershausen* lecta.

37. Pteromalus *luniger.*

Pt. fusco-aeneus, antennis et pedibus fusco-piceis, scapo, genubus tarsisque pallidioribus; abdomine ovato, plano, cupreo, vel violaceo-cupreo, alis obscure hyalinis, macula costali semicirculari fusca. *Fem.*

Long. lin. 1. *Caput* et *thorax* structurae omnino praecedentis et *Pteromali aenei*, subtilissime punctulata, subpubescentia, opaca, e fusco aenea. *Antennae* mediae fronti insertae; *scapo* testaceo, vel fusco, subtus testaceo; *flagello* testaceo vel fuscescente, apice testaceo, scapo duplo longiore, thoracis dorsi medium non attingente, tenui; primo articulo minuto, secundo obconico, sequentibus diametro vix longioribus, cylindricis, extremo ovato-conico, longiori. *Scutellum* prominulum, apice depressiusculum, obtusum, colore et punctura thoracis. *Metathorax* convexus, punctulatus, opacus. *Abdomen* thorace paulo longius et latius, basi brevissime contractum ideoque ad speciem sessile, ovatum, acutum, planum, laevissimum et nitens, in aliis aurato-, in aliis violaceo-cupreum; segmento primo semper magis nitido. *Coxae, trochanteres* et *femora* fusco-picea; haec apice pallidiora; *tibiae testaceae*, in medio fuscae, anticae in aliis totae testaceae; *tarsi* testacei, ungue fusco. *Alae* lutescenti-hyalinae, macula arcuata, costae adjacente, fusca.

Variat:

α. Abdomine aurato-cupreo; *alarum* macula semicirculari, disco pallido, crure exteriori ramo stigmatico contiguo. *Fem.*

Cepi *feminam*, Majo mense, in Quercu prope *Sickershausen*.

β. Abdomine cupreo-violaceo; *alarum* macula costali disco non pellucente, subovata. *Fem.*

Vidi in collectione cl. *Geyer*, *Carlsruhae* captum exemplum, *feminei* sexus. Etiam prope *Sickershausen* inveni, Septembre et Octobre mensibus, loco non notato.

Adnot. Species tres praecedentes, primo obtuitu quidem facile distinguendae, dubito, an ejusdem speciei formae sint seu varietates, formis intermediis, deinceps forte inveniendis, connexae.

? 38. Pteromalus *minutus.*

Pt. ater, antennarum scapo testaceo, tarsis pallidis; alis nigris, basi maculisque duabus oppositis albis. *Fem.* (?)

Synon. *Diplolepis minuta Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 161. *n.* 15. *Fasc. IV. p.* 218.

Cleptes minutus Fabr. Syst. Piez. p. 156. *n.* 10.

Halticoptera minuta Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 149.

Ichneumon minutus Fabr. Ent. syst. II. p. 189. *n.* 235. *Coqueb. Illustr. icon. I. p.* 19. *tab.* 4. *fig.* 7.

Insectum, a me non visum, dubiaeque sedis, *Fabricii* verbis describam. „Parvus, *Caput* nigrum, antennarum primo articulo longiori (*scapo*) pallido. *Thorax* et *abdomen* atra, nitida, immaculata. *Alae* latae, nigrae, basi, maculisque duabus pone medium oppositis, fere coëuntibus, albis. *Pedes* nigri, apice albi.“

Habitat in *Gallia* (*Fabricius*, e Museo *Bosciano*). In montibus *Orerii*, *Italiae* (*Spinola*).

Observ. I. An *Encyrtis* adscribenda species? Icon Coquebertiana nihil circa hanc speciem illustrat. Long. lin. 1. circiter. Statura oblonga pingitur; *antennis* longis, crassis, rufis; *capite* lato; *thorace* oblongo; *abdomine* lanceolato, thorace vix breviore, sed angustiore; toto corpore cum pedibus nigro. *Ala*, seorsim auctaque magnitudine delineata, omnino *enervis* est (cum nervi in reliquis non negligantur), hyalina, fascia media apiceque spatio lato antrorsum trigono obscuris.

Observ. II. *Ichneumon tortricis* Schrank En. et *Ichneumon intercus* ejusdem, a Latreillio inter *Pteromalos* citati, incertae species, mihique inextricabiles. Si Pteromalis pertinent, vere distinctas esse novasque species, censeo, cum coloris „atri,“ qui illis adscribitur, praeter *Pteroma-*

lum minutum, nullus mihi inventus sit. Quos *Dalmanus* in tabula synoptica refert, *Pteromalum melanium* et *sordidum* non cognosco; alios ad alia genera referenda esse persuasum est.

Observ. III. *Cleptes Coccorum* Fabr. mihi *Encyrti* generis est.

GENUS XI.

PHACOSTOMUS.

A φακῆ, lens, et στόμα, os, ob palporum articulum terminalem lentiformem.

Pteromali species Dalm. in Act. Holm. a. 1820. *I. p.* 179. *Pterom. Suec. in tab. synopt. Diplolepidis spec. Dalm. Act. Holm. a.* 1818. *I.*

Antennae et *alae Pteromali. Oris* penitior structura incognita. *Palpi maxillares* articulo extremo maximo *lentiformi. Prothorax* et *pleurae*, ut in *Pteromalis. Abdomen* brevissime petiolatum.

Habitus corporis *Pteromali* cujusdam Divisionis primae, abdomine minus elongato ad secundam Divisionem transeuntis.

Mares descripti sunt. *Feminae* latent.

Adnot. Non possum, quin genus novum esse statuam species, mihi quidem nunquam visas, sed a. b. *Dalmano* quod ad *palporum* structuram attinet adeo commendatas, ut certus sim, plures characteres genericos in illis inventum iri ab observatore in minoribus magis scrupuloso. Dalmanum enim alarum corporisque universi structurae, neglectis omnino oris partibus, nimis adhaesisse, constat, quo factum est, ut etiam subtiliores corporis universi differentias, quibus haud raro certissima via ad vera genera paratur, vili penderet et ea, quae separari debebant, conjungeret.

1. Phacostomus *patellanus*.

Ph. laete viridis, nitens, punctatissimus, ore, antennis pedibusque flavis. *Mas.*

Synon. *Diplolepis Patellana Dalm. Gen. et Spec. Insect. in Act. Holm.* 1818. *I. p.* 80. *n.* 4.

Parvus, magnitudine et statura *Diplolepidis puparum. Caput* magnum, thorace fere latius, aequale, laete viride, subtiliter punctatissimum, pro antennis vix impressum. *Mandibulae* pallidae, apice fuscae. *Palpi* lutei, *articulo ultimo maximo* et forma singulari, *corpusculum* enim *globosum* vel *lentiforme* glabrum *referente*, sub gulam retrahendi. *Antennae* crassiusculae; *scapo* lineari-cylindrico; *flagello* subfusiformi, luteae, immaculatae, insertae fronti infra oculos sed longe supra os. *Oculi* majusculi, obscuri. *Thorax* laete viridis, nitens, subtiliter punctatissimus; *prothorace* transverso, antice rotundato. *Abdomen* brevissimum, deltoideum, ano truncato, viride, glaberrimum, nitidissimum, thoraci petiolo brevi nigro adnexum. *Pedes* flavissimi, *coxis* virescentibus; *unguibus* nigris. *Alae* albohyalinae, nervo subcostali ramuloque stigmatico brevi fuscoflavescentibus.

Habitat in *Westrogothia* et in *Uplandia* (*Dalman* l. c.). *Femina* latet.

Adnot. *Phacostomus chilodes* et *palpalis*, a cl. *Dalmano* in tabula synoptica specierum generis Pteromali, conspectui generum Pteromalinorum Sueciae adjecta (Act. Holm. I. p. 179), solis nominibus indicati, aliis illustrandi relinquendi sunt.

GENUS XII.

CORYNOCERE.

A κορύνη, clava, et κέρας, cornu, ob antennas clava distincta terminatas.

Antennae fractae, hypostomati infero insertae, decemarticulatae; scapo cylindrico, crassiusculo; flagelli articulis tribus extremis in clavam distinctam coëuntibus. *Alae* nervo subcostali ante medium costae conjuncto, et cum ea ultra mediam alam procurrente; ramulo stigmatico brevi, paulo pone medium e costa emergente. *Prothorax* brevis, antice modice productus. *Pleurae* humiles, suturis divisae. *Abdomen* sessile, lineari-obcuneiforme. *Terebra* feminae exserta.

Mandibulae angustae, bifidae.

Habitus. Antennae supra os insertae, breviusculae,

decemarticulatae. *Radicula* exigua, in foveola frontali latens. *Scapus* cylindricus, crassiusculus, longitudine dimidii flagelli. *Pedicellus* obconicus, scapi dimidia longitudine vel tertiam fere ejusdem partem longitudine efficiens, ejusdemque crassitiei. *Flagelli* articuli primus, secundus et tertius brevissimi, subdiscoidei vel pateraeformes, discreti vel in unum fere corpus conflati; quartus articulus (septimus antennae) latior, transversus; reliqui in clavam ovato-acutam, subsolidam, triannulatam, crassam concreti.

Corpus valde depressum. *Caput* orbiculatum; fronte concàva; oculis ovatis, obliquis. *Mandibulae* tenues, bifidae. *Thorax* dorso planiusculo. *Prothorax* in collum breve productus, neque multum antice coangustatus, truncatus, postice linea recta a thorace medio discretus. *Thoracis* medii colli humerales ovati, discreti; lobus medius in *Scutellum* abit non discretum, planiusculum (in una specie ante apicem linea transversali subpartitum). *Metathorax* parum a scutello demissus, brevis, in medio secundum longitudinem gibbosus, laevis. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, fere lineare, pone medium paulo latius, hinc abrupte angustatum; dorso depresso, laevissimo; ventre carinato. *Terebra* feminae ex apice abdominis egrediens, conspicua, compressa, pubescens. *Pedes* mediocres, structurae communis. *Alae* cuneiformes, apice rotundatae, hyalinae, enerves, tota superficie punctis piligeris inspersae margineque pulchre ciliatae; nervus subcostalis ad costam arcu inclinatus, et ubi huic pone medium adjungitur, ramulum stigmaticum brevem, vix incrassatum emittens, cujus ultra originem costa conjuncta parum apicem versus extenditur.

Feminas observavi. *Mares* et omnis ulterior historia specierum hujus generis latent.

1. Corynocere *deplana.*

C. nigro-aenea; scutello ante apicem linea transversali diviso; terebra longitudine dimidii abdominis. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* nigrae, capite duplo longiores, pubescentes; *flagelli* articulis tribus anterioribus discoideis, brevissimis, in corpus angustum obconicum coëuntibus. *Caput* et *thorax* subtilissime punctulata, subpubescentia, nigro-aenea. *Scutellum* linea transversali, prope ab apice ejus impressa, distinctum. *Abdomen* et *pedes,* corpori concolora, sed *femora* apice, *tibiae* basi apiceque

et *tarsi* basi albescunt. Alae hyalinae. Reliqua quoad structuram corporis in antecedentibus explicantur.

Feminam unam cepi die 5. Julii a. 1812 in Quercu prope *Sickershausen*. *Mas* non innotuit.

2. CORYNOCERE *brevicornis.*

C. aterrima; scutello aequali; terebra longitudine ultimi segmenti abdominis. *Fem.*

Long. lin. $^1/_2$. *Antennae* nigrae; *flagelli* articulis tribus anterioribus pateraeformibus, distinctis, tametsi approximatis. Totum corpus aterrimum, laeve, glabrum, nitidum, veluti pinguedine quadam inunctum. *Mandibulae* testaceae. *Scutelli* superficies aequa, linea nulla transversali impressa distincta. *Abdomen* ovatum, basin versus modice angustatum, ano abrupte acuto. *Pedes* nigri, *genubus* et *tarsis* pallidis; *unguibus* fuscis.

Feminam 13. Septembris a. 1812 in floribus Solidaginis Virgaureae nemoris, prope *Sickershausen* cepi. *Marem* non vidi.

GENUS XIII.

CHRYSOLAMPUS Spin.

Nomen, a χρυσὸς, aurum, et λάμπω, splendeo, derivatum, rectius χρυσολαμπρός scribendum, ob colores laetos, plerumque nitentes, corporis.

Chrysolampus, Podagrion et Spegigaster Spin. Mém. du Mus. d'hist. nat. VII. p. 147. *n.* 2 *et* 6. *p.* 149. *n.* 11. *Pteromali specc. Dalm. Diplolepidis Sect. IV et V. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 222 *et* 224.

Antennae fractae, fronti mediae insertae, decem- vel undecimarticulatae; scapo angusto; flagello aequali vel apicem versus incrassato. *Alae* nervo subcostali in medio costae conjuncto et inde apicem versus cum ea excurrente; ramulo stigmatico trans mediam costam orto in discum alae descendente, aequali. *Prothorax* brevis, transversus. *Pleurae* planae, suturis divisae. *Abdomen petiolatum*, segmento primo et secundo majoribus. *Terebra* plerisque recondita, in paucis exserta.

Mandibulae angustae, bidentatae. *Palpi filiformes.*

Character naturalis adhuc desideratur.

Habitu in universum quidem congruunt hujus generis species, sed aliis multis etiam ita inter se differunt, ut forte plura ex iisdem genera sint construenda.

Caput thoraci arcte contiguum ejusdemque latitudinis; *vertice* angusto; *fronte* hypostomateque latis transversalibus. *Antennarum flagellum* in aliis breve et crassum, in aliis fere filiforme vel fusiforme, e septem vel octo articulis cylindricis, in *feminis* contiguis, in *maribus* magis discretis et pubescentibus constat. *Thorax* generali ambitu brevis, obovato-subrotundus; *prothorace* antice subtruncato, transverso, lineari, thorace medio paulo angustiori. *Thorax medius* convexus, lobis consuetis non adeo distinctis. *Scutellum* mediocre, integrum, in una specie bidentatum. *Metathorax* angustus, sub scutello demissus. *Abdomen* ovatum (in feminis), vel spathulatum (in maribus), dorso plerumque plano, rarius convexo; ano feminae acuto. Primum segmentum reliquis multo majus, eaque vel tota tegens, vel saltem majorem abdominis partem constituens, basi repente contractum in petiolum magis vel minus elongatum, crassiusculum, cylindricum et tum plerumque brevem in aliis, in aliis tenuiorem et longiorem, insertum modo metathoracis magis contracti et cum eo quasi coëuntis parti superiori; modo ex media ejusdem parte, modo pro more inferne juxta coxas posticas nascentem. *Venter* carinulatus, et dehiscente primi segmenti lamina grandiori gibbus. *Terebra*, in plurimis recondita, in una specie abdomen excedit. *Pedes* longiusculi, graciles. *Alae* satis amplae, tenerae, hyalinae. *Colores* corporis, plerumque laevis et nitidi, virentes et aenei. *Pedes* saepe pallidi.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus sericeis, et *abdomine* obovato, obtuso.

Species rariores, admodum agiles, motu citissimo volitantes, quarum metamorphosin ulterioremque historiam explorare nondum contigit.

SECTIO I.

Abdominis primo segmento reliqua obtegente.

Antennarum flagellum breve, crassum. *Truncus* coactus, crassius punctatus. *Abdominis* primum segmentum in petiolum longum, metathoraci infero insertum, contractum,

parte postica maxima, adscendente, reliqua segmenta omnia recondente. *Terebra* oblique adscendens, non exserta.

(Diplolepis Div. IV. Spin. l. c.)

1. Chrysolampus *splendidulus.*

Chr. caeruleus, prothorace aureo, tarsis testaceis; abdominis primo segmento reliqua tegente. Fem.

Synon. *Chrysolampus splendidulus Spin. Class. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 147. *n.* 6.

Diplolepis Splendidula Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 223. *n.* *LXXVI.*

Diplolepis cyanea Fabr. Syst. Piez. p. 151. *n.* 12.

Ichneumon cyaneus Fabr. Ent. syst. Suppl. p. 231. *n.* 218. *Coqueb. Illustr. icon. I. p.* 21. *tab.* 5. *fig.* 4.

Long. lin. 1½. *Antennae* nigrae; *scapo* subtus caeruleo. *Corpus* totum caeruleum, nitore metallico splendens, *capite thorace*que punctis plurimis excavatis. *Prothorax* rubro-aureus. *Scutellum* porrectum, bidentatum, dentibus brevissimis, oculo armato tantum conspicuis. *Abdomen* laeve, nitidum: segmento anteriore maximo, basi coarctato et petiolum efformante, apice dilatato campanuliformi, reliqua segmenta recondente; petiolo sulcis tribus supra insculpto. *Pedes* corpori cnacolores., caerulei; femoribus tibiisque simplicibus; tarsis omnibus testaceis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali punctoque ramuli stigmatici nigris.

Prope *Novas* inventus, rarus (*Spinola* l. c.); in *Gallia* (*Fabricius* e Museo Bosciano). *Mas* non innotuit.

Adnot. Speciem hanc ipse non vidi, sed fide cl. Spinolae ejusdemque verbis trado.

SECTIO II.

Abdominis primo segmento reliqua non obtegente.

Antennarum flagellum fusiforme vel subcylindricum, non admodum crassum. Truncus depressiusculus. *Abdomen* dorso planiusculum.

a. *Abdomen metathoraci supero insertum.*

Petiolus abdominis brevis, crassus, cylindricus. *Metathorax*, conum brevem truncatum referens, spatio quodam supra coxas posticas sublatus, ut itaque abdomen, isti

petiolo suo insertum, cum a latere conspiciatur, infra scutellum e metathoracis margine supero egredi videatur.

(Genus *Podagrion* Spin. Ann. du Mus. d'hist. naturelle VII. l. c.)

2. Chrysolampus *altiventris.*

Chr. viridis, nitidus, flagello antennarum rufo vel fusco, pedibus rufis; abdominis subrotundi nigro-aenei petiolo dimidio abdomine longiore, thoraci concolore. *Mas. Fem.*

Synon. *Podagrion splendens Spin. Ann. du Mus. VII. p.* 147. *n.* 2.

Long. vix lin. 1. *Antennarum scapus* viridis vel aeneus; *flagellum* rufum, extrorsum sensim, nec valde, incrassatum, obtusum, articulis octo adeo contiguis, ut vix numerari possint. *Caput* et *thorax* subtilissime punctulata, nitida, viridia. *Thorax* depressiusculus, pubescens. *Abdominis* pars petiolaris longitudine fere reliqui abdominis, recta, crassa, cylindrica, striolata, aeneo-viridis, pubescens, brevi intervallo infra scutellum metathoraci conjuncta. Reliquum abdomen ovatum, convexiusculum, laeve, glabrum, nitidum, nigro-aeneum. *Terebra* non exserta. *Pedes* pallide rufi, *coxis* in *femina* viridi-aeneis, *mari* rufis. *Alae* hyalinae.

Mas differt a femina: *flagello* rufo; *scapo* viridi; *abdomine* obtuso, obovato; coxis rufis.

Cepi *feminam* die 21. Aprilis a. 1811 ad ripas fossulae in horto, *marem* die 17. Septembris in sepibus humidis prope *Sickershausen.*

3. Chrysolampus *suspensus.*

Chr. viridi-aeneus, nitidus, flagello antennarum fusco, pedibus rufo-testaceis; abdominis ovati acuti nigro-aenei petiolo abdomine triplo breviori, subconcolore. *Fem.*

Long. lin. 1¼. Admodum similis praecedenti, sed sane distincta species. Totum corpus minus pubescens, ideoque magis nitens; color magis aeneus; *abdominis* petiolus crassus, distinctius striatus, et, quod maximi mihi videtur, longitudine ad summum unam tertiam reliqui abdominis efficiens, neque virens, sed colore fere abdominis, paulo magis aenescentis. *Pedes* dilute rufo-testacei.

Cepi *feminam*, haud una tantum vice, in sepibus et in ripa rivuli, mensibus Septembri et Octobre. *Metamorphosis* in larva *Aphidii Rosarum* (Monogr. Ichn. Braconoid. Vol. I. p. 19. n. 5), ex quibus mihi die 2. Julii a. 1813 *Sickershusi* provenit. *Marem* non vidi.

b. *Abdomine metathoraci medio vel infero inserto.*

(Diplolepis Div. V. Spin. l. c. Spegigaster Spin. Classif. l. c.)

Petiolus abdominis plerumque tenuis, varia longitudine; ubi brevior (in speciebus n. 4—11), metathoraci, simili modo, ac in praecedente divisione (Sect. II. a), constructo, sed magis inferius producto, tamen nonnihil supra coxas posticas sublato, insertus; ubi longior, ut in reliquis speciebus, metathorace magis ad coxas posticas descendente, ex illius margine infero, juxta coxas istas prodiens. Reliquum abdomen breve, plerisque dorso applanatum, rarius basi adscendens et postice subgibbum. *Terebra* non nisi in una sola specie exserta.

4. Chrysolampus *tristis.*

Chr. fusco-aeneus, nitidus, antennis pedibusque fuscis, tibiis basi et apice tarsisque testaceis; abdomine basi adscendente, subretuso, convexiusculo brevissime petiolato; terebra recondita. *) *Mas. Fem.*

Long. lin 1. *Antennae* fusco-piceae; *scapo* obscuriore; *flagellum* crassiusculum, subfusiforme, octoarticulatum, primo articulo minuto, reliquis cylindricis, brevibus, arcte contiguis; extremo duplo majore, ovato, annulato. *Caput* et *thorax* subtilissime punctulata, glabra, fusco-aenea, nitida. *Scutellum* distinctum, convexum. *Metathorax* reliquo corpore magis nitidus, brevis, laevis, sulculo medio impressus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, ovatum, obtusum vel acutum, subconvexum vel etiam planiusculum, laeve, nitidum, fusco-aeneum; primum segmentum abrupte declive, vel potius a petiolo adscendens, basi subretusum, in petiolum brevem, tenuem, vix $1/3$ longitudinis ejusdem segmenti aequantem, contractum; reliqua segmenta brevia, modo convexa, modo plana. Venter rectus, vix carinatus. *Pedes* graciles, fusci; *femoribus* apice, *tibiis* plerumque basi et apice *tarsis*que testaceis, unguibus fuscis. *Terebra* recondita. *Alae* amplae, hyalinae, purae; ramulo stigmatico distincto.

Variat tibiis posticis, vel omnibus, fere totis testaceis, medio paulo obscurioribus.

Mas differt a femina solo abdomine magis convexo et obtuso, nec acuto.

Cepi

*) *Alae*, in una sola specie punctulo notatae, in reliquis omnibus hyalinae, purae, in definitione non citantur.

Cepi *marem* et *feminam* mensibus Septembre et exeunte Octobre in Quercu, Novembre sub foliis aridis deciduis, prope *Sickershausen.*

5. Chrysolampus *subsessilis.*

Chr. nigro-aeneus, capite virente; flagello antennarum pedibusque pallidis; abdomine ovato, plano, brevissime petiolato; terebra recondita; prothorace obtuse conico. *Fem.*

Long. lin. 1. Caput latitudine thoracis, viride, nitens, laeve. *Antennae* ad medium thoracem non porrigendae; *scapo* aeneo; *flagello* apicem versus parum incrassato, ad speciem sexarticulato, testaceo. *Prothorax* productus, obtuse conicus, thoracis reliqui colore. *Thoracis* dorsum medium planiusculum, nigrum, metallicum, opacum. *Scutellum* et *Metathorax* brevis, parum supra coxas posticas prominens, thoraci concoloria. *Abdomen* thoracis longitudine, ovatum, acutum, planum, laeve, nitens, fere nigrum; petiolo primi segmenti parte dilatata breviori, tenui, decurvo. *Pedes* graciles, pallide rufi, *coxis*, praesertim anticis, basi virescenti-aeneis. *Alae* hyalinae.

Capta mense Aprili in floribus Salicis auritae nemorum prope *Sickershausen. Marem* non vidi.

Adnot. A sequente specie, cui multis accedit, facili negotio *prothorace* longiori et defectu gibbi ventralis distinguitur. Haec prothoracis structura isti soli in hoc genere peculiaris videtur, cum reliquae species prothorace breviori vel etiam brevissimo gaudeant.

6. Chrysolampus *anguliventris.*

Chr. nigro-aeneus, antennarum scapo basi pedibusque testaceis; petiolo abdomine planiusculo triplo breviore; ventre angulato-gibbo; terebra recondita. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennarum flagellum* apicem versus subincrassatum, septemarticulatum, fuscum; *scapus* fusco-aeneus, basi testaceus. *Caput* latitudine thoracis eidemque concolor, nigro-aeneum, punctulatum, parum nitens. *Prothorax* lineari-transversus, antice truncatus. *Abdomen* thoracis longitudine, *metathoraci* brevi parum ultra coxas posticas innatum, ovatum, nitidissimum, nigro-aeneum; primo segmento maximo, in petiolum tenuem, longitudine tertiae partis abdominis reliqui contracto; reliquis in acumen coëuntibus. *Venter* basi, ob laminam primam majorem tumidulam, in gibbum sublatus, ex quo *terebra* assurgit brevis,

abdominis apicem non excedens. *Pedes* rufo-testacei, *coxis* basi aeneis; *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae.

Cepi unam hujus speciei *feminam* Octobre mense sub foliis aridis prope *Sickershausen. Mas* non innotuit.

V a r i e t a s:

? β *Antennarum scapo* toto rufo-testaceo; *femoribus* piceis; *abdomine* magis depresso. An species distincta?

Cepi Augusto mense in sylva prope *Sickershausen.*

7. Chrysolampus *contractus.*

Chr. aeneo-viridis, antennarum scapo pedibusque flavis, femoribus in medio fuscis; petiolo abdomine oblongo planiusculo fusco-aeneo quatruplo breviore; terebra recondita. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. *Antennae* ut in praecedente; *scapus* flavus; *flagellum* fuscum, extremo articulo testaceo. *Caput* et *thorax* omnis aeneo-viridia, nitida. *Abdomen* thorace paulo longius, oblongum, acutum, planum, fusco-aeneum, laeve et nitens; primo segmento reliquis majori, in petiolum tenuem, quartam circiter partem abdominis reliqui longitudine aequiparantem, contracto; reliquis brevibus, in anum acutum coëuntibus. *Venter* basi non gibbus, sed rectiusculus. *Terebra* non exserta. *Coxae* fusco-aeneae. *Femora* flavescentia, medio fuscescentia. *Tibiae* et *tarsi* flava; *ungues* fusci. *Alae* hyalinae.

Cepi *feminam* mense Majo in floribus Cari Carvi prope *Sickershausen. Mas* ignotus.

A *Chrysolampo anguliventri* differt imprimis *colore* magis viridi; *abdominis* petiolo breviori; femoribus in medio fuscis.

V a r i e t a s:

β *Colore* paulo saturatiore; *abdomine* ovato; *tibiis tarsis*que potius rufis, quam flavis. *Fem.* An hujus loci?

Cepi mense Augusto in Quercu prope *Sickershausen.*

8. Chrysolampus *riparius.*

Chr. aeneo-viridis, antennarum scapo pedibusque rufis; petiolo abdomine ovato planiusculo fusco-aeneo quatruplo breviore; terebra recondita. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. *Statura*, *color* corporis omnino ut in praecedente, sed differt: *scapo antennarum pedibus*que rufis; *abdomine* breviore, magis ovato; *alis* nervo stigmatico puncto parvo nigro terminato. *Antennarum flagellum* e rufo fuscum; *scapus* laete testaceus. *Coxae* virides, apice rufae. *Alarum* punctum radiale parum conspicuum.

A *Chrysolampo punctigero* (n. 10) antennis dilutioribus, et puncto alarum minori, tum petiolo quoque abdominis paulo breviori differt.

Mas, femina paulo minor, *antennis* gracilioribus, *abdomine*que basin versus angustato, petiolo breviori innixo, distinguitur.

Feminam cepi mense Septembre in Evonymo europaeo ad ripas rivuli prope *Sickershausen*. *Marem* Octobre mense iisdem in locis inveni.

9. Chrysolampus *viridi-aeneus*.

Chr. viridi-aeneus, antennis fuscis, scapo viridi, pedibus rufis; petiolo abdomine ovato plano nigricante quatruplo breviore; terebra recondita. *Fem.*

Long. lin $1\frac{1}{4}$. A praecedentibus differt: *scapo antennarum* viridi-aeneo, et *habitú* corporis quidquam diverso. *Antennae* breves; *scapus* viridi-aeneus; *flagellum* fuscum, subaequale. *Caput* et *thorax* depressiusculus viridi-aenea, subtilissime punctulata, nitida, glabra. *Abdomen* ovatum, acutum, nigrum, laeve, nitidum; primi segmenti majoris petiolo reliquo abdomine quatruplo saltem breviore, angusto. *Venter* rectus. *Terebra* (forte casu quodam) subexserta. *Pedes* laete rufi; *coxis* aeneo-viridibus, apice rufis; *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, puncto rami stigmatici nullo distincto.

Capta prope *Sickershausen*, loco non notato. *Mas* non innotuit.

10. Chrysolampus *punctiger*.

Chr. viridi-aeneus, antennis fuscis scapo viridi, pedibus testaceis; petiolo abdomine compresso-gibbo aeneo-aurato triplo breviore, cylindrico; terebra recondita; alis puncto rami stigmatici nigro. *Fem.?*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. *Antennae* longiusculae, undecimarticulatae; *scapo* aeneo-viridi; *pedicello* brevi, obconico; *flagello* fusco, articulis cylindricis, extremo acuto. *Mandibulae* rufescentes. *Caput* et *thorax* subtilissime punctata, glabra, viridi-aenea, nitida. *Metathorax* paulo supra coxas posticas conico-productus, brevis, rugolosus, thoraci concolor. *Abdomen* thorace vix longius, laeve, nitidum, aeneo-auratum; petiolus cylindricus, subrugosus, paulo supra coxas posticas metathoraci conjunctus; secundum segmentum adscendens, planiusculum; reliqua segmenta convexa. *Terebra* latet, nec certus sum, num masculi potius sexus

exempla ad manus fuerint. *Pedes* testacei, *coxis* viridi-aeneis, *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, nervo subcostali et ramulo stigmatico nigris, hoc puncto terminali magno distincto nigro notato.

Duo exempla, diebus 7. et 8. Septembris, unum in Corylo, alterum in Quercu, prope *Sickershausen* cepi.

11. Chrysolampus *lagenarius.*

Chr. viridi-aeneus, antennis fuscis, scapo-viridi, pedibus testaceis, coxis femoribusque basi aeneis; petiolo abdomine compresso-gibbo aeneo-aurato triplo breviore, lageniformi; alis puncto rami stigmatici nigro. *Mas.*

Long. lin. 1¼. Convenit cum *Chrysolampo punctigero* omnibus fere notis, si petiolum abdominis pedesque excipias. *Color capitis* cum *antennis*, *thoracis* et *abdominis* idem; eadem *punctura*, idemque nitor; sed abdominis *segmentum petiolare*, ubi in petiolum brevem abit, primum modice contractum, dein leni arcu ad petioli tenuiores basin properans, petiolum exhibet *lageniformem*, i. e. basi angustum, brevi post autem paulo latiorem et ex hac dilatata parte in segmentum magis amplificatum denique transeuntem. Reliqua segmenta abdominis minora et angusta, convexa. Venter planiusculus. *Coxae* et *femora* viridi-aenea; *femora* apice, *tibiae* et *tarsi* testacea; ungues nigri. *Alae* hyalinae, nervis et puncto apicis rami stigmatici nigris, ut in praecedente.

Marem unum cepi, Majo mense, in Pruno Pado prope *Sickershausen. Femina* non innotuit.

12. Chrysolampus *pallicornis* Spin.

Chr. viridis, nitidus, antennis pedibusque testaceis; petiolo aequali, longitudine duarum tertiarum abdominis basi gibbi; terebra recondita. *Mas. Fem.*

Synon. *Spegigaster pallicornis Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 149.

Diplolepis pallicornis Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 227. *n. LXXVIII.* (*Mas.*)

Long. lin. 1¼. *Antennae* testaceae, dilutae, *scapo* parum obscuriore, supra in nonnullis nigrescente. Corpus totum *viride*, nitens, colore metallico, glabrum, subtilissime punctulatum. *Mandibulae* et *palpi* pallida. *Metathorax* declivis, rugulosus. *Abdomen* thorace brevius, sed petiolo, ipso abdomine vix tertia parte breviore, elongatum; primo segmento majori, in petiolum tenuem rugosum

rectum, juxta coxas posticas metathoraci affixum abrupte contracto, parte postica dilatata adscendente; reliquis segmentis brevibus. Venter rectus, parum carinatus. *Terebra* non exserta. *Pedes* cum *coxis* testacei; *ungues* nigri. *Alae* hyalinae, amplae, purae.

Mas differt a femina *abdomine* apice rotundato.

Cepi *mares* et *feminas*, Octobre mense, sub foliis deciduis prope *Sickershausen*. Vidi etiam exemplum, sexus masculini, a cl. *Spinola* ex *Italia* mihi transmissum, ubi, in montibus *Orerii* raram obvenire hanc speciem l. c. docet.

13. Chrysolampus *lugubris*.

Chr. aeneo-niger, antennarum scapo pedibusque totis rufo-testaceis; petiolo longitudine duarum tertiarum abdominis basi gibbi, antice subincrassato; terebra . . . . *Mas*.

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Differt a praecedente, a quo distinctum credo: *colore* corporis ex aeneo nigro, obscuro; *antennis* nigris, *scapo* testaceo; *abdominis* petiolo non aequali et fere cylindrico, ut in illo, sed ante medium paulo crassiori; *pedibus* saturate rufo-testaceis, solis coxis viridibus.

Cepi *marem* unum in sepibus udis prope *Sickershausen* die 17. Septembris a. 1810. *Femina* incerta.

14. Chrysolampus *nigricornis*.

Chr. nigro-aeneus; antennis fuscis scapo aeneo, pedibus pallidis, femoribus plus minus fuscis; petiolo aequali longitudine dimidii abdominis ventre gibbosi; terebra recondita. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Colores corporis fere ut in specie praecedente, sed bene distincta est species. *Antennae* breves; *scapo* in utroque sexu nigro-aeneo; *flagello* fusco, glabro. *Caput* et *thorax* e viridi vel nigro aenea, subtilissime punctata, nitidula. *Metathorax* ad pedes posticos declivis. *Abdomen* atrum, laeve, nitidum, acutum; petiolo gracili, longitudine circiter dimidii abdominis reliqui, descendente. Anus acutus. Venter basi gibbus. *Terebra* non exserta. *Coxae* nigro-aeneae. *Trochanteres* picei. *Femora* fusca, anteriora apice rufa. *Tibiae* et *tarsi* testacea; *ungues* fusci. *Alae* hyalinae, purae.

Mares et feminas cepi Septembre et Octobre mensibus in vineis, dumetis et in ripis rivulorum prope *Sickershausen*.

Varietas:

β. Violaceus, *pedibus* rufis, *coxis* solis violaceis. *Mas.*

Diversa species videtur, colore violaceo forte distinguenda, sed reliquis omnibus quam maxime cum *Chrysolampo nigricorni* convenit. Accedit etiam ad *Chrysolampum lugubrem*, sed differt: *scapo* aeneo-violaceo, *colore* et *petiolo* abdominis paulo breviore.

Cepi unum exemplum sexus masculini mense Septembre prope *Sickershausen.*

15. Chrysolampus *pedunculiventris.*

Chr. viridi-nitens, pedibus testaceis; petiolo abdomine ovato tertia parte breviore; terebra longitudine dimidii abdominis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis pedunculiventris Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 225. *n. LXXVII.*

Spegigaster pedunculiventris Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 149.

Long. lin. $1^1/_4$. Elegantissima et pulcherrima species hujus generis. Corpus totum subtilissime punctulatum, fere laeve, nitens, viride, colore metallico. *Antennarum scapus* in femina nigro-virens, saepe basi testaceus; in mare basi, vel totus, testaceus; *flagellum* nigrum. *Mandibulae* nigrae. *Palpi* pallidi. *Caput* latitudine thoracis. *Prothorax* thorace medio angustior, brevis, transversus, antice recta fere truncatus. *Thorax* brevis, convexiusculus. *Metathorax* ad abdominis insertionem devexus, concolor. *Abdomen* ovatum, acutum, viridi-aeneum, laevissimum, nitidissimum; primum segmentum magno, in petiolum tenuem, rectum, rugulosum longitudine dimidii reliqui abdominis, vel idem ad $1/_3$ fere longitudinis aequantem, contractum, eoque metathoraci prope coxas posticas affixum. *Terebra* recta, ex apice abdominis prominens, dimidia ejusdem longitudine. *Pedes* testacei; *coxis* nigro-viridibus; *femoribus tibiis*que basi (in femina) nigricantibus. *Alae* hyalinae.

Mas differt a femina: *antennarum scapo* basi vel toto testaceo, *flagello* longiori sericeo, pilis brevibus decumbentibus; *abdomine* obovato; depresso, saepe inaurato; petiolo crassiori striato, dimidia reliqui abdominis longitudine; ano rotundato; *pedibus*, praeter coxas et ungues, totis testaceis.

Marem et *feminam*, sed minus frequentes, cepi Octobre mense sub foliis deciduis prope *Sickershausen;* unum quoque marem, primo Septembris, in Quercu, ad sepes. In montibus *Orerii* haud rarum esse, cl. *Spinola*, l. c., refert.

Adnot. Cl. *Spinola* sub *Diplolepidis pedunculiventris* nomine duas species, sane diversas, conjunxisse videtur, quas equidem *Chrysolampi nigricornis* et *pedunculiventris* nominibus separavi. *Mas* „antennarum scapo nigro-viridi" cujus cl. *Spinola* l. c. mentionem facit, ad priorem speciem pertinere videtur; *Chrysolampi* enim *pedunculiventris* mas tantum non semper *scapo* toto vel maximam partem rufo-testaceo gaudet; neque femina hujus speciei semper scapo toto aeneo-viridi praedita est, sed ejus basis in plerisque exemplis magis minusve rubescit.

GENUS XIV.

ELACHESTUS Spin.

Ab ἐλάχιστος, minimus, suspicor, sed cur non Elachistus?

Elachestus et Microterus Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 151. *n.* 25 *et* 24. *Diplolepis Div. VIII. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 228. *Eulophi specc. Latr. Entedonis specc. Dalm.*

Antennae fractae, fronti mediae insertae, septem-vel octoarticulatae; scapo angusto; flagello submoniliformi vel fusiformi, articulis discretis. *Alae* nervo subcostali in medio costae conjuncto et a puncto conjunctionis parum cum ea procurrente; ramulo costali trans mediam costam orto, tenui, in discum alae magis minusve descendente. *Prothorax* in prima sectione transversus, angustus, in secunda conico-productus. *Pleurae* planae, suturis divisae. *Abdomen* petiolatum, planum. *Terebra* non exserta.

Mandibulae bi-tridentatae, angustae.

Habitus corporis fere *Chrysolampi* generis, sed paulo gracilior. *Antennae* caput haud multum excedentes; *radicula* brevis; *scapus* longus; *pedicellus* distinctus, obconicus; *flagellum* aequale, vel apicem versus modice incrassatum, vel etiam fusiforme, saepe compressum et pubescens, articulis quinque, rariusve, ob primum articulum minimum extremumve retractum, ad speciem quadri-articulatum, articulis modo transversis et pateraeformibus, modo globosis, modo cylindricis, sed semper brevibus; extremo articulo in quibusdam antecedentibus multo cras-

siori, ovato, acuto; in aliis ovato-oblongo, minus crasso, at longiori. *Caput* transversum, vertice angusto; fronte saepe reclinata; hypostomate brevi, transverso. *Oculi* prominuli. *Mandibulae* angustae, bidentatae; rarius tridentatae. *Prothorax* in aliis, qui *Elachestus* genus, proprie dictum, sistunt, qualis in praecedente genere transversus, brevis, antice rotundatus vel truncatus, postice linea leniter arcuata discretus; in aliis, qui *Microterus* genus Spinolae efficiunt, thorace medio angustior, et paulo humilior, caput versus conico-productus, dorso convexo. *Thorax* proprie dictus brevis, latiusculus, saepe quidquam depressus, solito more tricollis. *Scutellum* satis magnum, convexum, obtusum, a thorace discretum. *Metathorax* brevis, declivis. *Pleurae* breves, planae, non scutatae. *Abdomen* per se quidem breve, vix unquam thorace longius, plerisque ovatum et planum; segmento primo majori, in petiolum magis minusve elongatum contracto et metathoraci infero juxta coxas posticas adfixo. *Venter* planus. Anus in femina acutus. *Terebra* non exserta. *Pedes* graciles, structurae solitae. *Alae* plerisque hyalinae; nervis omnino ut in praecedentibus.

Punctura corporis diversa, in nonnullis satis evidens. *Color* diversus, metallicus, virens, niger, in quibusdam rufo-varius.

Mares a feminis differunt: *antennis* longioribus, articulis magis distinctis magisque hirtis, *abdomineque* obtuso.

Metamorphosis in larvis *Noctuarum*, *Phalaenarum* etc. Qualem Elachesti (Microteri) *albiventris* Spinolae metamorphosin observavi, hic explicabo.

E larva *Noctuae trapezinae*, nondum plane adulta initio Junii mensis a. 1809; subito undique eruperunt *Larvae* apodes, crassiusculae, linea paulo longiores, subrugosae, virides, quae antice valde acuminatae, veluti proboscide mobili retractili instructae videbantur. Hae larvae post eruptionem statim inceperunt, corpus anticum continuo hinc inde motitando, contrahendo, extendendo, nectere fila alba, quae, radiatim e vertice cujusque larvae expansa, brevi tempore larvae Noctuae trapezinae cadaver quasi pluribus aranearum telis involverunt, larvasque parasitas, larvam hospitem necatam totam jam obtegentes, nunc nigro colore imbutas, in sinu fovebant, neque tamen adeo velabant, ut larvae, et *pupae* denique, quae eiusdem nigri coloris erant, oculis se plane subducerent. Tum

larvae cadaver, una cum hisce pupis contemplatum, massam grumosam, nigricantem, hinc inde stercore larvarum parasitarum inquinatam, exhibebat.

Ex his pupis die 2. Julii (i. e. post unius mensis quietem), exempla *duo* sexus *masculini*, die 3. Julii mane *sex ejusdem sexus*, hora secunda ejusdem diei post meridiem *duo mares*, hora denique sexta post meridiem *feminae duae* et die quarto Julii hora decima aliae *sex feminae* provenerunt; quo patet, feminas paulo serius quam mares excludi.

Adnot. *Genus* hoc a praecedente (*Chrysolampo*), genere *antennarum* praesertim articulis paucioribus distinguitur, ejusdemque relatio ad *Eulophos* ejusmodi est, qualis *Chrysolampi* generis ad *Pteromalos*. Neglecta, quod doleo in vivis accuratiori partium oris dissectione, quae nunc in siccatis tentata voto non respondebat, *Microteri* et *Elachesti* genera, a cl. *Spinola* constituta, et a solo prothorace, petioloque abdominis longiore vel breviore pendentia, conjungere malebam. Vix autem dubium est, quin alii etiam characteres in oris partibus, dum quaerere liceat, inveniantur.

SECTIO I.

Prothorace brevi, lineari-transverso. *Abdominis* petiolo reliquo abdomine, sin minus, triplo breviore, saepe elongato; in paucis brevissimo.

(Generis *Microteri* et *Elachesti* specc. Spin. Classif. l. c.)

1. Elachestus *orbicularis*.

E. viridis, nitens, antennis aequalibus, fusco-testaceis, pedibus luteis; abdomine suborbiculato concolore, petiolo longitudine vix dupla segmenti primi abdominis, basi gibbo. *Mas. Fem.*

Long. vix lin. 1. *Antennae* fusco-testaceae; *scapo* concolore; *flagello* subaequali. Totum corpus laete viride, nitens, subtilissime punctulatum, glabrum. *Caput* et *thorax* cum scutello structurae supra indicatae. *Metathorax* carinatus. *Abdomen* suborbiculatum, thorace latius, acutum, planum; primo segmento majori; petiolo omnium hujus sectionis brevissimo, latiusculo, basin versus linea arcuata gibbosulo, primo segmento plus duplo breviori,

et ad ejus confinia tantum striolato. Venter parum carinatus, concolor. *Terebra* recondita. *Pedes* lutei; *coxis* viridibus; *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, nitidae, purae.

Mas differt: *antennis* longioribus, *scapo* compresso, extrorsum testaceo; *abdomine* apice magis obtuso et postica versus e viridi aureo, in nonnullis plaga media lutescente notato, ano denticulato, ob segmenta prominula.

Cepi *marem* et *feminam*, haud infrequentes, Majo mense in Syringa vulgari horti mei *Sickershusani*, tum Septembre et Octobre mensibus iisdem in locis maximeque in Syringa. Vidi etiam in collectione cl. *Geyeri*, *Carlsruhensis.*

2. Elachestus *viridis.*

E. viridis, nitens, antennarum scapo pedibusque totis albidis; abdomine suborbiculato, fusco-aeneo; petiolo longitudine tripla abdominis aequali. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1/2$. Differt a praecedente, cui multum similis: *statura* minore, *antennis* feminae fuscis, *scapo* fere albo; *abdomine* fusco-aeneo, basi magis nitido, petiolo aequali, tenuiore, paulo longiore; *pedibus* cum coxis flavescenti-albis, solis unguibus fuscis.

Mas differt a femina *antennarum* fuscarum *scapo* testaceo subconcolore, *abdomine* obtuso; *pedibus* magis flavicantibus.

Cepi *marem* mense Majo, *feminam* Julio mense in floribus Anethi graveolentis horti, tum Octobre mense in dumetis prope *Sickershausen.*

Varietates:

β. Colore viridi-aureo. *Mas.*

Captus mense Octobre, cum reliquis, prope *Sickershausen.*

?*γ. Colore* obscurius virescente; *corpore* laevissimo, *petiolo* abdominis ad speciem paulo longiore. *Fem.*

Capta Octobre mense *Sickershusae* in horto, mense Augusti in dumetis.

3. Elachestus *pallipes.*

E. viridis, nitidus, punctulatus; antennarum scapo subtus pedibusque albido-lutescentibus; abdomine ovato-orbiculato, aureo; petiolo cylindrico, striato, longitudine primi segmenti viridis nitentis. *Mas. Fem.*

Synon. *De Geer Ins. I.* 3. *pag.* 36. *tab.* 30. *fig.* 18, 19?

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Ab *Elachesto orbiculari*, cui similis, differt: *statura* majore, *punctura* capitis et thoracis multo profundiore et densiore; *prothorace* majore; *metathorace* non carinato; *petiolo* abdominis longiore, cylindrico, striato, segmentum primum aequante, neque eodem duplo et ultra breviore.

Coxae anteriores basi nigro-virides, apice pallidae; posticae virides; *ungues* nigri. *Alae* hyalinae. *Flagellum antennarum* fuscum.

Mas paulo minor, *colore* corporis laete viridi aurato, *pedibus* fere omnino albis, *abdomine* basin versus magis attenuato differt.

Marem et *feminam* Septembre mense prope *Sickershausen* in nemoribus et hortis, tum feminam quoque Novembre mense sub foliis aridis cepi. E larva *Tineae Roesellae* subcutanea (de Geer)?

Adnot. Iconem de Geeri, pessimam sane, ob petiolum abdominis distinctum, et descriptionem congruam hic notavimus.

4. Elachestus *albiscapus*.

E. viridis, nitidus, laeviusculus, hypostomate violaceo; scapo antennarum pedibusque albis, coxis cyaneis; abdomine orbiculato, acuto; petiolo abdomine triplo breviore. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Statura ferme *Elachesti albipedis* (n. 19) a quo quidem prothorace brevi differt. *Caput* crassum, thorace latius, cum thorace viride, nitidum, subtilissime punctulatum. *Hypostoma* latum, laevissimum, laete cyaneum. *Antennarum scapus* tenuis, totus albus; *flagellum* breve, subfuscum, quinquearticulatum, articulis quatuor anterioribus subglobosis aut potius pateraeformibus, extremo longiori acuto. *Prothorax* transversus, antice rotundatus. *Thorax* structurae solitae, fascia indeterminata cyanea inter alas, scutellum obtegente. *Metathorax* rugulosus. *Abdomen* latitudine thoracis, orbiculatum, acutum, planum viride; petiolo longitudine tertiae partis abdominis, cylindrico, substriato, violaceo. *Pedes* albi; *coxis* pulchre cyaneis; *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae.

Mas differt a femina: *antennarum flagello* paulo tenuiori; *fascia thoracis* distinctissima, saturate violaceo-cyanea; *abdomine* apice rotundato.

Cepi *marem* et *feminam* die 20. Augusti a. 1812 in parvo nemore prope *Sickershausen*.

Adnot. Conferatur *Elachestus albipes* Spin. l. c.

5. Elachestus *subauratus*.

E. viridis, nitidus, laeviusculus, antennis nigris, scapo subtus pedibusque albidis; abdomine orbiculato, acuto; petiolo tenui longitudine abdominis. *Fem.*

Long. lin. 1. Affinis praecedenti habitu. *Antennarum scapus* gracilis, dorso aeneus, subtus, apice excepto, albidus; *pedicellus* obconicus; *flagellum* nigrum, quinquearticulatum, articulis cylindricis, extremo articulo minuto, retracto, ut quadriarticulatum videatur flagellum. *Caput* et *thorax* viridia, laevia, nitidissima. *Scutellum* magnum, ovatum, punctulatum. *Abdomen* orbiculatum, planum, laevissimum, concolor; petiolo longitudine fere totius abdominis, subfiliformi, adscendente, obscuriori suffultum. *Pedes* graciles, albi; *coxis* anterioribus basi, posticis totis viridi-aeneis; *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, purae.

Capta *femina* die 22. Septembris a. 1812 in sylvaticis prope *Sickershausen*. *Mas* ignotus.

6. Elachestus *fenestratus*.

E. nigro-virescens, antennis subfuscis; abdomine suborbiculato, macula media pedibusque pallide luteis; petiolo longitudine tertiae partis abdominis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3/4. A praecedentibus colore obscuriore primo intuitu differt. *Antennae* fuscescentes; *scapo* pallidiore. *Caput* et *thorax* subtilissime punctata, nigro-virescentia. *Abdomen* latitudine thoracis, suborbiculatum, acutum, planum, laeve, nigro-virescenti-aeneum; segmentis mediis latere sinuato concoloribus, disco pallide luteis, subpellucidis. Venter basi pallidus. *Pedes* pallide lutei; *coxis* basi corpori concoloribus; *femoribus* posterioribus in medio obscurioribus; *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae.

Mas differt a femina: *antennis* villosis, apice subincrassatis et *abdominis* plaga media majori.

Cepi *marem* cum *femina* Aprili et Majo mensibus in Pruno Pado prope *Sickershausen*; tum Julio etiam et Septembre locis aridis sabulosis in terra deprehendi.

7. Elachestus *petiolatus* Spin.

E. viridi-coeruleus, tarsis basi albis; abdominis ovato-orbiculati petiolo abdomine paulo breviori. *Mas.*

Synon. *Microterus petiolatus Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 152.

Diplolepis petiolata Spin. *Ins. Lig. Fasc. IV.* p. 229. n. LXXIX.

Long. lin. 1. *Corpus* totum cum *antennis pedibus*que viridi-coeruleum, laeviusculum, nitidum. *Abdominis* petiolus reliquo abdomine paulo brevior, rectus, supra sulcatus. *Pedes* viridi-coerulei; *femoribus* posticis paulo crassioribus; *tarsis* albis, *unguibus* nigris.

Mas antennis sericeis, pilis decumbentibus, *scapo* glabro.

Habitat in montibus *Orerii*, rarior (*Spinola*). *Marem* unum mense Septembre ad ripas rivuli prope *Sickershausen* cepi. *Femina* mihi non nota, neque certus sum, utrum cl. Spinola alterius sexus exempla viderit. An varietas maris speciei sequentis?

8. Elachestus *cothurnatus*.

E. nigro-virescens, antennis fuscis, tarsis basi albis; abdominis ovati planiusculi petiolo abdomine paulo breviori. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* fuscae; *flagelli* quinquearticulati articulis distinctis subglobosis, extremo majori. *Caput* et *thorax* nigro-virescenti-aenea, subtilissime punctulata, nitida. *Abdomen* ovatum in femina acutum dorsoque minus applanatum, reliquo corpore obscurius; primo segmento virescente, nitidissimo; petiolus aequalis, rectus, subtiliter striolatus, reliquo abdomine paulo brevior. *Pedes* atri, *tarsis* omnibus basi albis, apice nigris. *Alae* hyalinae, puncto minuto in apice ramuli stigmatici nigro.

Mas differt a femina *abdomine* magis explanato obtusoque.

Cepi mares et *feminas* Augusto et Septembri mensibus in Quercu prope *Sickershausen*.

Variat:

β. *tarsis* subconcoloribus, vix basi pallidioribus. *Fem.*

Cepi mense Majo in Pruno Pado prope *Sickershausen*.

Adnot. Inter hanc et praecedentem speciem nulla fere praeter colores differentia; constare tamen sibi videntur colores in his; namque inter plures aenei coloris nullum coerulescentem inveni, et unum, de quo supra sermo fuit, *Elachesti petiolati* marem diverso loco deprehendi nullisque *cothurnato* similibus sociatum.

9. Elachestus *gradualis.*

E. supra aureus, subtus pedibusque ater, tarsis basi albidis; abdomine orbiculato, convexiusculo, obscuriori; petiolo mediocri, basi constricto. *Mas.*

Long. lin. 1/3. *Antennae* breves, fuscae, articulis *flagelli* subglobosis distinctis. *Caput* laete aureum, latum, vertice crasse punctatum. *Mandibulae* nigrae. *Thorax* brevis, obovatus, convexus, suturis profundis divisus, crasse punctatus, glaber, nitidus, auratus, pleuris et pectore aeneo-atris vel violaceis. *Scutellum* thoraci concolor. *Metathorax* brevis, obscurioris coloris. *Abdomen* breve, orbiculatum, obtusum (in mare), convexum, fusco-aureum; petiolo longitudine dimidii abdominis, cuneiformi, prope a basi truncato, tum processu brevi filiformi, tanquam isthmo, metathoraci conjuncto. Venter planiusculus. *Pedes* graciles, aeneo-atri vel nigro-picei; *tarsis* albis, *ungue* nigro. *Alae* hyalinae.

Unum cepi *marem* die 26. Maji a. 1810 in Syringa vulgari horti prope *Sickershausen.*

Variat:

β. subtus *cyaneus, pedibus* fuscis, *tarsis* posticis solis basi albis. *Mas.*

Captus mense Augusto sub muscis prope *Sickershausen.*

Adnot. An genus proprium, cum specie sequente conjungendum?

? 10. Elachestus *coerulescens.*

E. aeneo-coerulescens, mandibulis pedibusque rufis; abdomine basi gibbo; petiolo longitudine fere abdominis. *Fem.?*

Long. lin. 1. Statura corporis fere *Eurytomae*, abdomine convexiusculo, basi adscendente, ab omnibus hujus generis discedens et forte cum praecedente proprii generis. *Antennae scapo* nigro; *flagello* fusco, quinquearticulato, articulis oblongis, discretis sericeis. *Caput* crassiusculum, vertice, et thorax omnis confertim punctulata, ex aeneo coerulescentia. *Metathorax* declivis. *Abdomen* thorace minus, magis nitidum, coerulescens, laeve; segmento primo reliquis majori, adscendente, in petiolum rectum filiformem longitudine fere reliqui abdominis abeunte; posterioribus convexiusculis; ano acuto. Venter rectus. *Pedes* rufi, *coxis* nigris. *Alae* hyalinae.

Unum hujus speciei exemplum, quod *feminei* generis

reputo, die 27. Augusti a. 1807 in floribus horti *Sickershusani* cepi, neque postea unquam occurrit.

11. Elachestus *costalis.*

E. viridis, nitidus, genubus albis; abdomine ovato-orbiculato, depresso; petiolo vix longitudine tertiae partis abdominis; alis hyalinis, costa omnium media atra. *Mas.*

Synon. *Entedon costalis Dalm. Act. Holm.* 1820. *I. p.* 174. *tab. VIII. fig.* 51, 52. *Pterom. Suec. p.* 8. *tab.* 2. *fig.* 51, 52.

Long. lin. 1. *Antennae* nigrae; *scapo* crassiusculo, aeneo-viridi, *flagello* pubescente, quinquearticulato, articulis quatuor anterioribus cylindrico-obconicis valde discretis, antice truncatis, basi obtusis, apicem versus magnitudine decrescentibus, extremo oblongo, longiori, acuto. *Caput* transversum, thorace haud latius. *Mandibulae* angustae, bifidae, piceae. Totum corpus laeve, viride, nitidum, unicolor. *Scutellum* maximum, convexum, punctatum, subopacum, subcoerulescens. *Metathorax* brevis, magis nitidus. *Abdomen* ovato-orbiculatum, obtusum, planum, latitudine thoracis, petiolo triplo breviori recto cylindrico striolato adfixum. *Coxae* posticae crassae, conicae, petiolum abdominis occultantes. *Pedes* virides, genubus brevi spatio albis. *Alae* hyalinae, costae media parte, tam anticarum quam posticarum, incrassata, atra; ramulo stigmatico distincto, atro.

Marem unum die 17. Maji a. 1810 in floribus Chaerophylli sylvestris prope *Sickershausen* cepi. Femina latet.

Adnot. *Colore* totius corporis, *tarsorumque* ipsorum, praeter genua, eodem, et *alarum* media costa quasi lineola atra emicante, distinctissima species est.

SECTIO II.

Prothorace ovato, producto. *Abdominis* petiolo reliquo abdomine multo breviore, nunquam prolongato. (Genus *Elachesti* specc. Spin. Classif. l. c.)

Corpus his magis depressum. *Caput* ratione reliquorum minus. *Thorax* depressus. *Abdomen* planum latumque. *Color* in paucis virens et laetus, saepe nigredine vel rubedine immixtis.

12. Elachestus *tardulus.*

E. nigro-subaeneus, antennis aequalibus, nigris, scapo, abdominis oblongo-ovati lateribus, ventre pedibusque totis testaceis; petiolo brevi, laevi. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae*, radicula computata, octo-articulatae; *scapo* longitudine dimidii flagelli, testaceo; *flagello* nigro, apice non incrassato, articulis cylindricis subaequalibus, primo majore et crassiore. *Caput* et *thorax* nigra, vix ad aeneum vergentia, punctulata, tenuissimaque pube inspersa.

Prothorax ovato-conicus, prominens, thorace medio humilior atque angustior. *Thorax* medius distincte tricollis, depressus. *Scutellum* breve, rotundatum. *Abdomen* thoracis longitudine, ovato-conicum, acutum, planum, testaceum, vitta lata mediá dorsali, ano lineaque angustissima medii ventris nigris; *petiolus* abdominis primo segmento (ut in plerisque sequentibus) brevior, teres, laevis, pallidus. *Terebra* prope basin ventris orta, vaginaque ventrali inclusa, ultra abdominis apicem non prominet. *Pedes* toti pallide testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae.

Mas long. lin. $^3/_4$ a femina differt; *antennarum flagello* longiori, fusco, pubescente, articulo primo aequali, omnibus cylindricis; *abdomine* obtuso, toto e fusco-aeneo subtestaceo. *Scapus* antennarum et *pedes* toti pallidi ut in femina.

Cepi feminam Julio mense sub foliis aridis; marem Septembre in sepibus prope *Sickershausen*.

13. Elachestus *lateralis*.

E. viridi-aeneus, antennis apice crassioribus testaceis, scapo, abdominis oblongo-ovati lateribus pedibusque totis pallidis; petiolo brevi, laevi. *Fem.*

Synon. *Elachestus lateralis Spin. Classif. Dipl. in Ann. du Mus. VII. p.* 151.

Diplolepis lateralis Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 230. *n.* LXXX.

Long. lin. $1^1/_2$. Statura, punctura, colorum distributio omnino praecedentis, a qua differt: corpore paulo majore; *colore capitis* et *thoracis* viridi-aeneo, nitente; *antennarum*que *flagello* in femina quoque testaceo, extremo articulo incrassato. — *Abdominis* segmentum primum nigro-aeneum, petiolo, hoc segmento breviori, laevi pallido; reliqua segmenta in medio viridi-aenea, lateribus pallide testacea. Venter totus pallidus. *Pedes* cum coxis pallide testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali punctoque ramuli stigmatici apicali nigris.

Cepi

Cepi *feminam* medio mense Septembre in nemore prope *Sickershausen.* Prope *Novas* Italiae cl. *Spinola* primus legit atque descripsit. *Mas* non innotuit.

14. Elachestus *fusciventris.*

E. viridi-aeneus, antennarum aequalium scapo, ventre pedibusque testaceis, tibiis posticis apice nigris; abdomine oblongo-ovato dorso fusco; petiolo brevi, laevi.

Synon. *Elachestus abdominalis Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151?

Long. lin. 1 — 1⅓. Statura omnino praecedentium, et media fere inter utrasque species. Convenit cum *Elachesto tardulo antennis* aequalibus, cum *laterali colore*, differt ab utroque *abdomine* dorso fusco, vel cupreo-fusco *pedibus*que non, ut in illis, pallidis unicoloribus, sed nigro-mixtis.

Femina quoad *colores*, pedum paesertim, *variat:*

α. Long. lin. 1. *Viridis* nitens; *pedibus* pallidis, *coxis* basi *femoribus*que posticis extremo apice nigris; *abdominis* dorso cupreo.

β. Long. lin. 1. *Viridis* nitens; *coxis* basi aeneis apice rufis; *pedibus* pallide testaceis, *femoribus tibiis*que posterioribus apice nigris, tibiis posticis latiori spatio; *abdominis* dorso fusco.

Long. lin. 1⅓. Ex *aeneo virens*, obscurior; *pedibus* laete rufis, *coxis* basi *femoribus*que anticis inferne late nigro-aeneis; *pedibus posterioribus* praeter coxas concoloribus; *tibiis* posticis apice obscurioribus, nec vero nigris; *tarsis* pallidis.

Ungues tarsorum nigri in omnibus. *Alae* obscure hyalinae. *Flagellum antennae* fuscum.

Mas feminae varietatis *β* simillimus, differt *antennis* longioribus, compressis, villosulis, et *abdomine* obtuso breviori.

Cepi feminam varietatis *α* Octobre in nemorosis; *marem* et *feminam* varietatis *β.* Septembre et Octobre mensibus in Quercu ad sepes et in Salicetis ad ripas; denique *feminam* varietatis *γ.*, quae forte propriam speciem sistit, ineunte Novembre sub foliis aridis deciduis in silvis prope *Sickershausen.*

15. Elachestus *inunctus.*

E. nigro-aeneus, nitore pingui, antennis fuscis, aequalibus, pedibus testaceis; abdomine ovato, plano, concolore; petiolo brevi. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* piceo-testaceae; *scapo* pallidiore; *flagello* aequali, articulis cylindricis. *Caput* vertice angusto et *thorax* laevissima, nigro-piceo-aenea, nitore pingui. *Mandibulae* rufae. *Prothorax* conico-productus, subdepressus. *Thoracis medii* dorsum planiusculum, suturis distinctis in tres lobos divisum. *Scutellum* mediocre, obtusum, laeve, concolor. *Metathorax* laevis, distincte tricarinatus, colore thoracis. *Abdomen* thoracis longitudine, ovatum, planiusculum, acutum, laeve, ejusdem coloris; petiolo primo segmento breviori, striolato, concolore. *Pedes* toti testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* obscure hyalinae.

Mas pro more differt: *flagello* antennarum longiore, subcompresso, villoso.

Cepi marem mense Aprili in Syringa horti; *feminam*, Augusto mense, inter muscos in quercetis prope *Sickershausen.*

Variat:

Femina abdomine breviore, subrotundo (forte ultimis segmentis insolita vi vel casu retractis).

Cepi unum ejusmodi exemplum, Septembre mense, in nemorosis prope *Sickershausen.*

16. Elachestus *chlorocephalus.*

E. niger, nitore pingui, capite viridi-aeneo, antennis pedibusque piceis; abdomine orbiculato, petiolo brevi. *Mas.*

Long. lin. 1. *Antennae* totae piceae, breves; *flagelli* articulis brevibus, cylindricis, aequalibus. *Caput* fronte convexa; vertice obtuso, totum viridi-aeneum, nitens. Reliquum corpus laeve, nigri coloris et veluti pinguedine illitum nitens. *Prothorax* productus, transverse subquadratus, antice obtusus, ut thorax reliquus pubescens. *Abdomen* thorace brevius, orbiculatum, planum, apice subtruncatum, laevissimum, glabrum, nigrum; petiolo primo segmento triplo breviore, parum conspicuo, laevi. *Pedes* validi, picei; *coxis* nigris; *femoribus* posticis compressis, paulo obscurioribus. *Alae* hyalinae.

Marem unum cepi prope *Sickershausen. Feminam* non vidi.

17. Elachestus *albiventris.*

E. niger, punctatus, ore, antennis, pedibus, abdomineque ovato-orbiculato plano ferrugineis, hoc nigrolimbato, petiolo brevi.

Synon. *Elachestus albiventris Spin. Coll. Classif Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151.

Long. lin. $1^1/_4 — 1^3/_4$. *Antennae* breves, testaceae; *flagelli* aequalis articulis ovatis, distinctis. *Caput* ratione corporis parvum, vertice angusto, hypostomate plano, distincte punctatum, opacum subpubescens, nigrum, clypeo et oris partibus rufis (in femina). *Thorax* omnis cum *metathorace* niger, opacus, punctatus. *Prothorax* thorace medio angustior et humilior, transverse quadratus, antice brevi spatio in collum prominens, subconicus. *Thorax medius* depressus, distincte tricollis. *Scutellum* parvum, rotundatum. *Metathorax* rugulosus. *Abdomen thoracis* longitudine eodemque paulo latius, orbiculatum vel orbiculato-ovatum, planum, petiolo longitudine fere primi segmenti nigro metathoraci affixum, laeve, dorso medio, majori minorive ambitu, testaceum, margine anoque, interdum etiam fascia postica nigris. Venter planus, totus rufus. *Pedes* toti ferrugineo-rufi, *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae.

Variat *femina:*

α. Long. lin. $1^1/_2$; *abdomine* fere orbiculato, dorso nigro, macula antica triquetra rufa.

β. Long. lin. $1^3/_4$; *abdomine* magis ovato, rufo, punctis utrinque tribus marginalibus fasciaque postica nigris, ano pallido.

Mas, long. lin. $1^1/_4$, varietati feminae α omnino congruus, niger, pubescens, *ore*, *hypostomate*, *antennis*, *pedibus*, *abdominis*que orbiculati plani dorso antico *pedibus*que totis luteis, praeter antennas paulo longiores, et hypostoma totum luteum, etiam *petiolo* abdominis paulo magis conspicuo distinguitur.

Habitat in phalaenarum larvis. De metamorphosi plura in charactere naturali generis invenies.

Varietatis α plures *mares* et *feminas* e *Noctuae trapezinae* larva exclusi sunt ineunte Julio a. 1809. *Marem*, *Diplolepidis albiventris* nomine inscriptum, e *Liguria* benigne transmisit cl. *Spinola*.

Varietatis β, quae forte propria species existimanda, hucusque *feminea* tantum exempla vidi, capta prope *Sickershausen*, diversis in locis, Majo, Julio, Octobre et Novembre mensibus.

18. Elachestus *crassicornis.*

E. ater, antennarum scapo pedibusque totis pallide luteis; abdomine orbiculato, rufo, immaculato; petiolo brevi laevi. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Primo quidem intuitu praecedenti admodum similis, sed abunde diversus. Statura paulo crassior. *Caput* thorace fere latius, et *thorax* aterrima, concolora, crasse punctata, pubescentia. *Antennae* longitudine capitis et prothoracis; *scapo* longo, tenui, albido; *flagello* fusiformi, multo crassiori, una cum *pedicello* obconico tenui nigro, quinquearticulato, articulo primo longiori cylindrico, secundo, tertio, quarto paulo decrescentibus subtransversis, extremo conico acuto. *Metathorax* ater, sat porrectus, carina media, infra scutellum in dentem compressum adscendente, instructus. *Abdomen* vix longitudine thoracis, orbiculatum, planum, petiolo primo segmento duplo breviori obscuro affixum, ceterum rufum, marginibus et apice paulo obscurioribus. *Pedes* anteriores toti albidi; postici paulo magis ad luteum vergentes. *Alae* lutescenti-hyalinae.

Feminam unam cepi a. 1812 prope *Sickershausen*, loco non notato. *Mas* non innotuit.

19. Elachestus *albipes.*

E. aeneus aureusve, abdomine ovato, macula media pedibusque albidis; petiolo longitudine fere tertiae partis abdominis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{2}$. *Antennarum scapus* nigro-subaeneus; *flagellum* apicem versus incrassatum, quinquearticulatum, e testaceo fuscum. *Caput* thorace latius, punctulatum; vertice obtuso, latiusculo. *Os* rufescens. *Prothorax* subovatus, thorace medio angustior, una cum *thorace* et *scutello* punctatus, nitens. *Abdomen* breve, planum, laevissimum, reliquo corpore paulo obscurius; petiolo tereti, primo segmento longiori, secundo et tertio segmento in medio pallidis; ano acuto. *Pedes* toti albidi, unguibus nigris. *Alae* hyalinae, purae.

Variat colore corporis

α. aeneo;

β. aureo, nitidissimo;

γ. purpurascenti-aureo, ob puncturam, in hac paulo profundiorem, minus nitente.

Mas differt a femina: *antennarum flagello* apice com-

presso, articulis subglobosis, primo et secundo minoribus, magis contiguis, extremo reliquis longiori; *abdomine* obtuso. *Color* exempli, unici quod vidi, aureus.

Cepi *feminam* var. *α. Sickershusi* in horti floribus; *marem* et *feminam* var. *β.* Augusto et Septembre mensibus, illum in Tilia, hanc in Quercu nemoris cujusdam; var. *γ. feminam* mense Augusto iisdem in locis inveni.

Adnot. *Feminam* ut plurimum in Quercu vidi.

GENUS XV.

EULOPHUS Geoffr.

Ab εὖ bene, et λόφος crista, ob antennas marium quorundam ramosas, εὔλοφος pulchre cristatus.

Eulophus Geoffr. Oliv. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 28. *n.* CCCCLV. *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 152. *n.* 25. *Entedonis species pleraeque Dalm. Acta Holm. a.* 1820. *I. p.* 136. *Pterom. Suec. p.* 6. *n.* X. *cum tab. synopt. Pteromali specc. Swed. Latr. Spin. Classif. Diplol. l. c. Diplolepis Div. VI. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 227. *Diplolepidis et Cleptis specc. Fabr. Chalcidis specc. Lam. Jur. Cyniphis specc. Oliv. Cynips-Ichneumonis specc. Christ. Ichneumonis specc. Fabr. Lin. Vill. Rossi, Scop. Schrank, Walcken. de Geer.*

Antennae fractae, fronti mediae, supra easdem excavatae, insertae, septem- vel octo-articulatae, rarissime novemarticulatae, flagello submoniliformi vel fusiformi, articulis discretis; marium quorundam introrsum ramos emittentibus. *Alae* nervo subcostali prope basin costae conjuncto et ad ramuli stigmatici originem mox abrupto; hoc pone mediam alam orto, sat distincto, versus discum alae magis minusve descendente, nec apice incrassato. *Prothorax* thorace medio angustior, caput versus rotundato-subattenuatus. *Pleurae* planae, suturis divisae. *Abdomen* sessile, planum. *Terebra* paucis exserta, plerisque recondita.

Mandibulae plerisque tridentatae, rarius bidentatae.

Palpi filiformes, *maxillares* quadriarticulati; *labiales* biarticulati.

Character naturalis.

Praeter characteres, supra additas, plura invenire non contigit. *Mandibularum* dentes acuti, satis distincti. *Lingua* integra. *Palporum* articuli aequales, filiformes, pilosi, extremo breviori et paulo crassiori. Palpi *labiales* brevissimi.

Habitus corporis in universum, primoque intuitu, similis *Pteromalorum* cujusdam, sed accuratius inspicienti magna diversitas apparet. *Caput* latitudine thoracis eidemque propius applicatum, *fronte* reclinata, et profunde excavata insigne est. Hypostoma altitudine latius, depressiusculum; oculi parvi, latere prominuli, ovati. *Antennae* gibbo transverso inter frontem et hypostoma insertae, ad medium thoracem extendendae vel etiam breviores; *scapus* angustus, teres vel subcompressus, fronte raro altior et in ejus cavitate recondendus; *pedicellus* obconicus, distinctus; *flagellum* (feminae) vel aequale, vel apice crassius, saepe compressum, pubescens, quinque- rarissime sexarticulatum, in quibusdam quadriarticulatum, articulis discretis, cylindricis vel transversis, extremo in nonnullis ovato crassiori, in aliis saltem elongato. *Thorax* in universum paulo longior quam latior. *Prothorax* thorace medio angustior, plerisque brevis, semilunaris, margine antico convexo in medio in collum contracto, postico margine concavo thoracem medium amplectente, nec vero humeros attingente. *Thoracis medii* dorsum obovato-subrotundum, subconvexum, in multis depressum; lobo medio lato, subtriangulari; scapularibus minoribus, oblique ovatis. *Scutellum* distinctum, planiusculum, vel modice convexum, obtusum vel truncatum. *Metathorax* declivis, saepe truncatus. Abdomen thorace modo longius, modo ejusdem longitudine, raro eodem brevius, sessile, triquetro-conicum, lanceolatum, oblongum, ovatumve, raro suborbiculatum, dorso planum, apice (in femina) acutum. Venter modice carinatus. *Terebra* plurimis recondita, in canali ventrali latens; paucis exserta; vaginae tum hirtae. *Pedes* mediocres, femoribus neque multum incrassatis, neque dentatis. *Tibiae* mediae apice calcaribus duobus parvis armatae. *Alae* plerisque hyalinae; paucis fasciatae, vel punctis quibusdam costalibus notatae, vel macula discoidali obumbratae, plurimis hyalinae, omnibus pilis inspersae, et ubi hyalinae

sunt, iridis coloribus variantes. Nervorum dispositio supra exposita est.

Statura omnium parva, plurimorum minuta et exilis. *Punctura* subtilis, pube plerisque inspersa. *Color* diversus, virens, aureus, aeneus, ater; in aliis totius corporis idem, nullo alio immixta, in aliis caput, thorax, abdomenve flavo- vel rufo-varia. *Antennae* nusquam annulo pallido cinctae, nigrae vel pallidae, quemadmodum et pedes coloris diversi observantur.

Mares differunt a feminis: *antennarum flagello* longiori, articulis magis distinctis magisque hirtis, abdomineque apice obtuso. In quibusdam *flagelli* marium articuli aliquot inferiores e basi introrsum ramum emittunt, satis longum, pilosum, ut antennae cornua cervorum haud male referant.

Metamorphosis in larvis, *Noctuarum Tinearum*que praesertim, e quibus vivis larvae Eulophorum albidae, viscidae, rugulosae, erumpentes, mox in pupas mutantur, nulla tela nexa, sed in dorso muco quodam adglutinata *pupa*. Quies in pupae statu brevis. *Imago* flores amat umbellatarum, paulo sequior reliquis Pteromalinis, sed eodem modo pedibus et inter volatum saltans.

Non omnibus tamen idem metamorphoseos modus datus. Vidi enim *Eulophum pictum* e folliculo quodam membranaceo flavo, nescio cujus insecti residuo, Salicis triandrae folio arcte adglutinato, exclusum. *Eulophus atratulus* in meatu larvae *Tineae Roesellae* subcutaneo, ipsa larva destructa, folliculos net, in seriem congestos. E folliculis similibus (nescio an pupis an ovis insecti cujusdam), foliis Festucae ovinae adhaerentibus, *Eulophum exiguum* prodeuntem observavi, et plures quidem e singulis, quibus patet, folliculos illos *Eulophorum* pupas non fuisse. *Eulophus gallarum* in *Cyniphis quercus ramuli* larvis status priores vitae peragit.

Adnot. I. Species, terebra prominente instructae, proprii generis esse videntur.

Adnot. II. Nomen *Eulophus*, a. b. *Geoffroy* huic generi impositum, revera quidem justo angustius, cum in paucissimis speciebus antennae ramosae inveniantur. Sed antiquum est nomen, et a nota maxime memorabili specierum quarundam generis derivatum. Retinuimus itaque, eoque majori fiducia, cum *Latreillii* auctoritate sit confirmatum. *Entedonis* cognomen, quod Dalmano placuit, ex opposita parte non minus vituperandum est, quum sensu

sit nimis lato, quid? quod omnibus Ichneumonidibus communi, quorum species cunctae larvarum statu alia insecta intrinsecus comedunt.

SECTIO I.

Terebra feminarum recondita.

A. *Ramicornes.*

Antennae marium ramosae.

1. Eulophus *ramicornis* Geoffr.

E. viridis, nitidus, antennis feminae villosis pedibusque flavis, maris ramosis; abdomine oblongo. *Mas. Fem.*

Synon. *Eulophus Geoffr. Ins. Par. II. p.* 312. *n.* 1. *tab.* 15. *fig.* 3.

Eulophus ramicornis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 28. *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 152.

Entedon ramicornis Dalm. in Act. Holm. a. 1820. *I. p.* 174. *tab.* 8. *fig.* 40 *et* 41 (*antenna et ala*). *Pterom. Suec. p.* 8. *tab.* 2. *fig.* 40 *et* 41.

Diplolepis ramicornis Fabr. Syst. Piez. p. 153. *n.* 24 (*mas*).

Chalcis ramicornis Jur. Hymen. p. 316.

Ichneumon ramicornis Fabr. Ent. syst. II. p. 190. *n.* 237. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 212. *n.* 252.

Die gelbgrüne Springschlupfwespe mit gelben Füſsen und ästigen Fühlhörnern bei dem Männchen. De Geer Ins. ed. Germ. II. p. 200. *tab.* 31. *fig.* 4, 5, 14, 15, 16 (*mas*), *fig.* 17 (*feminae caput cum antennis*).

Long. lin. $^3/_4$. *Caput*, *thorax* et *abdomen* laevia, nitida, aureo-viridia. Frons retusa. *Antennae* feminae fractae, testaceae, septemarticulatae; *radicula* brevissima; *scapo* longitudine dimidii flagelli; *pedicello* obconico; *flagello* pubescente, articulis duobus inferioribus obconicis, pedicello aequalibus, duobus extremis oblongis majoribus. *Abdomen* oblongum, depressum, in femina fusco-aeneum. *Pedes* lutei; *coxis* viridibus; *unguibus* nigris. *Alae hyalinae,* costa paulo ultra rami stigmatici originem procurrente.

Mas differt a femina: corpore toto *laetius virente* subaurato, *abdomine* etiam concolore, tum maxime *antennis*.

Hae longiores, quam in femina, testaceae: *radicula* minuta, subglobosa; *scapus* longitudine dimidii flagelli, apicem versus subincrassatus; *pedicellus* obconicus; *flagellum* quinquearticulatum, apicem versus subincrassatum, articulis oblongis, longitudine et crassitie ordine a basi ad apicem crescentibus, pilosis, primo, secundo et tertio e basi introrsum ramum filiformem arcuatum pilosum mobilem, longitudine circiter trium articulorum flagelli, emittentibus. *Pedes* maris pallidiores sunt, quam pedes feminae, et magis albido-flavicantes.

Metamorphosis in larvis Phalaenarum. In *Noctuae Aceris* larva *Geerus* observavit. *Larvae* apodes, antice (*Geeri* sententia autem postice) attenuatae, rugulosae, subpellucidae, viscidae. E larva nutrice adhuc viva egressae, quo facto larva illa cito perit, ejusdem cadaveri aliisve corporibus vicinis Eulophorum larvae mox humore suo viscido adglutinatae in pupas mutantur resupinatas, nudas nullaque tela involutas, nigras, nitidulas, acervum granulorum stercoris, a larva ante metamorphosin larga copia redditi, in apice abdominis gerentes. Quies in pupa octo vel decem dierum. *Imago* Augusto et Septembre mensibus in floribus et foliis fruticum invenitur. Prope *Sickershausen* haud raro a me deprehensa est.

2. Eulophus *pectinicornis* Latr.

E. fusco-ater, subaeneus, antennis concoloribus, maris ramosis, femoribus apice, tibiis et tarsis testaceis; abdomine oblongo. *Mas. Fem.*

Synon. *Eulophis altera spec. Geoffr. Ins. Par. II. p.* 313.

Entedon pectinicornis Dalm. Act. Holm. 1820. *I. p.* 181 (*Tab. synopt.*). *Pterom. Suec. seors. ed. tab synopt.*

Diplolepis pectinicornis Fabr. Syst. Piez. p. 153. *n.* 22.

Chalcis pectinicornis Jur. Hymen. p. 316.

Ichneumon pectinicornis Fabr. Syst. Ent. p. 124. *Ent. syst. II. p.* 190. *n.* 236. *Lin. Syst. Nat. II. p.* 941. *n.* 77. *Faun. Suec. n.* 1647.

De Geer Ins. ed. germ. I. 4. *p.* 36. *tab.* 35. *fig.* 1—7 (*mas*). *Idem in Act. Holm. a.* 1740. *p.* 464. *tab.* 1. *fig.* 4—6.

Das Federhorn. Müll. Syst. Nat. Lin. V. 2. *p.* 862. *n.* 77. *Füesli Ins. Helv. p.* 50. *n.* 971.

Long. lin. $^3/_4$ — 1. *Caput* et *thorax* laevia, nitidula, nigra, fusco-aeneo-micantia. *Frons* retusa. *Antennae* feminae septemarticulatae, nigro-fuscae; *scapo* concolore; *flagelli* articulis oblongis, discretis, sericeis. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, *oblongo*-lanceolatum, acutum, planum, colore reliqui corporis, basi macula biloba viridi-aenea notatum. *Coxae* anticae nigro-aeneae; posteriores basi nigrae, apice testaceae. *Trochanteres* omnes e nigro-aeneo luteoque varii. *Femora* antica nigro-aenea, apice testacea; media testacea, macula media fusca-aenea. *Femora* postica tum *tibiae* omnes et *tarsi* testacea. *Ungues* nigri. *Alae* hyalinae, pilosae, costa quidquam ultra rami stigmatici originem procurrente.

Variat *femina:* plaga media *abdominis* pallida, pellucida.

Mas differt: *antennis* ramosis; *radicula* brevi; *scapo* apicem versus incrassato, flagello triplo breviore; *pedicello* obconico; *flagello* quinquearticulato (sexarticulatum, quale a Geero pingitur et describitur, observare non potui), piloso, primo, secundoque articulo ovatis, tertio conico longiori basi incurvo, tribus his e basi singulos ramos filiformes articulatos pilosos ad apicem fere flagelli pertingentes angulo arcuve potius emittentibus; quarto flagelli articulo cylindrico, praecedente longiori, quinto ovato, acuto, crassiori, apice interdum constricto. Color antennarum nigro-fuscus ut in femina. Differunt porro *mares* a feminis *abdomine* apice obtuso nigro-aeneo, plagaque media pallida pellucente fere in omnibus conspicienda; in quibusdam tamen deficiente.

Synon. *maris*: *Entedon pellucens Dalm. in Act. Holm. l. c. p.* 181. *in tab. synopt. Pterom. Suec. ead. tab.*

Metamorphosis in larvis subcutaneis quercus, teste *Geerio. Larva* solitaria, lanceolata, antice attenuata, alba, pellucida, segnis. *Pupa* nuda, fusca. Quies in pupa octo dierum. *Imago* haud rara, a vere in autumnum, praesertim in fruticibus et arboribus. Cepi prope *Sickershausen* marem Aprili, Majo et Julio mensibus in Quercu. *Feminam* iisdem in locis Septembre.

3. Eulophus *pennicornis.*

E. nigro-aeneus, antennis maris ramosis, utriusque sexus scapo pedibusque luteis, coxis femoribusque fuscis; abdomine ovato. *Mas. Fem.*

SYNON. *Entedon plumicornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 181 *(in tab. synopt.). Pterom. Suec. ead. tab. ?*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Differt a praecedente, cui structura *antennarum*, tam *maris*, quam *feminae*, quam maxime accedit: *statura* majore, crassiore; *antennarum scapo* testaceo, nec nigro; *colore* corporis obscuriori; *abdomine* ovato, in utroque sexu concolore; *pedibus*, ubi illi aenei sunt, magis fuscis.

Alae in hoc etiam hyalinae, purae, pilosae.

Cepi feminam hoc ipso momento, cum Larvae *Noctuae Gammae* ova imponeret, *Sickershusae* die 6. Maji a. 1811. Metamorphosis, qualis in *Eulopho ramicorni* descripta. Imagines post 10 dies exclusi sunt, Julio mense. Cepi etiam marem in horto tempore autumnali.

B. *Nudicornes.*

Antennae utriusque sexus simplices.

a. *Alae maculatae*, *vel fasciatae* (excepto *Eulopho rufescente*, inter species „trunco variegato“ quaerendo).

4. EULOPHUS *fuliginosus.*

E. nigro-aeneus, abdominis orbiculati fascia baseos, antennarum scapo, tibiis tarsisque luteis; alis hyalinis, macula obsoleta fusca. *Mas.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. Statura fere maris *Eulophi pennicornis*. *Antennae scapo* tenui, angusto, luteo; *flagello* subaequali, fusco sericeo, articulis non multum discretis. *Caput* et *thorax* structurae communis, punctulata, nigro-aenea. *Abdomen* vix longitudine thoracis eoque fere latius, orbiculato-ovatum, obtusum, plano-depressum, corpori reliquo concolor. *Coxae* et *femora* fusca; *trochanteres* picei; *femorum* apices, *tibiae* et *tarsi* lutei; *ungues* fusci. *Alae* ratione corporis magnae, glabriusculae, macula disci obsoleta fusca.

Cepi *marem*, Julio mense, *Sickershusae* in horto. *Feminam* non vidi.

5. EULOPHUS *turcicus.*

E. obscure violaceus, tarsis albis; abdomine ovato-orbiculato; alis lunula media transversa fusca. *Mas.*

Long. vix $\frac{1}{3}$ lin. *Corpus* breve, latiusculum. *Caput* transversum, fronte retusa, vertice angusto, uti totum

corpus (pedibus exceptis, qui nigri sunt), saturate violaceum, obiter inspectum nigrum, satis splendens, glabrum. *Antennae* validae nigrae; *scapus* tenuis; *pedicellus* obconicus; *flagelli* articuli tres anteriores aequales, cylindrici, discreti, hirti, quartus et quintus paulo tenuiores, compressi. *Thoracis* superne visi circumscriptio fere circularis; dorsum depressiusculum, supra scapulas puncto excavato notatum. *Scutellum* parum discretum. *Abdomen* thoracis magnitudine, suborbiculatum, valde depressum, basi rotundatum, ano obtuso. *Pedes* graciles, nigri; *tibiis* anticis pallidioribus. *Tarsi* omnes albi, unguibus fuscis. *Alae* texturae firmioris, hyalinae, hirtae, fascia lunata, nec margines attingente, fusca in medio disco.

Cepi unum *marem* in frutice quodam nemoris prope *Sickershausen*. *Feminam* non vidi.

6. Eulophus *bifasciatus*.

E. nigro-subviolaceus, capite thoracisque dorso aureis, tibiis anticis tarsisque omnibus testaceis; alis fasciis duabus fuscis.

Synon. *Entedon bifasciatus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 181 (*in tab. synopt.*). *Pterom. Suee.* (*eadem tabula*)?

Long. lin. ½. *Antennae* fuscae; *scapo* brevi, crasso; *flagello* subclavato, villoso, articulis quinque parum discretis. *Caput* latitudine thoracis, fronte valde excavata, totum aureum, nitens. *Thorax* depressiusculus, dorso punctulatus, cum scutello aureus. *Metathorax*, *pleurae* et *pectus* e violaceo nigra. *Abdomen* longitudine fere thoracis, oblongum, planum, laeve, nigro-violaceum, nitens, genitalibus (masculis) prominentibus subulatis. *Pedes* corpori infero concolores, *tibiis anticis* albicantibus, *tarsis* omnibus albis, ungue fusco. *Alae* hyalinae, hirsutae, fascia arcuata a ramo stigmatico descendente versus marginem alarum interiorem obsoletiori, margineque postico, fasciam terminalem exhibente, pallide fuscis.

Unum *marem* die 29. Maji a. 1810 in Pruno spinosa locis udis prope *Sickershausen* legi. De *femina* nihil constat. Si Synonymo Dalmani, e solo nomine consono hausto, fides tribuenda, etiam in *Suecia* habitat.

b. *Alae* (excepto *Eulopho rufescente*) *immaculatae, purae, rariusve punctis aliquot costalibus notatae.*

✝ *Trunco immaculato, abdomine rufo-vario.*

7. EULOPHUS *larvarum.*

E. aureo-viridis, nitidus, abdominis oblongi nigro-aenei macula media antica, antennarum scapo pedibusque luteis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Eulophus larvarum Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 28.

Chalcis larvarum Jur. Hym. p. 316.

Cleptes larvarum Fabr. Syst. Piez. p. 156. *n.* 8.

Cynips larvarum Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p. 223. *n.* 5.

Ichneumon Larvarum Fabr. Syst. Ent. p. 114. *Ent. Syst. II. p.* 187. *n.* 222. *Lin. Syst. Nat. II. p.* 939. *n.* 67. *Faun. Suec. n.* 1637. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 206. *n.* 235. *Müll. Faun. Friedr. p.* 71. *n.* 623. *Zool. Dan. Prodr. p.* 159. *n.* 1856. *Schrank En. n.* 759. *Rossi Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 80. *n.* 793?

Die Springschlupfwespe mit gebrochenen keulenförmigen Fühlhörnern, goldgrünem Kopf und Brustschilde, gelblichen Füßen und schwarzem Hinterleibe, mit einem braunen Fleck. De Geer Ins. ed. Germ. II. p. 194. *tab.* 31. *fig.* 1—9.

Réaum. Ins. II. tab. 36. *fig.* 9, 10, 11.

Long. lin. 1. *Statura* omnino *Eulophi ramicornis* feminae, sed *abdomen* fere nigrum, macula rufa notatum, et *antennae* marium non ramosae. Hae octoarticulatae; *radicula* brevi; *scapo* dimidio flagello longiore, lanceolato, compresso, luteo; *pedicello* obconico; *flagello* quinquearticulato, testaceo-fusco, articulis tribus inferioribus in femina obconicis, quarto et quinto magis contiguis oblongis (unde in icone Geeriana flagellum quadriarticulatum exhibetur), ultimo acuto. *Os* rufum. *Caput* pro more pone antennas excavatum, vertice angusto, et *thorax* depressiusculus, laevia nitida, aureo-viridia. *Metathorax* truncatus. *Abdomen* longitudine thoracis eoque paulo-angustius, oblongum, planum, acutum, cupreo-fuscum vel nigrum; segmento primo secundoque basi in medio testaceis pellucidis. Venter basi lutescens. *Pedes* pallide lutei, *coxis* viridibus, *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, pilosae, purae, costa ramoque stigmatico tenuibus.

Mas, feminae simillimus, differt: *antennarum flagello* paulo longiori, articulis oblongis, subcompressis, sericeis, *abdomine*que angustiori, obtuso.

Metamorphosis in larvis Phalaenarum. Observante *Geerio* e larva *Noctuae Aceris* die 12. Julii sedecim hujus Eulophi larvae erupere, exuvias nutricis inanes relinquentes. Hae larvae lineares, obovatae (scil. caput versus, sententia Geeri, incrassatae, quod modo inverso in aliis hujusmodi larvis se habet), albae, viscidae et quasi vernice illitae, linea fusca dorsali notatae, rugulosae. Emisso multo, fusco granulosoque stercore, in dorsum conversae viscidoque corpore larvae nutrici aliisque vicinis rebus adhaerentes, detracta mox cute in pupas solitae structurae nudas, nec tela circumvolutas, primum albidas, demum fuscescentes, mutabantur. Post octo dies elapsos imagines excludebantur. In Germania rarior esse videtur. Equidem unum tantummodo marem, mense Septembre, prope *Sickershausen* cepi.

Observ. I. *Eulophus larvarum* femina, ipso Geerio observante, ab *Eulopho ramicorni* femina vix distinguenda, nisi, abdomine obscuriori magis nigricante, et macula pallida (testacea, hellbraun De Geer) notato, cum illius abdomen sit concolor laetiusque viridi-aeneum. *Mares* eodem modo differunt maximeque praeterea *antennis* in *Eulopho larvarum* simplicibus, nec ramosis. Similis etiam *Eulophus fuliginosus*, sed alarum disco obumbrato, et colore satis distinctus.

Elachestus orbicularis, *viridis*, *pallipes* et *albiscapus* coloribus similes, *petiolo*, licet brevi, abdominis latioris immaculatique, tum *capitis* forma, aliisque notis genericis longius distant.

Observ. II. *Ichneumon larvarum* Lin. species est obscurissima, plurimumque ab auctoribus vexata. Definitio *Linnei:* „auratus viridis, abdomine nigro, macula dorsali *purpurascente,* pedibus flavis," a Fabricio aliisque repetita, si, nullo exemplo naturali inspecto, ad Geerii verba eficta est, male interpretato verbo Geeriano, colorem maculae dorsalis exprimente, a vero aberrat. Geerius enim maculam illam „pallide fuscam" vel „testaceam" describit, qualis et in nostris omnibus, quibus antennae septemarticulatae sunt, reperitur.

Ii vero, qui verba Linnaei stricte explicantes *purpurascentem* maculam in dorso abdominis quaerendam esse statuebant et ad antennarum articulorum numerum non re-

spiciebant, vel *Torymi purpurascentis* (p. 57. n. 3) marem, vel *Pteromalum puparum* (p. 107. n. 21), vel etiam *Pteromalos communem* et *ovatum*, quorum omnium abdomen dorso medio magis vel minus e cupreo purpurascit, pro *Eulopho larvarum* promiscue venditabant. Alii forsan et *Elachestos* supra memoratos aliique alios ante oculos habuere, ubi de *Ichneumone larvarum* sermo esset.

Nusquam igitur, nisi in Geerio, quod ad haec attinet, certa fides, quem igitur solum auctorem nobis elegimus ejusque vestigia pressimus. Tum aliorum v. c. *Villarsii*, hunc sequentium scripta specie et spe quadam veri citari posse existimabamus.

Diplolepis larvarum Spin. (Ins. Lig. Fasc. III. p. 162. n. 16. excl. Synon.) ob antennas decemarticulatas, certo non hujus loci est. Nobis *Pteromalus larvarum* (n. 3).

Rossius, l. c., cum, repetita diagnosi Fabriciana addit: „prodierunt mihi innumeri e *pupa* phalaenae, long. 5 lin.,“ certo non nostram speciem intellexit, quae nunquam e pupis Lepidopterorum prodit. Forte *Pteromalum* quendam cum *Eulopho* nostro confudit. Praeterea errorem typographicum in mensura latere quisque videt.

8. Eulophus *medius*.

E. obscure viridis, antennarum scapo, abdominis oblongi fusci macula media, ventre pedibusque luteis, tibiis posticis apice nigris. *Mas.*

Long. lin. ⅔. Species haec, pracedenti multis quidem accedens, satis tamen differt. *Antennae* longae, fuscae, pubescentes; *scapus* luteus. Totum corpus laeviusculum, glabrum, obscure viride, subaeneum. *Abdomen* thorace paulo longius, oblongum, planum, obtusum (in mare), fuscum, plaga media ventreque toto luteis. *Coxae* nigro-virides. *Femora* lutea, immaculata; tibiae luteae, posticae apice lato tractu nigrae; *tarsi* lutei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, purae.

Marem unum mense Octobre sub foliis aridis prope *Sickershausen* cepi. *Feminam* non vidi.

9. Eulophus *abdominalis*.

E. obscure viridis, antennarum scapo, abdominis ovati fusci macula baseos, ventre pedibusque luteis, femoribus posticis apice fuscis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. A binis praecedentibus differt: *statura* ratione longitudinis latiore, *abdomine* vix thoracis longitu-

dine, in utroque sexu ovato, vel subrotundo-ovato. Caveas igitur, ne praecedentem speciem marem hujus existimes. *Antennae* breves; *scapus* lanceolatus, testaceus; *flagellum* fuscum, articulis subcylindricis, non adeo discretis, ac in binis praecedentibus. *Os* rufum. *Caput* latitudine thoracis, fronte retusa, et *thorax* omnis punctulata, obscure viridia. *Thoracis dorsum* medium depressiusculum. *Scutellum* discretum, apice subtruncatum, planiusculum. *Metathorax* truncatus. *Abdomen* ovatum, acutum, planum, laeve, dorso fuscum; primo segmento postice secundoque in medio luteis, ut in *Eulopho larvarum*. *Venter* planiusculus, luteus, immaculatus. *Terebra* recondita. *Coxae* nigro-virescentes. *Pedes* lutei; *femoribus* posticis apice *unguibus*que fuscis. *Alae* hyalinae, pubescentes.

Mas non nisi *antennarum flagello* longiori compresso magis pubescente et *abdomine* apice rotundato differt a femina.

E larva *Noctuae pyramideae*, adhuc vivente, die 4. Jun. a. 1810 novem hujus speciei *larvae* prodierunt, vix lineam longae, ovato-oblongae, antice angustiores, virides, quae folio cuidam, erucae olim pabulum praebenti, immotae adhaerentes, exuviis post tres dies depositis, die 7. Junii in *pupas* mutabantur. *Pupae* nigrae, nudae, fronte plana, tuberibus duobus superis acutis (scapi antennarum vaginis) subbicorni, glutine quodam folio dicto adhaerentes, resupinatae. Ex his post quatuordecim dies, a die 21. ad 23. Junii, tria tantum individua exclusa sunt, *masculini* generis unum; duo *feminei*. *Feminam* jam ante haec, die 10. Julii a. 1808, locis humidis prope *Sickershausen* inter frutices ceperam.

10. Eulophus *dimidiatus.*

E. virescenti-aureus, abdomine orbiculato, apice purpurascente, basi, antennis et pedibus flavis. *Mas.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. *Caput* breve, thorace paulo angustius, fronte modice excavata, subtilissime punctulatum, viridiaureum. Hypostoma nitidissimum. *Palpi* parum exserti, pallidi. *Mandibulae* piceae. *Antennae* structurae solitae, fere ut in *Eulopho larvarum*; *scapo* flavo; *flagello* pallide testaceo. *Prothorax* lunatus, subtus magis extensus. *Thorax* proprie dictus latus, depressiusculus, subtilissime punctulatus. *Scutellum* obtusum. *Color* thoracis in universum, una cum *pleuris* et *pectore*, aureus cum virore. *Abdomen* orbiculare omnino, ano rotundato, planum; primo

mo segmento maximo flavo, basi margineque postico, ut reliquis segmentis totis, purpurascenti-cupreis. *Pedes* flavi; *coxis* posticis aeneo-auratis; *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae.

Cepi *mares* duos, unum Junio mense, alterum Septembre, in Quercu prope *Sickershausen*. De *femina* nihil mihi constat.

Adnot. Ab *Eulopho larvarum abdominis* forma satis jam recedit. *Ichneumonis cynipedis* Lin. descriptio etiam in hanc speciem quadrat; sed abdomen ovatum dicit, quod magis *Pteromalo*, nobis a *Cyniphe* appellato (n. 1), convenit.

11. Eulophus *frontalis*.

E. aeneo-auratus, abdominis suborbiculati purpurascentis primo segmento, fronte, antennis pedibusque flavis. *Mas*.

Long. lin. 3/4. A praecedente, cui habitu proximus, differt: *statura* minore; *colore* obscuriore, e viridi et aeneo aurato; *antennis* tenuioribus; *hypostomate* valde excavato, toto luteo, etiam orbita supera spatio lato, postica angusto spatio luteis, ut caput fere luteum dicendum, occipite aeneo, maculaque verticis fusca.

Reliqua utrisque congruunt. *Antennae* testaceae; *scapo* luteo; *pedicello* fusco. *Thorax* laevis, structurae ejusdem ac in praecedente, e viridi et aeneo auratus. *Abdomen* non tam exacte orbiculatum, ac in praecedente, planum, ano rotundato; primo segmento toto flavicanti pellucido, reliquis dorso purpurascenti-nigris. *Venter* basi pallidus, apice fuscus. *Pedes* toti lutei, *tarsis* apice paulo obscurioribus. *Alae* hyalinae, purae.

Cepi *mares* aliquot Junio mense in Quercu, Julio in Selini Oreoselini floribus, locis sylvaticis prope *Sickershausen*. *Femina* adhuc latet.

† † *Trunco flavo-rufove vario, vel scutello saltem discolore.*

12. Eulophus *rufescens*.

E. rufo-nigroque varius; abdomine ovato; alis macula media fusca. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis rufescens Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 160. *n.* 12.

Cleonymus rufescens Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 29.

Ichneumon rufescens Rossi. Faun. Etr. Mant. App. II. p. 113. *n.* 94.

Die braunrothe Schlupfwespe mit gebrochenen keulenförmigen Fühlhörnern; der Brustschild und Hinterleib hinten schwarz, und auf den Flügeln ein groſser brauner Fleck. De Geer Ins. ed. Germ. II. p. 189. *n.* 11. *tab.* 30. *fig.* 22?

Ichneumon rufescens, rufus, antennis fractis clavatis, thorace postice abdomineque nigris, macula alarum magna fusca. Retz. in Geerum. l. c. p. 281? *Vill. Ent. Lin. III. p.* 211. *n.* 248?

Long. lin. 1¼. *Antennae* breves, testaceae; *flagello* quinquearticulato, articulis discretis, ovatis, extremis crassioribus. *Caput* thorace angustius, fronte retusa, punctulatum, opacum, testaceum, macula verticis, oculis, occipiteque medio nigris. *Prothorax* ovato-productus, humilis, punctatus, opacus, testaceus, macula apicis nigra. *Thorax* medius depressus, distincte in lobos, anticum et scapulares, divisus, punctulatus, opacus, subpubescens, testaceus, macula utrinque in lobo scutellari fusca. *Scutellum* obtusum, punctulatum, testaceum. *Metathorax* truncatus, nigro-fuscus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, acutum, dorso medio fuscum, lateribus ventreque rufo-testaceis, vel toto dorso fuscum, macula biloba baseos, e linea media strigaque ad perpendiculum inter se conjunctis orta, ventreque toto rufo-testaceis. *Pedes* toti rufi, *unguibus* fuscis. *Alae* obscure hyalinae, macula discoidali rotunda fusca.

Mas differt a femina: *antennis* paulo gracilioribus *abdomine*que obtuso, dorso, praeter lituram baseos, toto fusco, cum feminae abdomen lateribus etiam rufum inveniatur.

Habitat in *Italia;* prope *Genuam* captus (Spinola); in *Etruria* (Rossi); in Suecia? (De Geer.) Cepi Octobre et Novembre mensibus sub foliis aridis deciduis prope *Sickershausen.* Vidi etiam marem, a cl. Spinola e Liguria mihi missum.

Adnot. Synonymum Geeri, supra citatum, et *Ichneumonis rufescentis* Retzii, commentatoris operis Geeriani, obscurum est semperque manebit. Ut taceamus enim picturam capitis et thoracis, a tanto observatore vix quidem negligendam, obstant maxime *antennae*, quarum *flagellum* ex *multis* articulis constare refertur, tum *abdomen* „oblon-

go-ovale" dictum, et *terebra*, „paulo ultra abdominis apicem prominens." Quibus si figuram tab. 30. fig. 22. comparaveris, antennis longis, apice subclavatis, corpore attenuato, terebra distincte exserta, aliisque notis a generis hujus charactere deflectentem, vix praeter maculam alarum quidquam invenies, quod isti speciei, de qua agimus, proprium videatur.

13. Eulophus *brevicornis*.

E. nigro-viridis, flavo-varius, pedibus flavis, femoribus basi viridi-aeneis; abdomine oblongo-ovato; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis brevicornis Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 160. *n.* 11.

Cynips prima Schaeff. ic. tab. 134. *fig.* 4. *a, b.*

Cynips brevicornis Panz. Enum. syst. ad. tab. 134. *n.* 4.

Long. lin. 1. Statura praecedentis, quo paulo minor. *Antennae* pallidae, septemarticulatae; *radicula* brevissima; *scapo* longitudine dimidii flagelli; *hoc* quadriarticulato (ob primum articulum brevissimum puto), articulis tribus anterioribus, pedicello obconico parum longioribus, ovatis, extremo globoso, incrassato. *Caput* in aliis pallide testaceum, oculis, mandibulis, maculaque verticis nigro-viridibus, vel nigro-viride, ore solo rufo. *Prothorax* lunatus, antice minus prominens, nigro-viridis. *Thoracis medii* dorsum ejusdem coloris, macula loborum scutellarium flava, in quibusdam cum oppositi lateris macula striga transversali conjuncta, notatum. *Scutellum* breve, obtusum, punctulatum, totum vel apice tantum flavum, vel flavum, linea media nigro-aenea. *Metathorax* truncatus, viridi-niger, concolor. *Pectus* albidum. *Pleurae* nigro-virides. *Abdomen* longitudine thoracis, oblongo-ovatum, planum, laeve, nigro-viride, segmentorum marginibus flavis, in posterioribus segmentis fascias, saepe interruptas, pallidas constituentibus. Venter pallescens. *Pedes* flavi; *coxis, femoribus*que basi, viridi-aeneis; *trochanteribus* piceis; *tarsorum* articulis apice *unguibus*que nigris. *Alae* hyalinae, purae.

Mas differt a femina *antennarum flagello* longiori, piloso, et *abdomine* obtuso.

V a r i a t:

β. thorace pallido, vix maculis nigris in medio notato; *segmentorum abdominis* fasciis marginalibus pallidis latioribus et interdum totum segmentum obtegentibus. *Fem.*

Habitat passim in *Liguria.* (Spin. l. c.) Circa *Ratisbonam Schaefferus* observavit. Vidi exemplum, *masculini sexus*, a. cl. *Spinola* e Liguria missum.

14. Eulophus *flavovarius.*

E. capite thoraceque nigro-aeneis, flavo inscriptis, puncto subscutellari pedibusque totis flavis; abdomine ovato; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $^3/_4$. *Corpus* laeve, nitens. *Caput* latitudine thoracis, flavum, puncto verticali maculaque nuchae viridi-aeneis; frons profunde excavata. *Antennae* fusco-testaceae; *scapo* flavo; *flagelli* articulis quinque distinctis, oblongis, extremo longiori. *Os* acutum, prominulum; *mandibulae* fuscae. *Thorax* (prothorace ovato-semilunari complexo) maximam partem flavus, linea utriusque lateris et macula semicirculari marginis antici prothoracis nigro-aeneis. Linea nigra, e medio arcu maculae prothoracis excurrens, ad basin scutelli extenditur. *Scutellum* ipsum valde distinctum, ovatum, flavum, lineis duabus aeneis notatum. *Macula* flava sub scutello, huic subcontigua. *Metathorax* truncatus, laevis, viridi-aeneus. *Abdomen* thoracis longitudine, ovatum, acutum, basi ventreque flavis; dorso postico latiori vel breviori spatio aeneo-fusco. *Pedes* toti flavi, unguibus nigris. *Alae* hyalinae, purae.

Mas. Antennae longiores, filiformes, fuscae, *flagello* pubescente. *Color* corporis fusco-aeneus. Orbita, os versus magis dilatata, os et gula flava. Macula parva flava ante alas. *Scutellum* fuscum. Macula flava sub scutello. *Abdomen* oblongum, obtusum, depressum, fusco-aeneum et venter concoloria. *Pedes* rufi; coxis fusco-aeneis, apice pallidis; femoribus posticis in medio obscurioribus.

Cepi *feminam* Augusto mense in floribus prope *Sickershausen. Marem*, cum femina varietatis *β.*, Septembre mense in nemorosis.

Variat femina:

β. Abdomine dorso toto fusco-aeneo, immaculato, ventre flavo.

Cepi mense Septembre in nemorosis prope *Sickershausen.*

γ. Thorace et *prothorace* dorso nigro-aeneis, maculis scutellaribus in medio confluentibus; *scutello* basi flavo, apice nigro-aeneo; *pectore* antico nigro.

Cepi Junio mense prope *Sickershausen.*

15. Eulophus *unipunctus.*

E. fusco-aeneus, capite thoraceque flavo-variis; scutello flavo, puncto fusco; abdomine orbiculato basi, scapo antennarum pedibusque rufis; alis hyalinis. *Mas.*

Long. lin. 1⅛. A praecedente bene distincta species. Differt: *statura* majore, robustiore; *antennis* nigris, *scapo* rufo; *metathorace* magis protenso et nulla macula flava sub scutello notato; *abdomine* orbiculato, depresso, apice rotundato, basi parum contracto ibidemque rufescente; corpore *subtus* toto rufo; colore denique *pedum* saturatiore.

Caput flavum, macula verticis et nuchae fusco-aeneis. *Prothorax* ut in praecedente productus, fusco-aeneus. *Thoracis medii* dorsum fusco-aeneum, macula magna rufo-flava ante alas. *Scutellum* parvum, rufo-flavum, puncto medio fusco-aeneo. *Metathorax* carinula media angusta praeditus, aeneo-nitidus, puncto nullo infra scutellum discolore inscriptus. *Corpus* subtus rufum, macula pectoris ventrisque apice indeterminata fuscis. *Pedes* toti rufi, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, purae.

Cepi unum *marem* in floribus Anethi graveolentis horti mei, *Sickershusae*, die 13. Julii a. 1812. *Feminam* nunquam vidi.

16. Eulophus *pictus.*

E. nigro-viridi-aeneus, capite, thoracis fascia, abdominis ovati basi lateribusque et pedibus flavis; tibiis mediis annulo nigro; alis hyalinis. *Mas, Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* fusco-testaceae, concolores; *flagelli* articulis quinque ovatis, extremo breviore. *Caput* flavum, subvirescens; *ore* rufescente; *oculis* fusco-sanguineis; stemmatibus verticis angusti nigris. *Prothorax* prominens, nigro-aeneus, immaculatus. *Thoracis* medii dorsum planiusculum, nigro-viridi-aeneum, fascia lata, postice sinuata, virescenti flava inter alas divisum. *Scutellum* thoraci concolor. *Metathorax* declivis, colore thoracis; puncta duo flava minuta, vix conspicienda, ad latera scutelli in metathorace. *Abdomen* longitudine thoracis, ovato-oblongum, acutum, planum, laeve; segmento primo virescenti-flavo, cruce nigra, e striga baseos lineaque longitudinali postice dilatata constructa, notato; secundo virescenti-flavo, macula transversali marginis postici punctoque utrinque marginali nigro-aeneis; tertio, quarto et quinto nigro-subaeneis, lateribus virescenti-flavis, margine tamen postico nigro-aeneo; reliquis nigro-aeneis immaculatis. Corpus subtus

nigro-aeneum, immaculatum. *Pedes* toti flavi, *unguibus, dactylis tibiarum*que mediarum annulo lato nigris. *Alae* hyalinae.

Mas plus dimidio minor, totus flavus; *antennis* luteis, articulis tribus anterioribus supra nigris. *Metathorax* sub scutello nigricans. *Abdomen* suborbiculato-ovatum, depressum, e quatuor tantum segmentis constare videtur, quorum primum maximum, punctis tribus baseos margineque postico lato nigris, secundum etiam margine nigro, quo fasciae duae nigrae oriuntur. Totum corpus subtus flavum. *Pedes* et *Alae* ut in femina.

Die 21. Julii a. 1809 *Sickershusae* e folliculo quodam flavo, membranaceo, folio Salicis triandrae arcte adglutinato, per duo foramina rotunda viginti et quatuor hujus speciei individua prodierunt, quorum duodeviginti sexus *feminei*, sex autem masculini, eademque mox copula jungebantur. Exuviae primi hujus folliculi incolae adeo destructae erant, ut nihil certi circa eas explorari posset.

Varietates:

β. Mas, coloribus corporis superi ut in femina, inferi flavo.

Captus mense Augusto in nemore prope *Sickershausen.*

γ. Femina, paulo minor reliquis, coloris obscurioris, tibiis mediis exannulatis.

Capta mense Septembre prope *Sickershausen*, in Quercu.

17. Eulophus *scutellaris.*

E. niger, antennis, scutello, tibiis apice tarsisque flavis; abdomine ovato; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. 1/5. Species exigua, sed distinctissima. *Corpus* punctatum, nigrum, subcupreo-micans. *Antennae* octoarticulatae, hypostomati infero insertae, breves; *scapo* nigro; *flagello* flavo. *Scutellum* magnum, semicirculare, sulphureum. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, apice rotundatum, dorso planiusculo, ruguloso. *Terebra* recondita. *Pedes* nigri, *genubus, tibiis* apice *tarsis*que pallidis, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, purae.

Unam *feminam* ad fenestras cubiculi *Sickershusi* cepi. *Marem* non vidi.

✝ ✝ ✝ *Corpore immaculato, solo hypostomate vel fronte in nonnullis discoloribus.*

* *Abdomine conico-elongato, vel oblongo angusto; pedibus plerisque pallidis. Alae hyalinae in omnibus.*

Statura specierum hujus subdivisionis ad *Pteromalo-*

rum quorundam, v. c. *Pteromali variantis*, magisve ad *Cleonymorum* elongatorum habitum accedit.

? 18. Eulophus *flavus*.

E. flavus, oculis stemmatibusque nigris, abdomine conico-subulato. *Fem.*

Long. lin. ⅓. Refero hunc in locum insectum quoddam, paucis verbis in schedis notatum, sed prius, quam accuratius examinari potuerit, casu mihi ereptum neque postea unquam obvium. Proprii generis esse suspicor.

Antennae septemarticulatae videbantur (sed fortiori lente adhuc explorandae erant). Totum corpus laeve, nitidum, *flavum*, solis *oculis stemmatibus*que nigris. *Ungues* fusci. *Alae* hyalinae, ramulo stigmatico punctiformi *basi propiori*. *Abdomen* angustissimum, subulatum, dorso planum, ut in *Cleonymo bimaculato*.

Cepi unam *feminam* 2. Octobris a. 1809 sub foliis aridis directis prope *Sickershausen*.

Adnot. Ob radium stigmaticum ante mediam alam enatum *Encyrtis* accedere videtur, sed habitus repugnat, et antennae paucioribus potius quam pluribus articulis componi videbantur.

19. Eulophus *subulatus*.

E. viridis, nitidus, antennis aequalibus, scapo pedibusque pallidis, femoribus medio fuscis; abdomine triquetro-subulato, obscure aureo. *Mas.*

Long. lin. 1¼. *Antennae* fere aequales; *scapo* flavo; *flagello* fusco, articulis quinque subcylindricis, ultimo acuto. *Caput* latitudine thoracis, fronte parum excavata. Os piceum. Superficies capitis et thoracis subtilissime punctulata, nitida, laete viridis. *Prothorax* lunatus. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, trigono-subulatum, dorso planum, acuminatum, totum obscure aureum. *Venter* concolor, carinatus; tamen masculini sexus esse videtur exemplum nostrum. *Coxae* colore corporis. *Femora* flava, in medio rufescentia; *tibiae* et *tarsi* flava. *Alae* hyalinae, purae.

Unum cepi hujus speciei exemplum mense Septembre in floribus prope *Sickershausen*. Alter sexus latet.

V a r i a t:

β. Long. lin. 1.; *antennarum flagello* fusco-testaceo; reliquo corpore viridi-aeneo; *abdomine* conico-elongato quidem, neque adeo subulato; praeter femora etiam *tibiis*

in medio obscurioribus, *tarsis*que apice fuscis. *Fem.* Forte species distincta. Cepi Septembre mense in Quercu prope *Sickershausen.*

20. Eulophus *tabidus.*

E. ater, subcoerulescens, antennis testaceis, extremo articulo incrassato, pedibus fusco-piceis, tibiis et tarsis testaceis; abdomine conico-subulato, concolore. *Fem.*

Long. vix lin. $^1/_2$. A praecedente, cui statura proximus, differt: corpore *minore; colore* et *antennarum* forma, quae quidem fusco-testaceae, septemarticulatae, sed *scapo* breviusculo, fusco, *pedicello* magno obovato, *flagelli* articulis tribus anterioribus aequalibus, cylindricis, extremo majori ovato obtuso compresso. *Thorax* depressiusculus, e nigro violaceus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, vel paulo longius, conico-subulatum, reliquo corpore paulo obscurius. *Pedes* testacei; *coxis femoribus*que, excepto apice, fusco-piceis; *tibiis* in medio paulo obscurioribus. *Alae* angustae, hyalinae, pilosulae, ciliatae, ramulo costali distincto.

Cepi *feminam* die 9. Junii a. 1812. *Sickershusae* in horto. *Marem* non vidi.

21. Eulophus *sericeicornis.*

E. cupreus, antennarum flagello subtus rufo-sericeo, tibiis anticis geniculisque pedum posteriorum rufis; abdomine oblongo-subulato. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. Ab omnibus affinibus differt antennis *novemarticulatis. Radicula* harum minuta; *scapus* mediocris, cupreus, basi subtus rufescens; *pedicellus* obconicus, conspicuus, fuscus; *flagellum* sexarticulatum, articulis tribus anterioribus cylindricis, diametro brevioribus, tribus posterioribus elongato-cylindricis, sexto angustato; his cunctis sericeis fuscis, subtus laete rufo-micantibus. *Caput* parvum, structurae solitae, fronte parum retusa, cupreum. *Prothorax* obtuse conico-productus, cupreus, opacus. *Thoracis* medii dorsum planiusculum ejusdem coloris. *Metathorax* declivis, nitens, viridis. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, oblongum, acuminatum, subtriquetrum, depressum, cupreum. *Pedes* fusco-cuprei; *femoribus* anterioribus apice late rufis; tibiis iisdem rufis, extus versus apicem lineola fusca notatis, *tarsis* testaceis, apice fuscis: *pedes postici* aeneo-fusci, *tibiis* et *tarsis* basi parum testaceis. *Alae* hyalinae, pubescentes, ramulo stigmatico, apici propiori, puncto parvo nigro terminato.

Mas, feminae simillimus, differt: *thorace* magis viridi; *abdomine* obtuso; *tibiis* mediis apice late fuscis, anticarum lineola apicis latiore.

Cepi *feminam* primo Maji a. 1811 in Pruno Pado prope *Sickershausen*; *Marem* die 21. Aprilis ejusdem anni in Rosa horti.

22. Eulophus *versicolor.*

E. supra viridi-coerulescens, scutello, abdomine corporeque subtus purpurascenti-cupreis; antennarum scapo pedibusque totis luteis; abdomine oblongo-lanceolato. *Mas.*

Long. lin. 1. *Caput* latitudine thoracis, fronte excavata, vertice angustissimo, viridi-aeneum, nitidissimum. *Antennae* filiformes; *scapo* tenui, luteo; *pedicello* obconico, basi lutescente, apice fusco; *flagello* quadriarticulato, fusco, articulis elongato-cylindricis, aequalibus, pubescentibus, extremo acuto. *Prothorax* lunatus, breviusculus. *Thorax* medius repressiusculus, rotundatus, cum prothorace viridi-coerulescens, laevis, nitidus, foveis suprascapularibus lunatis. *Scutellum* maximum, ovato-rotundatum, fusco-cupreum, laeve. *Metathorax* brevis, virescens. *Abdomen* capite thoraceque longius, oblongo-lanceolatum, acuminatum, basi angustum, dorso planum, e purpurascenti cupreum, basi ipsa lutescente, ano magis cupreo. Corpus inferum totum fusco-cupreum. *Pedes* toti lutei, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, pubescentes.

Mas captus in Quercu prope *Sickershausen*, locis nemorosis, die 20. Augusti a. 1812. De *femina* nihil certi scio.

23. Eulophus *xanthostomus.*

E. aurato-viridis, nitidissimus, antennis testaceis, scapo, ore pedibusque totis flavis; abdomine oblongo-lanceolato, acuminato. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{3}$. Statura ad *Pteromalum larvarum* accedit. *Antennarum scapus* flavus; *flagellum* aequale, filiforme, quinquearticulatum, pubescens, testaceum, articulis oblongis aequalibus. *Caput* latitudine thoracis; vertice angusto; fronte excavata. *Os* totum, inferne visum, flavum. *Caput* reliquum, uti totum corpus, subtilissime punctatum, glabrum, nitidum, viride, aureo-nitens. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, oblongo-lanceolatum, acuminatum, planum, laevissimum, corpore reliquo paulo obscurius. *Pedes* toti laete flavi, unguibus fuscescentes. *Alae* hyalinae, purae.

Cepi duo exempla, sexus *feminei*, in Fago sylvatica, unum in monte, *Schwabenberg* dicto, *Franconiae*, alterum inter monasterium *Ilmbach*, et *Ebersbrunn*. *Marem* non vidi.

* * *Abdomine oblongo-ovato, ovato, vel suborbiculari.*

24. Eulophus *Gallarum.*

E. viridis, vel coerulescens, nitidus, tibiis tarsisque flavis; abdomine oblongo-ovato cupreo; alis hyalinis puncto antico ramoque stigmatico nigris. *Mas. Fem.*

Synon. *Diplolepis gallarum Fabr. Syst. Piez. p.* 150. *n.* 8. *Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 227.

Pteromalus Gallarum Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 31.

Ichneumon Gallarum Lin. Syst. Nat. II. p. 939. *n.* 65. *Faun. Suec. n.* 1635. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 206. *n.* 232. *Fabr. Syst. Ent. p.* 111. *Ent. syst. II. p.* 186. *n.* 218.

Long. lin. $^2/_3$ — $1^1/_2$. *Antennae* septemarticulatae; *scapo* viridi; *flagello* fusco-testaceo, articulis aequalibus oblongis. *Caput* latitudine thoracis, fronte modice excavata, subtilissime punctatum, nitidum; *os* piceum. *Prothorax* lunatus, versus nucham productus. Reliqui *thoracis, scutelli* et *metathoracis* structura ut in reliquis. Color corporis per varios gradus e laeto virore in coerulescentem et nigro-coeruleum ludit. *Abdomen* longitudine thoracis vel paulo longius, oblongo-ovatum, planum, acutum, laeve, subcupreum, vel saltem reliquo corpore obscurius. *Terebra*, pro more hujus sectionis, recondita. *Coxae* colore corporis; *trochanteres* flavi; *femora* nigro-aenea; *tibiae* et *tarsi* flava, *ungues* nigri. *Alae* hyalinae, puncto costali, ubi nervus subcostalis costae jungitur, ramoque stigmatico distincto apice incrassato nigris.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, magis pubescentibus; *abdomine* apice rotundato, fusco-cupreo, et *trochanteribus* coxis suis concoloribus.

Habitat in larvis *Cyniphis Quercus gemmae* Lin., e cujus galla ineunte mense Martio a. 1811 multa utriusque sexus exempla mihi exclusa sunt, posteaquam ex eadem galla, in scatula bene asservata, jam die 13. Julii a. 1809 plura exempla *Eurytomae signatae* (pag. 43. n. 6) prodierant; neque plane a vero abhorrere videtur, triplicem hic locum habere parasitorum seriem, cum *Eurytomae* larvae larvis *Cyniphis* innascerent, *Eulophi* larvae autem *Eurytomarum* larvas rursus inhabitarent.

Cepi etiam Majo et Julio mensibus *feminam*, dum quercuum ramulos, a *Cyniphe* jam vulneratos et apice languescentes, terebra sua perforabat. In larvis *Cyniphis Quercus ramuli* vivere, Linneus docet.

V a r i a t:

β. Scapo antennarum subtus testaceo; *colore* corporis magis aeneo, *capite thoracis*que dorso laetius virescentibus; *abdomine* breviore; *fasciis* binis *alarum* obsoletis, e punctis costalibus descendentibus. *Fem.*

Cepi die 6. Julii a. 1812 in Quercu prope *Sickershausen.*

An species distincta? *Mas* mihi ignotus.

Adnot. Quoad vitae rationem haec nostra species inter omnes maxime convenit cum *Ichneumonis Gallarum* descriptione, quam solam auctores omnes recentiores secuti esse videntur. Exemplum coloris obscurioris Linnaeum, cum speciem constitueret, ante oculos habuisse ponas, et omnia naturae convenienter ab eo exposita invenies. Convenit etiam statura, *Ichneumoni larvarum* similis dicta, conveniunt antennae, articulis septem constantes. Puncta etiam alarum respexisse, cum „Cyniphem se illum dicturum fuisse, nisi locus et alimentum prohibuissent", profiteretur, a vero non abhorrere videtur.

25. Eulophus *tibialis.*

E. viridi-aeneus, tibiis tarsisque posterioribus albis; abdomine lanceolato, cupreo, basi aeneo-viridi; alis hyalinis, impunctatis. *Fem.*

Long. lin. 1¼. A praecedente, cui similis, differt: *punctura*, praesertim thoracis et scutelli, crassiore; *tibiis* albis, nec flavis; *alis* nullis punctis notatis.

Caput confertim, neque adeo crasse punctatum, viridi-aeneum; hypostoma breve, coerulescens; frons excavata. *Antennae* breviusculae; *scapo* longo viridi; *pedicello* obconico, flagello concolore; *flagello* apicem versus vix crassiore, ad speciem quadriarticulato, sc. articulis primo et secundo in corpus unum cylindricum coalitis, tertio et quarto aequalibus cylindricis, quinto ovato obtuso. *) *Thorax* convexiusculus, punctatus, viridi-aeneus; *prothorace* lunato. *Scutellum* ovatum, subcicatricosum, thoraci concolor. *Metathorax* laevis, ejusdem coloris. *Abdomen* thorace vix

*) Hoc idem, ubicunque flagellum in his quadriarticulatum videtur, incidisse, observatione edoctus sum.

longius, lanceolato-acuminatum, depressum, cupreum; segmentis primo toto et ultimis marginibus viridibus nitidissimis. Corpus subtus, cum *coxis*, *trochanteribus femoribus*que viride, coeruleo-nitens; *tibiae* posteriores et *tarsi* omnes alba, pura; *ungues* fusci; *tibiae anticae* albidae, margine antico nigro. *Alae* hyalinae, punctis nullis omnino diversi coloris notatae.

Cepi *feminam* die 16. Augusti a. 1812 in Tilia europaea parvi nemoris prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

26. Eulophus *leucarthros*.

E. viridi-aeneus, geniculis omnibus tarsisque basi albis; abdomine ovato, obscuriori, primo segmento viridi-aeneo. *Fem.*

Long. lin. $^2/_3$. Totum corpus laeve, glabrum, laete virens. *Frons* late excavata. *Antennarum scapus* aeneus, flagello duplo brevior; *flagellum* aequale, e nigro-fusco testaceum, quadriarticulatum, articulo extremo ovato majore. *Thorax* depressiusculus; *prothorace* lunato. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, virescenti-cupreum; primo segmento aeneo-virente lucido. *Pedes* virescenti-cuprei, *trochanteribus*, *femorum* apicibus *tibiis* basi et apice *tarsis*que albidis; his apice nigris. *Alae* hyalinae.

Feminam cepi medio mense Junio *Sickershusae* in floribus Anethi graveolentis horti. De *mare* nihil constat.

27. Eulophus *discolor*.

E. aeneus vel coeruleo-virens, metathorace abdominisque basi viridibus nitidissimis, tibiis omnibus tarsisque posterioribus basi albis; antennarum apice incrassato abdomine ovato, cupreo. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1^1/_4$. *Caput* fronte valde excavata, vertice angusto, punctatum, feminae aeneum. *Antennae* breves; *scapo* aeneo; *flagello* apice crassiori, quinquearticulato, nigro, articulis ovalibus, extremo subgloboso. *Thorax* depressiusculus, *prothorace* lunato, prominulo, punctatus, aeneus. *Scutellum* planiusculum, obtusum, ejusdem coloris. *Metathorax* truncatus, laevis, viridis, nitidissimus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, cupreum; primo segmento viridi, nitidissimo. *Coxae*, *trochanteres* et *femora* aenea; *tibiae* nigrae; anteriores basi, posticae basi et apice albae; *tarsi* antici toti nigri; posteriores nigri, articulis duobus baseos albis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali crasso ramuloque stigmatico atris.

Mas differt a femina: *colore* coeruleo-viridi; *punctura* subtiliori; *abdomine*que obtuso, in medio tantum subcupreo. *Metathoracis* nitor in hoc ob thoracem magis e coeruleo virentem minus perspicuus.

Cepi *feminam* et *marem*, Julio mense, in floribus umbellatarum prope *Sickershausen*.

Adnot. Species haec, et plures sequentium, corpore magis, quam in reliquis, *depresso*, *antennis*que brevibus, articulo extremo *subgloboso*, distinguuntur.

28. Eulophus *miser*.

E. nigro-aeneus; antennarum aequalium scapo piceo, tibiis tarsisque testaceis; abdomine ovato, coeruleo-virescente. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* ad medium fere thoracem pertingentes; *scapo* piceo; *flagello* subfiliformi, apicem versus non incrassato, fusco, articulis cylindricis, distinctis. *Caput* valde retusum et *thorax* structurae praecedentium, non adeo depressa, subtilissime punctulata, nigro-aenea; *scutello* utrinque lineola impresso truncatoque, *metathorace*, *pleuris* et *pectore* concoloribus. *Abdomen* longitudine thoracis eodemque paulo angustius, ovatum, acutum, planum, obscure coeruleo-virescens. *Coxae* nigro-aeneae; *trochanteres* picei; *femora* nigra, vix aeneo-micantia; *tibiae* testaceae, posticae in medio obscuriores. *Alae* hyalinae, purae.

Cepi *feminam Sickershusae* in floribus Pastinaccae horti, mense Augusto. *Marem* non vidi.

29. Eulophus *atro-coeruleus*.

E. coeruleus, antennis nigris, articulo extremo crassiori, tibiis basi et apice tarsisque pallidis; abdomine ovato, angusto, virescente. *Fem.*

Long. lin. $^3/_4$ — 1. *Antennae* vix ad prothoracis basin protrahendae; *scapo* coeruleo; *flagello* quadriarticulato, nigro, articulis anterioribus oblongis, extremo ovato crassiori. *Caput* valde retusum et *thorax* cum *metathorace scutello*que coerulea, subtilissime punctulata, glabra. *Scutellum* distinctum, planum, subtilissime punctulatum, apice subtruncatum, ad latera pilis minutis inspersum, utrinque linea impressa insculptum. *Abdomen* longitudine thoracis eodemque paulo angustius, ovatum, acuminatum, planum, virescens, basi magis nitidum. *Coxae*, *trochanteres*, et *femora* coerulea; *tibiae* luteae, in medio obscuriores; *tarsi* lutei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, purae, pilosae.

Cepi *feminam* Julio et Septembre mensibus in floribus Selini Oreoselini prope *Sickershausen*. *Marem* non reperi.

30. Eulophus *coeruleus*.

E. coeruleus, antennis nigris extremo articulo crassiori, tibiis tarsisque testaceis; abdomine late ovato, virescente. *Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. A specie praecedente primo intuitu distinguitur: *statura* majore, latiore, fere *Pteromali puparum*, *abdomine* ratione longitudinis latiore, et *tibiis tarsisque* saturatius rufescentibus ac concoloribus.

Antennae capite paulo longiores; *scapo* violaceo; *flagello* quadriarticulato, nigro, articulis tribus anterioribus ovalibus, aequalibus, extremo brevi, ovato, crassiori. *Caput* retusum; fronte excavata. *Thorax* depressus; *prothorace* humili, antice convexo, producto. *Scutellum* planiusculum, subtruncatum, utrinque linea impressa notatum. *Metathorax* recta declivis, truncatus, laevis, margine supero arcuato prominulo; hae partes omnes saturate coeruleae, seu potius cyaneae, subtilissime punctulatae, hinc inde pilo brevi inspersae. *Abdomen* longitudine et latitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, laeve, virescens. *Coxae* cyaneae; *trochanteres* picei; *femora* anteriora nigra, postica cyanea; *tibiae* omnes et *tarsi* testacea, immaculata; *ungues* fusci. *Alae* hyalinae, costa et ramo stigmatico angustis nigris.

Feminam Majo et Junio mensibus in floribus pratorum et hortorum praesertim in Umbellatarum floribus, prope *Sickershausen* non raram inveni. De *mare* nihil certi constat.

31. Eulophus *nigro-violaceus*.

E. nigro-violaceus, vel violaceus tibiis tarsisque basi albis; antennis, apice incrassatis; abdomine ovato, concolore. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ *Corpus* depressum, laeve, glabrum, nigro-violaceum, nitens, concolor, rariusve in dorso thoracis virescens. *Antennae* breves; *scapo* coeruleo vel cyaneo; *flagello* nigro, quinquearticulato, articulis quatuor anterioribus oblongis, apicem versus decrescentibus, subovatis, extremo articulo ovato, brevi, antecedentibus crassiori. *Caput* latitudine thoracis; fronte profunde excavata. *Prothorax* lunatus, prominulus; *thoracis* medii lobi scapulares ovati, discreti, parvi. *Scutellum* truncatum, utrinque linea impressa insculptum. *Metathorax* brevissi-

mus, truncatus, laevis, superne linea arcuata discretus. *Abdomen* vix thoracis longitudine, ovatum, acutum, depressum, laeve, nigro-cyaneum. *Coxae* et *femora* violacea; *tibiae* et *tarsi* nigra, basi alba. *Alae* hyalinae, purae; nervo subcostali prope a rami stigmatici origine desinente.

Mas differt a femina: *antennis* magis elongatis; *flagello* fusco; *abdomine* breviori, apice rotundato. — *Colore* modo obscure atro-violaceo, modo laete violaceo ludit.

Cepi *feminam* mense Octobre in frutice; marem, coloris obscurioris, Majo mense in Pruno Pado, Julio autem laete violacei coloris in floribus Anethi graveolentis, *Sickershusae* in horto.

Varietas:

β. Long. fere lin. 1.; *thorace* in dorso virescente; *punctura* crassiori. *Fem.*

Capta prope *Sickershausen* mense Octobre sub foliis aridis.

Distincta species videtur, sed difficile suis characteribus describenda.

32. Eulophus *lucens.*

E. coeruleus, thoracis metathoracisque dorso abdominisque ovato-subrotundi convexiusculi primo segmento viridibus, nitidissimis; tarsis basi albis. *Fem.*

Long. lin. ½. *Antennae* capite paulo longiores; *scapo* coeruleo; *flagelli* quinquearticulati nigro-fusci articulis subglobosis contiguis, extremo oblongo majori. *Frons* profunde excavata. *Caput* laeviusculum, coeruleum. *Thorax* convexiusculus; *prothorace* lunato, coeruleo; *dorso medio* distincte trilobo, viridi, splendente. *Scutellum* planiusculum, viridi-coeruleum. *Metathorax* truncatus, paulisper productus, laevis, viridis, splendens. *Abdomen* vix thoracis longitudine, orbiculatum, apice rotundatum; primo segmento depressiusculo viridi-nitidissimo, reliquis convexiusculis, e violaceo cupreis, laevibus, nitidulis. *Terebra*, ut in omnibus hujus sectionis, recondita. *Pedes* coerulei, *tarsorum* primis articulis albis, posterioribus nigris. *Alae* hyalinae, nervo subcostali prope originem rami stigmatici abrupto.

Cepi *feminam* unam die 22. Junii mensis a. 1812 in Robinia Pseudoacacia horti *Sickershusani*. *Marem* non vidi.

33. Eulophus *lugens*.

E. nigro-subviolaceus, metathorace viridi-aeneo nitidissimo, antennis pedibusque nigro-aeneis; tarsis fuscis; abdomine ovato, depresso. *Fem.*

Long. lin. $^2/_3$. *Antennae* ad prothoracis basin pertingentes; *scapo* nigro-aeneo; *flagello* nigro, articulis quinque, subobconicis, primo longiori cylindrico, extremo oblongo. *Caput* fronte valde excavata, nigro-violaceum, laeve, nitidum. *Oculi* magni, laete violacei. *Prothorax* lunatus et *thorax* depressiusculi, subtiliter punctulati, nigro-violacei; thoracis medii lobis distinctis. *Scutellum* discretum, planum, obtusum, thoraci concolor. *Metathorax* truncatus, laevis, viridi-aeneus, nitidus. *Abdomen* longitudine thoracis, depressum, ovatum, acutum, nigro-violaceum, thorace paulo obscurius. *Pedes* nigro-aenei, concolores, solis *tarsis* fuscis, his apice obscurioribus. *Alae* hyalinae, nervo costali prope a rami stigmatici origine desinente.

Cepi *feminam* unam die 30. Martii a. 1809 *Sickershusae* ad fenestras cubiculi. *Mas* ignotus.

Adnot. Differt a praecedente: *antennis* longioribus, *thorace abdominis*que primo segmento concoloribus, nigro-subviolaceis; *abdomine* depresso nec convexiusculo; *tarsis* fuscis, nec basi albis.

34. Eulophus *metallicus*.

E. metallico-nigro-virens, punctulatus; abdominis ovato-oblongi depressi obscuri primo segmento viridi; tarsis albidis, ungue nigro. *Mas. Fem.*

Long. lin. $^1/_2$. A binis praecedentibus differt: *statura* minore, magis elongata; *capite* minore; *abdomine* angustiore. *Caput* latitudine thoracis, ob frontem valde excavatam vertice perangusto, punctulatum, pubescens, saturate aeneo-virens. *Antennae* ad speciem septemarticulatae, breviusculae, nigrae; *scapus* lanceolatus; *pedicellus* obconicus, pro flagelli crassitie infirmior; *flagellum* quadriarticulatum, articulis tribus anterioribus discretis cylindricis diametro non longioribus aequalibus, extremo articulo oblongo acuminato. (Conf. Dalm. Pterom. Suec. tab. 2. Act. Holm. a. 1820. I. tab. 8. fig. 51.) *Thorax* modice convexus, colore capitis, punctulatus, subpubescens; *prothorax* brevis, lunatus. *Scutellum* planiusculum, thoraci concolor, evidentius et confertim punctulatum. *Metathorax* brevis, laevis, magis nitidus, subtricarinatus.

Ab-

Abdomen thorace longius, ovato-oblongum, planum, obtusum; primo segmento maximo virente, reliquis brevissimis, lineari-transversis, nigris, cum nitore metallico-violaceo. *Pleurae*, *pectus* et *venter* ejusdem coloris nigro-violaceo-metallici. *Pedes* corpori infero concolores; *tarsis* omnibus, *tibiis* posterioribus quorundam apice, sordide, seu luteo-albidis; *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali prope a rami stigmatici origine abrupto.

Mas differt a femina: *antennis* paulo longioribus, articulis magis discretis, sericeis; *abdomine* apice magis rotundato.

Cepi *mares* et *feminas* mense Augusto in Quercu prope *Sickershausen*.

35. Eulophus *foveolatus*.

E. nigro-violaceus, subtus violaceus, tibiis anticis apice tarsisque omnibus piceo-testaceis, abdomine oblongo-trigono; foveis suprascapularibus profundis. *Fem.*

Long. lin. ⅓. *Caput* latitudine thoracis, violaceum; fronte modice excavata. *Antennae* crassiusculae; *scapo* violaceo; *flagello* quinquearticulato, fusco, articulis distinctis, transversis. *Thorax* depressiusculus, cum *scutello*, nigro-violaceus, laeviusculus. *Prothorax* lunatus. *Foveola* oblonga, sat profunda, supra alarum anteriorum insertionem. *Scutellum* distinctum, obtusum, foveola orbiculari leniter excavata impressum. *Metathorax* brevis, dorso colore thoracis; latera ejusdem, pleurae et pectus laete, sed saturate violacea. *Abdomen* thorace vix longius, oblongum, dorso planum, lateribus oblique compressis trigonum, laeve, nigrum, subviolaceum. Anus acutus. Venter carinato-gibbus. *Pedes* graciles, nigro-subviolacei; *tibiis* anticis apice, tum *tarsis* omnibus piceo-testaceis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali prope a rami stigmatici ortu desinente.

Cepi *feminam* die 18. Julii mensis a. 1811 in floribus Selini Oreoselini sylvae prope *Sickershausen*. Aliam feminam, *scutello* profundius excavato, *tibiis* anticis totis testaceis, Julio mense in Anetho horti cepi. De *mare* nihil constat.

Adnot. Similitudo quaedam *Eulophi nigro-violacei*, sed differt *exili* corpore, *abdomine* trigono, aliisque notis.

36. Eulophus *impeditus*.

E. niger aut nigro-viridis, antennis testaceis, pedibus pallide flavis, femorum basi unguibusque nigris; abdomine ovato-conico. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$. *Antennae* breves, totae testaceae; *scapo* pallidiore; *flagello* subaequali, quadriarticulato, articulis oblongis, anterioribus, brevioribus, extremo acuto. *Caput* fronte valde retusa, uti totum corpus nigro-viride, modo magis ad nigredinem, modo ad virorem magis vergens. *Prothorax* lunatus. *Thoracis medii* lobi distincti. *Scutellum* planiusculum. *Metathorax* truncatus, laevis. *Abdomen* longitudine thoracis, ovato-conicum, acuminatum, planum, laeve, reliquo corpori concolor. Venter subcarinatus. *Terebra* recondita. *Coxae* colore corporis. *Pedes* pallide flavi; *femoribus* omnibus basi plus minus nigris; *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, nervo subcostali ad rami stigmatici originem mox desinente.

Mas differt a femina: *antennis* pubescentibus et *ano* rotundato, colore etiam corporis in universum magis virente. Frequens *Sickershusae* in floribus, praesertim Umbellatarum, tam in hortis quam in pratis, a Julio mense ad Octobrem usque; etiam in gramine ad terram, locis humidis, inter Salices riparum.

37. Eulophus *vagus*.

E. nigro-subaeneus, thorace viridulo, antennis testaceis, femorum apicibus, tibiis tarsisque luteis, tibiis posticis basi nigris; abdomine oblongo. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{2}$. *Antennae* breves; *scapo* nigro-fusco; *flagello* testaceo, quinquearticulato, articulis anterioribus brevibus, subperfoliatis, extremo majori, ovato. *Caput* latitudine thoracis, laeve, atro-viride; fronte inter antennas profunde et late excavata; vertice angusto, acuto; *oculis* ovatis, prominulis. *Prothorax* lunatus, humilis. *Thoracis* pars media depressa, lobis tribus distinctis; scapularibus ovatis parvis. *Scutellum* parum convexum, truncatum, linea laterali nulla impressum. *Metathorax* sub scutello recta descendens, truncatus, laevis. *Color* prothoracis, thoracis et scutelli paulo magis virens quam metathoracis. *Abdomen* longitudine thoracis, ovato-oblongum, planum, laeve, acutum, reliquo corpore paulo obscurius. *Coxae* colore corporis; *trochanteres* rufescentes; *femora* lutea, in medio nigro-viridia; *tibiae* luteae, posticae basi

nigro-aeneae; *tarsi* lutei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali prope ab origine ramuli stigmatici desinente.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, articulis magis distinctis, subcylindricis, villosis, *scapo* luteo, *flagello* testaceo; *abdomine* obtuso.

Mas et *femina* frequentes prope *Sickershausen*, a vere in autumnum, praesertim in floribus umbellatarum et in gramine ad ripas inter Salices.

Adnot. Species haec, quasi media inter *Eulophum miserum* n. 28 et *Eulophum impeditum* n. 36, ab *illo* praesertim *punctura* profundiori et *defectu linearum* impressarum *scutelli*, ab *hoc* vero forma *abdominis* et *pedum* coloribus differt.

38. Eulophus *Roesellae.*

E. niger, subcyanescens, antennis testaceis; pedibus testaceis, femoribus tibiisque posterioribus in medio fuscis; abdomine ovato. *Mas. Fem.*

Synon. *De Geer ed. Germ. I. 4. p. 35. tab. 40. fig. 14—17.*

Long. lin. ⅔—1. Species haec cum praecedente et binis sequentibus pluribus congruit; sufficiat itaque, quibus distinguitur, hic indicasse. *Color* corporis ater, parumper in coeruleum vergens. *Antennae* testaceae, vel e fusco testaceae, *scapo* concolore, gracili; *pedicello* obconico; *flagello* quinquearticulato, articulis obconicis contiguis, diametro crescentibus, extremo ovato crasso acuto. *Scutellum* utrinque linea impressum. *Abdomen* ovatum, thoracis longitudine, concolor. *Coxae* nigrae; *trochanteres* testacei; *femora* fusca, apice et basi testacea; *tibiae* testaceae, postice, vel posteriores medio fuscae; *tarsi* testacei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali brevi a rami stigmatici origine desinente.

Mas differt a femina: *antennarum flagello* elongato, villoso, filiformi; *abdomine* obtuso et *tibiis* posterioribus in plerisque medio late fuscis, cum femina plerumque solis tibiis posticis infuscatis gaudeat.

Varietas:

? *β. colore* magis coerulescente et nitente, *abdomine* rotundato-ovato; *pedibus* flavis, coxis, femoribus anterioribus basi subtus, posticis ultra medium coeruleo-viridibus. *Mas.*

Captus prope *Sickershausen.*

An species distincta? *Tibiae* immaculatae et coloris laetioris flavi distinguunt.

Habitat in larva *Tineae* Oecophorae *Roesellae*, in cujus meatu, sub epidermide foliorum mali exeso, hujus *Eulophi* larvae, postquam e larva nutrice egressae sunt, folliculos plures, seriatim concatenatos pallidos texunt. Imago, ostio facto exclusa, frequens in floribus et in foliis arborum frugiferarum. Cepi medio Julio mense *marem* et *feminam* copula junctos. Tum vero Majo, Junio, Julio et Augusto plura exempla in floribus Anethi graveolentis horti aliisque in locis prope *Sickershausen*. Sero autumno, *Carlsruhae* sub foliis aridis captum, in collectione cl. *Geyer* vidi.

Adnot. Accedit haec species etiam *Eulopho depresso* p. 182. n. 43, sed differt: *antennis* minus validis, ex articulis magis distinctis paucioribus, octo nec novem constantibus, *abdominis* apice magis acuto, *tibiis* anticis semper totis pallidis, et *statura* saepe majore.

39. Eulophus *atratulus.*

E. niger, subaeneus, antennarum, scapo femorum apicibus, tibiis et tarsis testaceis; abdomine orbiculato-ovato, acuto. *Mas. Fem.*

Long. lin. ½—1. Praecedenti simillimus, sed constanter diversus. *Antennae* ut in Eulopho *Roesellae*, sed *scapus* pallidus, *flagellum* fusco-nigrum (in femina); *abdomen* breve, latum, orbiculato-ovatum. *Coxae* et *femora* nigra; *trochanteres*, *tibiae* et *tarsi* testacea; tibiae immaculatae; ungues nigri. *Alae* ut in pracedentibus.

Mas differt a femina: *antennarum flagelli* articulis elongatis, villosis, testaceis, *femoribus*que in quibusdam testaceis, solis posticis basi nigris.

Cepi *marem* et *feminam* Junio et Octobre mensibus prope *Sickershausen* in floribus et inter frutices.

40. Eulophus *pubescens.*

E. niger, subaeneus, antennis fusco-testaceis, pedibus luteis, femoribus tarsorumque annulis nigris; abdomine orbiculato-ovato, pubescente. *Mas. Fem.*

Long. lin. ½. *Antennae* fusco-testaceae, flagelli articulis tribus anterioribus brevibus subovatis, extremo majori, subgloboso. *Statura* brevis, coacta. *Caput* latitudine thoracis, fronte excavata, punctulatum, parum pubescens, nigro-subaeneum. *Os* piceum. *Thorax* depressus, trilobus; *prothorax* lunatus; *scutellum* discretum, planius-

culum, obtusum; *metathorax* truncatus, laevis, *pleurae* et *pectus* nigro-subaenea; *thoracis* medii dorsum pilis aliquot minutis inspersum, punctulatum. *Abdomen* vix longitudine thoracis orbiculato-ovatum, obtusum, latiusculum, laeve, nigrum, subaeneum, pubescentia sparsa adpressa sericans. *Coxae* nigrae; *trochanteres* testacei; *femora* lutea, in medio fusco-nigra; *tibiae* luteae, anteriores immaculatae, posticae annulis duobus obsoletis indeterminatis testaceis; *tarsi* lutei, omnibus articulis apice et unguibus fuscis et ob hanc causam fusco-annulati. *Alae* hyalinae, nervis ut in praecedente.

Mas differt a femina: *statura* paulo minore; *antennarum flagello* elongato, pubescente, testaceo; *scapo* nigro; *abdomine* angustiori, subcupreo, minus pubescente sed pilis aliquot erectiusculis adsperso; *femoribus* posticis crassioribus, basin versus latiori spatio fuscis; *tibiarnm* posticarum annulis ita confluentibus, ut tibiae istae medio obscuriores evadant. Genitalia mascula apiculae ad instar prominent.

Adnot. A mare *Eulophi Roesellae trochanteribus* luteis et statura corporis, licet non sine opera, distinguitur.

Cepi *mares* et *feminas* Augusto, Septembre et Octobre mensibus, locis udis sylvaticis prope *Sickershausen*, in terra.

41. Eulophus *cephalotes*.

E. niger, obscure aeneus, antennis, femoribus apice, tibiis tarsisque testaceis; abdomine orbiculato, basi viridi nitido; capite lato. *Mas.*

Long. lin. ⅔. Statura *Eulophi atratuli*, sed *capite* multo majori, crasso, nec fronte adeo excavato, valde recedens et forte diversi generis. *Antennae* octoarticulatae; *scapo* fusco; *flagelli* aequalis, testacei articulis quinque subcylindricis, pubescentibus. *Caput* thorace latius, fronte parum excavata, vertice latiusculo, punctulatum, nigrum, aeneo-micans. *Thorax* non multum depressus, sed structurae communis; *prothorace* lunato. *Color* totius *thoracis, scutelli metathoracis pleurarum* et *pectoris* e nigro obscure aeneus. *Abdomen* vix longitudine thoracis; orbiculare, planum, ano rotundato; primo segmento subadscendente, viridi-aeneo, nitido, reliquis planis, nigris, subaeneis, opacis. *Coxae*, *trochanteres* et *femora* nigra, haec apice testacea; *tibiae* testaceae, posteriores in medio obscurio-

res; *tarsi* testacei, *ungue* fusco. *Alae* hyalinae, nervo subcostali brevi post rami stigmatici originem desinente.

Cepi unum *marem* prope *Muggendorf* in Franconia, Julio mense a. 1810, nec postea, neque feminam usque vidi.

Adnot. *Capitis* structura et magnitudine ab omnibus sui generis recedit, sed reliqua congruunt.

42. Eulophus *congruens.*

E. nigro-virescens, antennis pedibusque fuscis, geniculis tarsisque basi albidis; abdomine ovato. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{2}$. Exilitate corporis a plerisque affinibus distinguitur paucisque subtilissimisque notis in usum vocatis. Totum corpus laeve, nitidulum, coloris nigri, in femina ad viridem saturatumque colorem vergens. *Caput* latitudine thoracis, retusum, vertice angusto. *Prothorax* brevis, lunatus. *Thoracis* medii lobus anterior tumidus, latus; scapulares parvi. *Scutellum* depressius. *Metathorax* truncatus. *Abdomen* longitudine thoracis (in femina), ovatum, planum, nigrum, nitidum, ano acuto. *Coxae* nigrae. *Pedes* fusci, *femoribus tibiis*que apice, *tarsis* autem basi albidis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali ad rami stigmatici originem desinente.

Mas long. $\frac{1}{3}$ differt: *antennis* longioribus, villosis, articulis magis elongatis; *colore* totius corporis atro, vix virescente; *abdomine* angustiore, oblongo, obtuso, magis depresso; *pedibus* colore corporis, *geniculis*, *tarsis*que *basi* albis.

Cepi *marem* et *feminam* mense Octobre, prope *Sickershausen.*

43. Eulophus *depressus.*

E. niger, subcyanescens, tibiis basi tarsisque testaceis; abdomine ovato thoraceque depressis. *Mas. Fem.*

Synon. *Pteromalum gallarum Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 151?

Long. lin. $\frac{2}{3}$. Corpore depresso ad *Eulophos discolorem* p. 172. n. 27 et *nigro-violaceum* p. 174. n. 31 eorumque consimiles accedit, sed differt coloribus et antennis.

Antennae, si radiculam in censum voces, *novemarticulatae* videntur, articulis brevibus contiguis, extremo crassiori et cum praecedente in unum confluente (unde et octoarticulatae dicendae, ultimo articulo ovato, annulo discreto, coloris nigro-fusci. *Caput* latitudine fere thoracis, breve,

fronte profunde excavata, vertice angusto, laeve, nigrum, subcyanescens. *Prothorax* humilis, lunatus, nucham versus conico-productus. *Thorax medius* planus, lobis discretis. *Scutellum* discretum, planiusculum, ovato-truncatum, immarginatum. *Metathorax* brevis. Color totius thoracis cum pectore et pleuris niger, cyaneo-micans. *Abdomen* vix longitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, laeve, cyaneo-nigrum. *Pedes* cyanei; *tibiis* nigris, basi testaceis; *tarsis* testaceis, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, nervis ut in praecedentibus.

Mas differt: *antennis* elongatis magisque pubescentibus; *abdomine* angustiore, obtuso; *tibiis* anticis totis, posterioribus basi late pallidis.

Cepi *mares* Aprili et Junio mensibus, *feminas* Augusto et Septembre, diversis in locis, praesertim in Pruno Pado prope *Sickershausen*.

Adnot. Feminei sexus exemplum ad *Spinolam*, virum praestantissimum, misi, qui in litteris certiorem me fecit, feminam esse *Pteromali gallarum* Latr. Repugnante autem diagnosi et descriptione Linneana, quam ad suum *Pteromalum gallarum* cl. Latreille citat, errorem quendam forte irrepsisse in numeris, exemplis transmissis additis, vero magis simile mihi videtur.

44. Eulophus *inunctus*.

E. niger, nitore piceo, pedibus testaceis, femorum clava fusca; abdomine ovato, subdepresso. *Fem.*

Long. lin. 1. Totum corpus laevissimum, nitidulum, quasi pinguedine illitum, nigrum, metallici nihil sed picei coloris quidquam exhibens. *Caput* latitudine thoracis, excavatum, vertice angusto. *Antennae* breves, nigro-fuscae; *flagelli* articulis quatuor ovatis, brevibus, discretis, extremo crassiori, acuto. *Thorax* depressiusculus; *prothorace* lunato, conico-angustato, subdepresso. *Scutellum* utrinque lineae impressae vestigio, convexiusculum, punctulatum. *Metathorax* brevis, laevis, truncatus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, concolor. *Coxae* basi fuscae, apice testaceae. *Pedes* testacei; *femoribus* apicem versus fuscis. *Ungues* fusci. *Alae* hyalinae, nervo subcostali prope a ramuli stigmatici origine desinente, paulo tamen ulterius, ac in reliquis proximis, excurrente.

45. Eulophus *exiguus*.

E. ater, brevis, tibiis basi pallidis; abdomine ovato, obtuso. *Mas. Fem.*

Long vix lin. ½. *Antennae* nigrae, articulis septem; *flagelli* aequalis quatuor oblongis, sat distinctis, pubescentibus, extremo subovato. *Color* totius corporis ater, nitidulus, nec metallici quidquam immixtum. *Caput* latitudine thoracis, fronte late retusa. *Prothorax* lunatus. *Thorax* medius depressus, lobis distinctis, sutura angulata inter alas divisis. *Scutellum* discretum, breve, obtusum, planiusculum. *Metathorax* truncatus, brevissimus. *Abdomen* vix longitudine thoracis vel potius eodem paulo brevius, ovatum, in utroque sexu obtusum, planiusculum. *Pedes* nigri, solis tibiis basi albicantibus. *Alae* hyalinae, viridis coloribus pulcherrimis ludentes, subpilosae, nervo subcostali, prope ab origine rami stigmatici abrupto, et ipso hoc ramo nigris validisque.

Mas differt a femina solis *antennis* longioribus magisque pubescentibus, articulis distinctioribus.

E folliculis oblongis, stramineis, folio Festucae ovinae adhaerentibus, locis editis sylvaticis prope *Sickershausen* collectis, die 9. Septembris a. 1810 *mares* et *feminae* exclusi sunt, pluresque e singulis folliculis.

46. Eulophus *inconspicuus.*

E. nigro-viridis, antennis et pedibus luteis; abdomine ovato-lanceolato, fusco-aeneo. *Fem.*

Long. lin. ⅓. Species minuta et elegans. Color corporis laevis, excepto abdomine, nigro-viridis, vel potius e fusco aeneus. *Caput* latitudine thoracis, fronte retusa excavata, vertice angusto, laeve, nitidulum. *Antennae* luteae, octoarticulatae; *scapo* subcompresso; *pedicello* basin versus attenuato; *flagello* aequali, articulis quatuor anterioribus cylindricis subaequalibus, quinto oblongo acuto majori. *Thorax* depressus; *prothorace* lunato; *lobis mediis* distinctis. *Scutellum* discretum et *metathorax* structurae communis. *Abdomen* longitudine thoracis, ovato-lanceolatum, vel lanceolato-oblongum, acuminatum, planum, laeve, fuscum, vel e fusco aeneum. *Coxae* basi corpori concolores. *Pedes* praeterea toti lutei, pallidi, immaculati, *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, nervis ut in praecedente.

Cepi *feminas* aliquot, mense Septembre, in nemoribus prope *Sickershausen.* Marem nullum vidi.

Adnot. Exemplis minoribus *Eulophi vagi* similis est haec species, sed differt *pedibus* luteis, immaculatis, *colore* corporis, omnique habitu.

47. Eulophus *emicans.*

E. violaceus, nitidus, antennis testaceis, pedibus totis flavis; abdomine ovato, acuto. *Fem.*

Long. vix $\frac{1}{3}$ lin., similis praecedenti, a quo differt: *statura* minore, *colore pedibus*que laete flavis. Corpus totum subtilissime punctatum, glabrum, violaceum, nitidissimum. *Antennae* structurae omnino, ut in praecedente, testaceae, in femina etiam pubescentes. *Frons* valde excavata. *Prothorax* brevis, lunatus. *Thorax* depressus, laevis, nitidus. *Scutellum* concolor, breve. *Metathorax* truncatus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, laevissimum, violaceum, concolor. *Pedes* toti laete flavi, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, pubescentes, nervis ut in praecedente.

Cepi *feminam* die 21. Septembris a. 1810 in dumetis prope *Sickershausen*. *Mas* latet.

48. Eulophus *xanthopus.*

E. ater, nitidus, antennis testaceis, scapo pedibusque flavissimis; abdomine orbiculato-ovato. *Fem.*

Long. lin. $\frac{2}{3}$. Statura brevis, coacta. Color totius corporis laevissimi glaberrimi ater, purus et nitens. *Flagelli antennarum* articuli breves, ovato-oblongi, subaequales; extremus articulis oblongus, neque admodum incrassatus; color flagelli testaceus; sed primus ejus articulus et *scapus* angustus flavi; *pedicellus* flavus, dorso niger. *Caput* latitudine thoracis, fronte excavata. *Os* pallidum. *Prothorax* brevis, lunatus. *Thorax* medius modice depressus, lobis solitis *scutello*que distinctis. *Metathorax* recta declivis, laevis. *Abdomen* longitudine et latitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, laeve, atrum, nitidum. *Pedes* toti laete flavi, *unguibus* solis nigris. *Alae* hyalinae, nervo subcostali ad rami stigmatici basin abrupto.

Cepi *feminam* die 14. Octobris a. 1812 in nemore prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

SECTIO II.

Terebra feminarum exserta.

Abdomen depressum ut in prima Sectione. *)

49. Eulophus *ater*.

E. ater, nitidus, tibiis tarsisque testaceis; terebra longitudine tertiae partis abdominis ovati; flagello sexarticulato. *Mas. Fem.*

Long. lin. $^3/_4$. Statura quam maxime similis *Eulopho depresso* p. 182. n. 43, sed minus applanatus, *terebra exserta* pedumque colore satis distinctus. *Color* totius corporis, ceteroquin laevis et glabriusculi, ater, dum animal vivit in capite et thorace coeruleo — in abdomine cupreo-micat. *Antennae* breves, nigro-fuscae; *scapo* (in femina) subtus testaceo; *flagelli* apicem versus incrassati articulis sex parum discretis, subtransversis, extremo majori. *Caput* fronte valde excavata, vertice angusto. *Os* piceum. *Prothorax* antice rotundato-productus, humilior. *Thorax* medius depressiusculus, lobis solitis discretis, antico obovato, majori. *Scutellum* discretum, parum convexum, obtusum. *Metathorax* recta declivis, plano laevi. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, acutum, planum, laeve, ventre carinato. *Terebra* longitudine vix tertiae partis abdominis, nigra, hirsuta. *Pedes* nigri; *femorum* apicibus, *tibiis tarsis*que testaceis, *unguibus* nigris. In quibusdam tibiae posteriores piceae sunt, basi pallidae. *Alae* hyalinae, pubescentes, nervo subcostali ultra rami stigmatici originem procurrente.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, *flagello* aequali, *scapo* nigro, concolore, et *abdomine* obtuso.

Cepi *mares* et *feminas* quotannis Julio, Augusto et Septembre mensibus, *Sickershusae* in horto, praesertim in Chaerophylli sylvestris floribus, aliisque plantis; nunquam in quercetis.

Adnot. Et hanc speciem, sibi aliquando missam, cl.

---

*) *Antennarum flagellum* in aliis *sexarticulatum*, in aliis *quadriarticulatum*, affinitatem harum specierum summam hinc cum *Eulophis*, illius cum *Pteromalis* Sectionis secundae indicat, sed habitus reliqui corporis omnino *Eulophorum* est. Cl. *Spinola* in Classificatione Diploleparium, saepe citata, species has antennis, non computata radicula, *octoarticulatis* praeditas, genus suum *Pteromalum* facit.

Spinola Pteromali Gallarum Latr. nomine salutavit. An itaque species haec Latreilleana a Fabriciana illa distincta?

50. Eulophus *glabellus.*

E. aeneus, nitidus, tibiis tarsisque testaceis; terebra longitudine dimidii abdominis ovato-conici; flagello sexarticulato. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* nigrae; *flagellum* crassiusculum, articulis sex satis contiguis, transversis, extremo ovato acuto. *Caput* et *thorax* structura praecedentis, laevia, aenea, nitida. *Abdomen* longitudine thoracis vel paulo longius, ovato-conicum, apice acutum, ventre carinato, obscure aeneum, basi depressum, reliquo dorso planiusculo. *Terebra* nigra, pilosula, longitudine dimidii abdominis. *Pedes* nigro-aenei; *femoribus* apice, *tibiis tarsis*que testaceis, *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae, pubescentes, nervo subcostali paulo ultra rami stigmatici originem procurrente.

51. Eulophus *nitidulus.*

E. viridi-aeneus, nitidus, antennis fusco-testaceis, femoribus apice, tibiis tarsisque luteis; terebra abdomine conico-triquetro triplo breviore. *Fem.*

Long. lin. 1. Praecedenti similis omni habitu et magnitudine, differt tamen: *colore* viridi-aeneo, magis minusve laeto vel saturato; *antennis* fusco-testaceis, nec nigris; *abdomine* paulo longiori et angustiori, ex ovata basi triquetro-conico; *terebra* breviore, vix tertiam partem abdominis longitudine aequante.

Pedes in aliis colorum distributione praecedenti similes, in aliis paulum diversi: *coxae* aeneae; *trochanteres* pallidi; *femora* anteriora luteo-testacea medio aenea, postica aenea, apice pallida; *tibiae* luteae, medio fuscae. *Tarsi* omnibus lutei, unguibus fuscis. *Alae* omnino praecedentis.

Cepi *feminam* Augusto et Septembre mensibus in foliis Citri horti *Sickershusani*. *Marem* non vidi.

52. Eulophus *semicupreus.*

E. capite thoraceque antico cupreis, tibiis et tarsis anticis; posteriorum pedum geniculis pallidis; terebra abdomine oblongo-ovato viridi quatruplo breviore; flagello sexarticulato. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennarum scapus* coerulescens; *pedicellus* obconicus; *flagellum* sexarticulatum, extrorsum incrassatum, testaceo-fuscum, articulis transversis, contiguis. *Caput* latitudine thoracis, valde retusum, hypostomate nitente, violaceo-cupreo. *Thorax* depressiusculus, suborbiculatus, cupreus, punctulatus, opacus; *prothorace* brevi, lunato. *Scutellum* magnum, rotundatum, subdepressum, laeve, thoraci concolor. *Metathorax* abrupte declivis, viridis, laevis, nitidus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, ovato-oblongum, late sessile, dorso depresso, ventre carinato-gibbo, viridi-metallicum, basi magis nitens. *Terebra* subadscendens, nigra, pubescens, longitudine quartae partis abdominis. Corpus subtus cum pedibus e coerulescente nigrum, nitens. *Femora* antica apice, *tibiae* anticae totae; *tibiae* mediae basi et apice, *posticae* sola basi albido-testaceae; *tarsi* omnes pallide-testacei, *unguibus* fuscescentibus. *Alae* hyalinae, nervo subcostali ultra rami stigmatici apicem excurrente.

Feminam cepi die 25. Aprilis a. 1811 in Pruno Pado, et Julio mense in floribus Anethi graveolentis, prope *Sickershausen*. *Mas* latet.

53. Eulophus *tristis*.

E. fusco-subaeneus, pedibus rufis; terebra longitudine abdominis oblongo-ovati; flagello quadriarticulato. *Fem.*

Long. lin. ½. Species distinctissima. *Antennae* fuscae; *flagellum* apicem versus parumper incrassatum, articulis quatuor satis distinctis, tamen truncatis; extremo ovato, paulo crassiori. *Color* universi corporis fuscus, subaeneus, nitens ob superficiem laevigatam. *Caput* fronte excavata, ut in praecedente, thoracis latitudine. *Thorax* antice tumidulus; *prothorace* lunato brevi. *Metathorax* truncatus. *Abdomen* longitudine thoracis, ex ovato oblongum, depressum, laevissimum, colore reliqui corporis. *Terebra* longitudine abdominis, recta, gracilis, nigra, vaginis pilosulis. *Coxae* nigrae. *Pedes* rufi, immaculati, *unguibus* nigris. *Femora antica, incrassata. Alae* hyalinae, pubescentes; nervo subcostali paulo post ramuli stigmatici exortum desinente.

Feminam unam die 27. Augusti a. 1807 in horti *Sickershusani* floribus cepi, neque postea, nec *marem* reperi.

Adnot. Femoribus anticis crassis a reliquis *Eulophis*, quos novimus, omnibus recedit.

54. Eulophus *ciliatus.*

E. nigro-aeneus, antennis pedibusque testaceis, femoribus fuscis; terebra longitudine dimidii abdominis ovati; flagello quadriarticulato. *Mas. Fem.*

Long. lin. vix ½. Statura omnino *Eulophi tristis,* cui proxime affinis. *Antennae* septemarticulatae, testaceae; *scapo* mediocri; flagelli articulis anterioribus ovatis brevioribus, extremo oblongo. *Caput thoracis* latitudine, fronte late excavata; vertice angusto. *Oculi* magni, corallini. *Os* piceum. *Color* capitis e nigro aeneus; superficies laevis, nitidula. *Thorax* antice tumidulus; *prothorace* lunato brevi. *Metathorax* truncatus. *Thorax* omnis cum *pleuris* et *pectore* laevis, nigro-aeneus. *Abdomen* ovato-lanceolatum, planum, acutum, ventre carinatum, laeve, atro-aeneum. *Terebra* recta, nigra, pubescens, longitudine dimidii abdominis. *Coxae* nigro-aeneae; *trochanteres* et *femora* fusca; *tibiae* et *tarsi* testacea; *ungues* fusci. *Alae* hyalinae, pubescentes, pulchre ciliatae; nervo subcostali prope ab origine nervi stigmatici desinente.

Mas differt a femina: *antennarum* articulis paulo magis elongatis et pubescentibus. *Abdomen* maris etiam acutum hac in specie.

Cepi *marem,* cum *femina* copula junctum, in panicula Festucae rubrae florentis die 7. Junii a. 1809 in collibus prope *Sickershausen.*

Varietas:

β. *Abdomine* lanceolato-subulato, ceteris omnibus congruis. *Fem.*

Talem *feminam* die 26. Julii mensis a. 1812 in floribus Anethi graveolentis *Sickershusae* in horto cepi.

GENUS XVI.

MYINA.

(a *μυῖα,* musca, ob muscae similitudinem.)

Entedon C. Aphelinus Dalm. Act. Holm. 1820. *I. p.* 181. *Pterom. Suec. tab. eadem sine numero.*

Antennae breves, fractae, infra mediam frontem insertae, octoarticulatae; flagello clavato, clava solida, vel biar-

ticulata. *Alae* nervo subcostali cum costa conjuncto, simplicissimo, ramo stigmatico nullo. *Prothorax* brevis, lunatus. *Pleurae* planae, suturis divisae. *Abdomen* sessile, dorso plano. *Terebra* exserta.

Mandibulae angustae, bidentatae.

Characterem naturalem in tam parvis ulterius prosequi non licuit.

Habitus propius inspectus, *Eulophorum* quidem minorum, sed primo intuitu alienus, muscae minimae cujusdam, oculis magnis insignis. Corpus exiguum.

Antennae (*feminae*) capite paulo breviores, hypostomati magis versus inferiora insertae, octoarticulatae: *radicula* brevissima, foveolae hypostomatis immersa; *scapus* linearis, flagello paulo brevior; *pedicellus* angustus, subobconicus; *flagellum* quinquearticulatum, articulo primo crassiori, obconico, brevi, secundo et tertio angustioribus obconicis vel subglobosis, brevibus aequalibus, quarto subcylindrico majori crassiori, quinto oblongo-ovato maximo, vel his utrisque subcylindricis, magnitudine et forma non multum inter se differentibus. *Caput* latitudine thoracis eidemque arcte contiguum; *fronte* late excavata, scapum antennarum recipiente *oculis* magnis, ovatis, latera capitis occupantibus. *Prothorax* lunatus, angustus. *Thorax* medius latior quam longior, lobo anteriori majori, scapularibus parvis; sulco transversali inter alas *scutellum* magnum semicirculare dirimente. *Metathorax* sub scutello declivis, subverticalis. *Abdomen* sessile, ovatum vel oblongum, acutum, dorso planum, ventre carinatum ideoque subtrigonum, latere dorsali latiori. *Terebra* exserta. *Pedes* structurae communis, femoribus compressis. *Alae* breves, pubescentes, nervo subcostali prope a basi costae conjuncto, quo costae pars media crassior evadit; ramulus stigmaticus omnino nullus.

Mares differunt *antennis* tenuioribus, *flagelli* villosi articulis secundo et tertio angustis contiguis, quasi unum solum articulum efficientibus, tum quarto et quinto valde elongatis cylindricis aequalibus.

De *metamorphosi* nihil constat. Imago locis humidis, in terra foliisque fruticum, quieta, antennis vibrans, cito currens saltuque improviso hostem eludens.

1. Myina *abdominalis.*

M. nigro-subaenea, abdomine piceo, tibiis et tarsis testaceis; terebra abdomine triplo breviore. *Mas. Fem.*

Synon. *Entedon abdominalis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 181. *n.* 47. *Pterom. Suec. in tab. synopt. n.* 47.

Long. lin. 1/4. Descriptioni, supra in universum exhibitae, haec addimus. Totum corpus breve, ovatum, minute punctulatum. *Scapus* antennarum feminae et *pedicellus* nigri; *flagellum* piceo-testaceum. *Caput* et *thorax* nigro-subaenea, opaca; ejusdem coloris et *scutellum* magnum rotundatum, *metathorax, pleurae* et *pectus. Abdomen* thorace paulo longius, ovato-triquetrum, dorso latiori plano, piceo-rufescens, nitidum. *Terebra* recta, longitudine tertiae partis abdominis, nigra. *Pedes* vel nigri, *tibiis* et *tarsis* testaceis, vel testacei, *femoribus* anterioribus nigro-fuscis apice pallidioribus; *ungues* fusci. *Alae* abdomine paulo breviores, obtusae, pubescentes, obscurae; ad lentem punctis piligeris adspersae, fascia a costae communis apice descendente aequali, pilis denudata proptereaque hyalina.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, *scapo* ratione flagelli breviori, hoc ipso villoso, ad speciem (ob articulos secundum et tertium arcte contiguos) quadriarticulato, articulis duobus terminalibus cylindricis aequalibus; *abdomine* nigro, obtuso, apice fusco; *pedibus* totis testaceis, femorihus anterioribus basin versus fuscis.

Cepi *feminam* Octobre a. 1808 sub foliis humidis ad ripas rivuli, et die 2. Novembris a. 1809 ad salicis radices in terra ejusdem ripae; *marem* die 6. Septembris ejusdem anni ad terram sub herbis ad ripas fossulae cujusdam prope *Sickershausen* legi.

2. Myina *tibialis.*

M. nigro-subaenea, abdomine fusco, pedibus flavis, tibiis nigris, terebra longitudine dimidii abdominis. *Fem.*

Long. lin. 1/3. Statura, color, punctura omnino praecedentis, qua paulo major, et abdomine subconcolore distincta.

Antennae luteae; *scapo* fusco; *flagelli* articulis secundo et tertio subglobosis, distinctissimis; quarto et quinto subcylindricis, fere ut in mare praecedentis. *Abdomen* thorace paulo longius, ovato-triquetrum, planum, acutum, laeve, nigro-fuscum. *Terebra* longitudine dimidii abdominis, subulata, pallida, glabra. *Pedes* laete flavi, *tibiis,* posterioribus praesertim, tarsisque posterioribus fuscis. *Alae* omnino ut in praecedente.

Feminam unam cepi die 12. Julii a. 1812 in frutice prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

GENUS XVII.
GONATOCERUS.

A *γόνυ* genu, et *κέρας* cornu, ob antennas in medio refractas.

Antennae longae, fractae, mediae fronti insertae, feminae duodecimarticulatae, mari quatuordecimarticulatae; flagello basi filiformi, refracto, apice clavato. *Alae* nervo subcostali prope basin cum costa conjuncto, simplicissimo; ramo stigmatico nullo. *Prothorax* lineari-transversus, brevissimus. *Pleurae* planae, suturis divisae. *Abdomen* sessile, planum. *Terebra* exserta.

Mandibulae bidentatae?

Character naturalis, ex oris partibus hauriendus, deest; nam hae partes adeo occultae latent, ut nisi disjecto capite ne conspici quidem possint. Id autem ne facerem, obstitit exemplorum penuria, cum utriusque sexus unum tantum ad manus esset.

Habitus corporis *Pteromali* vel *Eulophi*.

Antennae fronti mediae insertae, in nostra specie longitudine corporis, in *femina* duodecimarticulatae: *radicula* brevissima, hypostomatis foveolae immersa; *scapus* ratione flagelli brevis, fronte tamen altior, oblongus, crassiusculus; *pedicellus* obconicus; *flagellum* novemarticulatum, primo articulo (quarto antennae) forma et magnitudine pedicelli et cum eodem, cum animal quiescit, a scapo ad angulum rectum deflexo, tum secundo ad sextum usque flagelli articulum singulis filiformibus, non discretis, longis, a secundo articulo (qui quintus totius antennae), sursum rursus angulo recto reflexis, septimo et octavo paulo crassioribus brevioribus magisque discretis, nono denique articulo (seu duodecimo antennae), longiori crassiori oblongo acuto triannulato. *Caput* latitudine thoracis, versus pectus inclinatum, subcordatum, latius quam longius; hypostomate angusto, concavo; vertice latiusculo; oculis magnis ovatis; oris partibus omnino reconditis. *Prothorax* lineari-transversus, angustissimus, antice posticeque linea fere recta terminatus, ad humeros extensus et paululum dilatatus. *Thoracis*

racis medii dorsum latiusculum, modice convexum, lobis minus distinctis subaequale, latius quam longius, antice rotundatum, postice a scutello linea transversa discretum. *Scutellum* magnum, ovatum, obtusum, planum, medio impressum, retrorsum modice descendens. *Metathorax* brevis, sub scutello reconditus, devexus, inaequalis. *Abdomen* thorace paulo longius (in nostra specie) a basi sensim dilatatum; dorso plano-depresso; ano obtuso. *Terebra* feminae exserta. *Pedes* graciles; femoribus compressis; tibiis et tarsis longiusculis, illis inermibus. *Alae* angustae, cuneiformes, enerves; nervo subcostali basi a costa sejuncto, sed ante mediam alam ad eandem accedente et cum ea conjuncto, quo costa communis incrassata paulo ultra mediam alam excurrit; *ramus stigmaticus* omnino deest; superficies alarum punctis piligeris inspersa, iridescens; margines ciliatae.

Mas differt a femina: *antennis* quatuordecimarticulatis; scilicet *radicula, scapus* et *pedicellus* qualia in femina, sed *flagelli* articuli cuncti cylindrici, aequales, magis discreti, pubescentes, extremo illo, seu duodecimo totius antennae, qui in femina triannulatus, in hoc trifariam partito et in articulos tres aequales soluto, quorum ultimus paulo brevior, acutus. Anus maris obtusus.

Metamorphosis mihi non innotuit.

1. Gonatocerus *longicornis.*

G. nigro-aeneus, abdominis basi pedibusque testaceis. *Mas. Fem.*

Long. vix lin. 1. *Antennae* nigrae. *Caput* et *thorax* obscure nigro-aenea, laevia. *Abdomen* thorace paulo longius, oblongo-ovatum, depressum, laeve, subcupreum; primo segmento maximam partem, ventreque latiori tractu pallide testaceis. *Terebra* longitudine dimidii abdominis, recta, nigra; vaginis pubescentibus. *Pedes* pallide testacei, *unguibus* fuscis; *femora* omnia compressa, latiuscula. *Alae* hyalinae.

Mas differt a femina: *antennis*, uti jam supra dictum est, quatuordecimarticulatis aliterque constructis, fuscis; *ano* rotundato; *femoribus* posticis annulo lato ante apicem, tibiis posticis totis, mediis in medio fuscescentibns.

Cepi feminam die 8. Septembris a. 1808 in Pino sylvestri prope *Sickershausen; marem* ibidem die 10. Augusti a. 1812 in pinetis, quercubus mixtis, sub muscis.

GENUS XVIII.

ANEURE.

Ab ἄνευρος, quod nervis caret.

Antennae breves, fractae, fronti mediae insertae, decemarticulatae; flagello clavato, clava quinquearticulata. *Alae* nervo subcostali cum costa conjuncto, simplicissimo; ramo stigmatico nullo. *Frons* excavata. *Prothorax* semilunatus. *Pleurae* suturis divisae. *Abdomen* sessile, dorso plano. *Terebra* non exserta.

Mandibulae angustae, bidentatae.

Habitus fere *Eulophi* Sectionis primae. *Corpus* parvum. *Antennae* fronti mediae insertae: *radicula* exigua, foveolae frontali immersa; *scapus* longitudine tertiae partis flagelli, cylindricus; *pedicellus* obconicus; *flagellum* septemarticulatum, articulis duobus anterioribus obconicis, figura pedicelli, sed longitudine ordine diminuta, quinque reliquis arcte contiguis, clavam formantibus quasi e conis duobus basi conjunctis compositam, tertio et quarto longitudine nec latitudine crescentibus obconicis, tum quinto, sexto et septimo latitudine simul et longitudine decrescentibus conicis, septimo seu extremo minuto acuto. *Caput* latitudine thoracis; fronte pro recipiendo antennarum scapo valde excavata et reclinata; *oculi* laterales, prominuli, ovati, mediocres. *Oris* partes non prominulae. *Prothorax* thorace medio paulo angustior, lunatus, caput versus rotundatus, parum productus. *Thoracis medii* dorsum planiusculum, lobis parum discretis et hanc ob causam subaequale. *Scutellum* discretum, rotundatum vel subappendiculatum. *Metathorax* brevis, sub scutello non productus. *Abdomen* basi lata metathoraci contiguum, ovatum, in femina acutum; dorso plano; ventre basin versus acute carinato. *Terebra* in canali ventrali recondita, ultra abdominis apicem non prominens. *Pedes postici* elongati; *femoribus* dilatato-compressis. *Alae* satis amplae, punctis piligeris inspersae; nervo subcostali prope a basi costae conjuncto et cum eadem ultra mediam alam excurrente, quo costa a basi crassior, distincta, ante apicem subito abrupta desinit, hoc loco in altera specie puncto parvo clausa; ramus stigmaticus omnino nullus.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, clava distinctius articulata, articulis tribus extremis majoribus.

De *metamorphosi* nihil constat. Imagines in nemoribus et sylvis inveniuntur.

Adnot. Quod ad habitum attinet, primo intuitu *Trineurae* cuidam, e Dipterorum ordine, ut ovum ovo similis videtur.

1. Aneure *nuda*.

A. nigra, tibiis tarsisque pallidis; scutello mutico. *Mas. Fem.*

Long. lin. ⅓. *Color* totius corporis niger, purus; superficies laevissima, nitida, glabra. Structura partium in charactere communi exposita est. *Antennae* nigrae. *Scutellum* subovatum, obtusum, laeve. *Abdomen* longitudine fere capitis cum thorace, ovatum, acutum, planum; carina ventralis margine rufa. *Pedes* nigri; *femoribus* anterioribus apice, *tibiis tarsis*que omnibus luteis; *unguibus* fuscis. *Alae* obscure hyalinae, costa simplicissima, prope ab alae apice desinente, nec puncto terminata.

Mas, feminae simillimus, *antennis* longioribus, clava distinctius articulata, tribus exterioribus articulis majoribus et *abdomine* minus acuto differt.

Cepi *marem* et *feminam* Aprili et Majo mensibus, *feminam* alteram Augusto mense, locis sylvaticis graminosis prope *Sickershausen*.

2. Aneure *scutellaris*.

A. nigra, abdominis singulo rubro, tibiis tarsisque pallidis; scutello apice acuminato, albo. *Mas.*

Long. lin. ⅔. Praecedentis mari admodum similis, sed bene distincta species. *Antennae* fuscae, *scapo* rufescente, structurae omnino praecedentis. *Color* corporis laevissimi et glabri ater, nitidus. *Scutellum* ovatum, planiusculum, basi striolatum, apice in processum triangularem acutissimum albidum transiens. *Abdomen* ovatum, acutiusculum, planum, thorace longius; segmento secundo maximam partem et carinae ventralis lata margine sanguineis. *Pedes* nigri; *femoribus* anterioribus apice, *tibiis* et *tarsis* pallidis, *unguibus* nigris; femoribus posticis dilatatis compressis. *Alae* hyalinae; costa communi prope ab apice desinente, *puncto* terminata.

Cepi *marem* die 13. Julii a. 1813 in Quercu prope *Sickershausen*. *Femina* non innotuit.

GENUS XIX.
EUTRICHE.

Ab εὖ bene et θρίξ pilus, ob alas valde et pulchre ciliatas.

Antennae fractae, fronti fere mediae insertae, decemarticulatae; flagello gracili, extremo articulo crassiori oblongo. *Alae* ciliatae, nervo subcostali omnino nullo vel obsoletissimo. *Prothorax* lunatus, antice contractus. *Pleurae* planae, suturis divisae. *Abdomen* petiolatum, convexiusculum. *Terebra* exserta.

Mandibulae angustae, subintegrae.

Habitus. Corpus gracile. *Antennae* paulo infra frontem mediam insertae, decemarticulatae: *radicula* minuta, foveolae frontali immersa; *scapus* altitudine frontis, crassiusculus, subcompressus, subsemiarticulatus, curvus; *pedicellus* obovato-spathulatus, compressus, basi tenuis, primo flagelli articulo brevior; *flagellum* elongatum, septemarticulatum, articulis quatuor anterioribus filiformibus, crassitie aequali, sed diversa longitudine, scilicet primo et quarto inter se aequalibus caeteris brevioribus, secundo longissimo primo duplo longiore, tertio primo sesquilongiori, tum quinto et sexto paulo crassioribus cylindricis, magis hirtis, sexto longiore, septimo denique articulo duorum praecedentium simul computatorum longitudinem adaequante iisque crassiore, oblongo, acuto, magis discreto. *Caput* thorace latius, transverse cubicum; vertice planiusculo, transverse subrectangulo, lato; fronte supra antennas retusa; hypostomate brevi, convexo, reclinato. *Oculi* globosi, parvi, subimmersi. *Antennae* graciles. *Thorax* a tergo visus, oblongus, compressus, ante alas et pone easdem productus; dorso modice convexo. *Prothorax* thoraci medio fere aequalis, transverso-sublunatus, ad capitis insertionem cuspidatus, striolatus, subdiscretus, alarum originem non attingens. *Thorax medius* antrorsum rotundatus, laevis, lineis duabus impressis notatus. *Scutellum* breve, semicirculare, parum declive, laeve, a thorace nulla impressione lineave discretum. *Metathorax* convexus, sub scutellum leni devexitate descendens, laeviusculus. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis: *petiolus* metathoracis apici infero insertus, tenuis, retrorsum parum ampliatus, teres, laevis, cum coxis posticis descendens

earundemque longitudine; reliquum abdomen ovato-oblongum, acutum, convexum, laevissimum; segmentis arctissime contiguis, secundo maximo, antrorsum conico-angustato, parte postica dilatato-campanulata; reliquis segmentis in conum conniventibus. Venter convexus. *Terebra* recta, in specie una, quam novimus, brevis. *Pedes* graciles; *coxis* posticis elongatis, cylindricis; *femoribus* fusiformibus; *tibiis* rectis, pubescentibus; *tarsis* tenuibus, elongatis. *Alae* anticae corpore longiores, tenues, cuneiformes, angustae, villosae et ciliatae, nervis, costaeque incrassatae vel rami stigmatici vestigiis nullis; alae posticae perangustae, sublineares. A *Gonatocerote* et *Aneure* generibus praecedentibus, quibus rami stigmatici defectu consimilis, *Eutriche* nostra differt *abdomine* petiolato, tum vero *costa*, nullo subcostali nervo aucta, angusta, omnique ala maxime enervi.

1. Eutriche *gracilis.*

E. Nigra, glabra. *Antennae* testaceae, extremo articulo fusco. *Thorax* piceo-fuscus. *Metathorax* paulo dilutior, pallide fuscus. *Abdomen* nigrum, petiolo testaceo; ano obscure testaceo. *Terebra* longitudine duorum vel trium ultimorum segmentorum abdominis. *Pedes* toti testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, pilis obumbratae. *Fem.*

Cepi *feminam* die 8. Septembris a. 1812 *Sickershusae* in horto, ad radices Populi nigrae, locis humidis, ubi Potentilla reptans Lin., pluribus gallis onusta, terram tegebat. An *Cyniphis Potentillae* Retzii parasita?

Adnot. *Eurytomae* generi antennarum articulorum *numero* solo accedit, sed omni charactere naturali, tametsi abdominis structura congruere videatur, longissime ab eo distat.

GENUS XX.

ENCYRTUS Latr.

Ab ἐγκυρτὸς (?) curvus, gibbosus, ob habitum corporis, pro κυρτὸς, gibbosus, incurvatus, positum.

Encyrtus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 31. *n. CCCCLX. Spin. Classif. Diplol. in Ann. des Sc. nat. VII. p.* 149. *n.* 14. *Dalm. Act. Holm.* 1820. *I. p.* 147. *tab.* 8. *fig.* 57 — 63. *II. p.* 340 *sqq. Pterom. Suec. p.* 23 — 84. *tab. II. fig.* 57 — 63. *Pteromalus Fallén. Pteromali specc. Swed. Mira Schellenb. Ichneumonis specc. Rossi, Fabr. Frisch. Chrysidis specc. Rossi. Cleptis specc. Fabr.?*

Antennae fractae, hypostomati infero insertae; undecim- vel duodecimarticulatae; flagello compresso, apicem versus incrassato vel clavato, vel aequali, articulis anterioribus brevibus. *Alae* nervo subcostali ante mediam alam vel in ejusdem medio costae conjuncto brevissimoque spatio cum eadem procurrente; ramo stigmatico brevi, ante mediam alam, vel adsummum e media costa enato. *Prothorax* lineari-transversus, angustissimus, antice truncatus. Pleurae integrae, utrinque scutatae. *Abdomen* sessile, planum, plerumque breve. *Terebra* non exserta. *Pedes* medii longiores.

Mandibulae angustae, obtuse bidentatae. *Mala* simplex, obovata, ciliata. *Lingua* rotundata, integra. *Palpi* subaequales, breves: *maxillares* quadriarticulati; *labiales* triarticulati.

Character naturalis (in *Encyrto hemiptero* aliisque paucis observatus).

Clypeus brevissimus, non discretus, convexus, punctulatus, margine infero rotundato, subretuso. *Labrum* exsertum, planum, fere semicirculare, submembranaceum, mandibularum hiatum replens. *Mandibulae* lineares, arcuatae, compressae, basin versus vix dilatatae, superficie exteriori plana, apice obsolete bifidae, dentibus brevibus subaequalibus obtusis. *Maxillae* labio parallelae et eodem paulo breviores: *stipes* brevis, coriaceus, plano-compressus, ovatus, obliquus, superficie exteriori lanceolata obtusa cornea laevi glabra; *mala* in stipitem continuata et ejusdem fere substantiae, at paulo longior et latior, mar-

gine exteriori recto, interiori curvato, supero rotundato obliquo setis longis ciliato. *Palpi maxillares* mala paulo longiores, filiformes, quadriarticulati, pilosuli; articulis longitudine subaequalibus, primo et secundo obconicis, tertio cylindrico, quarto filiformi, praecedentibus angustiore et paulo longiore obtuso magis ciliato. *Labium*: *mentum* corneum, lineare, convexum, laeve, glabrum, apice acutum; *lingua* menti fere longitudine, at superne paulo latior, membranacea, rectiuscula, obtrigona, margine supero rotundato integerrimo setulis brevissimis ciliato, angulis rotundatis, facie supera convexiuscula, aversâ concava. *Palpi labiales* linguam non excedentes, subsetacei, triarticulati, pilosuli; articulo primo obconico, longiori, crassiori; secundo subcylindrico, longitudine vix diametrum transversalem superante et a praecedente non nisi linea subtili pellucida discreto; tertio primo paulo longiore, at illo et secundo tenuiore, ovali-cylindrico, pilosulo. *Antennae* hypostomati infero haud procul a clypeo insertae, undecim- vel duodecimarticulatae: *radicula* brevissima; *scapus* longitudine varius, linearis vel compressus et dilatatus; *pedicellus* obconicus, variae molis; *flagellum* octo- vel novemarticulatum, articulis modo omnibus obconicis, magis minusve discretis, apicem versus sensim diametro crescentibus; tum ultimo minuto retractoque, flagellum octoarticulatum obconicum apiceque truncatum evadit, vel inferiores breves et subtransversi, angustioresque, obconici tamen, quinque extremis repente in clavam ovatam rariusve tribus tantum in clavam subcylindricam elongatam coëuntibus.

Alae cuneiformes, planae, punctulis piligeris inspersae, subtilissime ciliatae; *nervus subcostalis* a basi oblique ad mediam costam procurrens ibique saepius, brevi tamen spatio, incrassatus, mox *ramulum stigmaticum* emittit simplicem, brevissimum, obliquum in paucissimis tantum, ut in *Encyrto scutellari* Dalm. et *Encyrto Swederi* Dalm. paulo longiorem, arcuatum et costae subparallelum, ultra cujus originem costa nervo subcostali aucta, non ultra mediam alam apicem versus extenditur. *Alae posticae* nervulo subcostali obsoleto, subfracto.

Habitus. Caput magnum, thorace fere latius, verticale, suborbiculare; vertice fronte hypostomateque convexis; occipite concavo, prothoraci arcte contiguo et ejus portionem collarem in concavitate sua recondente. *Prothorax* brevis, angustus, ad humeros fere protensus, alti-

tudine thoracis, antice subtruncatus. *Thorax medius* convexiusculus; lobo medio antico lato, obtrigono, truncato; scapularibus parvis, oblique ovatis. *Scutellum* distinctum, magnum, dimidiato-orbiculare, semiovatum vel triangulare, convexum, obtusum, apice in nonnullis setulis rigidis barbatum. Ante scutelli basin segmentum scutellare utrinque lamella parva oblique ovata auctum. *Pectus* latum. *Pleurae* lamina scutiformi, distincta, continua, neque suturis divisa, obtectae. *Abdomen* thorace raro longius, in plerisque brevius, depressum, puncto quidem metathoraci insertum, ut in omnibus, quibus abdomen sessile tribuitur, sed valde dilatata basi eidem tam arcte contiguum, ut lato tractu metathoraci esse adnatum, ipsaque basi sub scutello latere videatur. Venter obtuse carinatus. *Terebra* in canali ventrali recondita, anum, in femina acutum, non excedens. *Pedes* validi: *antici postici*que breviores, *tibiis* submuticis; *femoribus* saepe compressis; *medii* semper longiores, tibiis apice introrsum calcare valido recto terminatis. *Alae* ratione corporis breviusculae, satis latae, punctis piligeris adspersae.

Corpus magis minusve punctulatum, glabrum, vel pubescens, coloris diversi, interdum luteo-varii, plerumque tamen cuprei, viridis, aenei vel nigri. *Antennae*, quod rarius in hac Familia invenitur, haud paucis varicolores, albo-annulatae, vel apice albae, nulla sexus ratione. *Alae* quoque in diversis fasciatae vel maculatae.

Mares differunt a feminis: *antennarum* flagello longiori, magis minusve pubescente, apice minus incrassato, plerisque aequali et subfiliformi, articulis magis distinctis; *abdomine* obtuso, terebra destituto.

Metamorphosis plurimorum in *Coccis* adultis arborum et fruticum, Coryli, Betulae, Aceris etc., quibus solitaria plerumque *Encyrtorum* larva innascitur. Forte etiam, si observationi Geerianae, ad *Clepten coccorum* Fabr. citatae, fides habenda, plures in eodem Cocco vivunt. Non omnes autem species in Coccis primos aetatis status peragere, probat *Encyrtus varicornis* n. 15, cujus gregem in cella *Eumenis coarctatae* inveni, et *Encyrtus gravis* (*Ichneumon Coccorum* Lin.), quem sibi ex ovis *Phalaenae* cujusdam exclusum, cl. *Geyer* mihi monstravit.

Imagines in foliis arborum, fruticum aliarumve plantarum, vel etiam in terra sub foliis deciduis, versantur, pernicissime salientes et motu saltatorio volitantes. „Ob exiguitatem et motum velocissimum, oculos et manus le-

gentis prae caeteris facile effugiunt; pleraeque denique species re vera rarae esse videntur.“ Dalm. l. c. p. 150.

Capiuntur excipulo, vel, quod magis commendo, e coccis matribus, suo tempore collectis, domi exclusi colliguntur.

Adnot. Primam *Encyrti* speciei notitiam, generico charactere, ut tunc temporis mos erat, neglecto, *Frischius* (Vol. IX. p. 38. tab. 22. Operis de Insectis) exhibuit, *Encyrtum sylvium* Dalm. verbis bene adumbrans. Tum *Geerus* (Ins. I. tab. 35. fig. 17.) aliam speciem, e coccis Ulmi exclusam, descripsit, quam hujus loci esse, vix dubito, etiamsi de *Clepte Coccorum* Fabr., ad quem Geerus citari solet, dubitandum sit. *Encyrtus scutellaris* Dalm., a *Swedero*, *Pteromali* nomine a. 1795 in Actis Holmiensibus expositus est, quam eandem speciem *Rossius Ichneumonis* (vel *Chrysidis*) *infidi* nomine, postea evulgavit. *Encyrtum* quendam hemipterum, *platyceroti* Dalm. similem vel aequalem, *Schellenbergius* (Genres des Mouches, p. 69. tab. 14). *Mirae macrocerae*, appellatione novum Dipterorum genus censuit. Inter species Fabricianas vix certa *Encyrtorum* vestigia reperies, nisi forte *Cleptes Coccorum* et *minuta* huc pertineant, synonymis falsis adscriptis, vel descriptionibus alienis adjectis inextricabiles. Cl. *Fallén*, *Pteromalo scutellari* Swed. ut regula assumpto, *Pteromali* genus condidit, Encyrto generi omnibus respondens. Nos autem *Latreillium*, *Spinolam*, *Dalmanum*, viros acutissimos, secuti, *Encyrti* nomen retinuimus.

In disponendo hoc Genere *Dalmani* vestigia pressimus et multas etiam species a nobis ipsis non observatas, verbis ejus fideque secura tradidimus.

SECTIO I.

Annulicornes.

Antennis albo-annulatis.

Flagelli antennarum articuli aliquot (numero in aliis alio), albidi vel lutescentes.

A. *Scutello obtuso, ovato vel semicirculari.*

1. Encyrtus *punctipes* Dalm.

E. albo-canescens, antennis nigris, albo-annulatis; capite thoraceque testaceis, hoc griseo-squamoso; abdominis dorso medio tibiarumque annulis nigris; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus punctipes Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 154. *n.* 5. *tab.* 8. *fig.* 60. (*antenna*) *II. p.* 371. *Pterom. Suec. p.* 30. *n.* 5. *et p.* 80. *tab. II. fig.* 60. (*antenna.*)

Long. lin. ½. *Antennae* supra os insertae, duodecim-articulatae; *scapus* fronte vix altior, valde compressus, extrorsum dilatatus nigro-fuscus, apice subtusve (interdum etiam basi) albus; *pedicellus* magnus, obconicus, niger, apice albidus; *flagellum* scapo plus duplo longius, hirtum, novemarticulatum, articulis tribus anterioribus transversis, subpateraeformibus vel obconico-abbreviatis, nigris; quarto obconico, quinto et sexto diametro sensim crescentibus, obconico-transversis contiguis, solis, vel adjuncto etiam quarto articulo, albis, quo annulus albus oritur; articulis denique septimo, octavo et nono maxime contiguis, unum fere articulum ovatum crassum obtusumque efficientibus. *Caput* transverse hemisphaericum, testaceum; occipite fusco. *Oculi* laterales, orbiculares, virides, punctis nigris, e fundo emicantibus, pro situ variantibus. *Hypostoma* et *os* albida. *Thorax* dorso testaceo-fuscus vel testaceus, subtilissime punctulatus, opacus, squamis densis adpressis albidis canescens; *prothorax* lineari-transversus, brevissimus, sed medii thoracis fere latitudine; *thoracis medii* dorsum parum convexum, suturis tribus transversalibus divisum, quarum anterior et posterior in angulos oppositos fractae, media recta. *Scutellum* late triangulare, obtusum, colore thoracis. *Metathorax* brevis, paulo pallidior. *Pleurae* et *pectus* albido-cana. *Abdomen* thorace brevius, ovatum, depressum, albido-canum, dorso vel toto, vel medio tantum, continuo tractu vel fasciatim fusco; segmenta duo postrema squamiformia, margine postico semicirculari incumbente. Venter semper immaculatus. *Terebra* recondita. *Pedes* toti albidi; *tibiis anticis* annulis (seu punctis saltem lateris exterioris), *posterioribus* annulis punctisve ejusmodi quatuor *unguibus*que nigris. *Alae* hyalinae, immaculatae, pubescentes; nervo subcostali pallide lutescente; ramulo stigmatico, e media costa orto, brevi, crassiusculo, fusco.

V a r i a t:

1°. Antennarum *scapo*, vel extremo apice tantum, vel basi et apice, vel margine quoque infero albo.

2°. *Hypostomate* utrinque macula nigra notato, ore tamen mandibulisque albidis.

3°. *Abdomine* vel toto dorso nigro concolore.

SYNON. *Encyrtus punctipes α. Dalm. l. c. p.* 154;
vel dorso medio continuo tractu nigro, lateribus albis;
vel dorso medio nigro, basi apiceque secundi segmenti albidis, quo strigae duae, taeniam dorsalem secantes, oriuntur;
vel tertio quoque segmento basi et apice albo, taeniaque igitur quatuor strigis transversalibus divisa;
vel toto albido-pellucido, strigis dorsalibus obsoletis fuscis notato.

4°. *Pedibus* immaculatis, totis pallidis; cui corpus universum etiam paulo pallidius.

SYNON. *Encyrtus punctipes β. Dalm. l. c. p.* 371.

Cepi *feminam* prope *Sickershausen* Septembre et Octobre mensibus sub foliis aridis, terrae instratis. Varietatem abdominis toto dorso nigro, fide *Dalmani* in *Smolandia Boheman* legit, mihi autem in Germania non occurrit, neque varietas tibiis immaculatis, quam, eodem Dalmano teste, cl. *Zetterstedt* semel in *Scania*, prope *Esperoed* invenit. Varietatem abdomine toto pallido ego die 18. Septembris prope *Sickershausen* inter reliquas legi. Exempla hypostomate maculato insignia, et alia, taenia dorsali abdominis continua nostratibus similia, cl. *Zetterstedt*, in *Scania* a se lecta, *Dalmano* tradidit.

Mas adhuc latet.

2. ENCYRTUS *lunatus* Dalm.

E. luteo-ferrugineus, laevis; antennis rufo-testaceis apice nigris, annulo infra nigredinem duorum articulorum albo; thorace scutelloque supra viridi-aeneis; alis fusco-hyalinis, fascia media arcuata alba simplici. *Fem.*

SYNON. *Encyrtus lunatus Var. α. Dalm. Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 156. *n.* 7. *Pterom. Suec. p.* 32. *n.* 7.

Long. lin. ⅔. *Antennarum scapus* fronte brevior, compressus, superne dilatatus et infra apicem in angulum anticum productus, ferrugineus, glaber; *pedicellus* obconicus, scapo concolor; *flagellum* scapo plus duplo longius, apicem versus modice incrassatum, compressiusculum, pubescens, octoarticulatum, articulis primo, secundo et tertio obconicis longitudine decrescentibus, quarto, quinto, sexto et septimo cylindricis, longitudine latitudinis, extremo oblongo cum praecedente arcte connexo, e cujus apice noni articuli, post mortem saepe penitus retracti, breve acumen prominet. Mortuo itaque insecto flagellum apice truncatum

et octoarticulatum apparet cum sit re vera novemarticulatum. Coloris rufo-testacei sunt articuli flagelli a primo ad quartum, tum duo insequentes articuli (5—6), albi, annulum constituentes, articulus septimus et octavus cum nono nigri sunt. *Caput* thorace latius, laeve, impunctatum, rufo-ferrugineum, opacum; frons utrinque sulco obliquo impressa, pro recipiendo singulo antennarum scapo, relicto callo parvo medio; *vertex* latiusculus, saepius rufo-micans, ocellis obscuris. Os totum rufum. *Oculi* subrotundi, non prominuli, virides, post vitam plumbei; occiput modice excavatum, prothoraci contiguum. *Prothorax* brevissimus, rufo-testaceus, laevis. *Thorax* medius subtilissime punctulatus, aeneo-virens, nitidus. *Pleurae* et *pectus* laevissima, ferruginea, reliquo corpore paulo pallidiora. *Scutellum* magnum, subcordatum, convexum, viridi-aeneum, margine rufescens, apice imberbe, dorso pilis minutis adspersum. *Metathorax* piceus, subnitidus. *Abdomen* breve, vix thoracis longitudine, depressum, ovatum, obtusum, obscure ferrugineum, nitidum, dorso paulo obscuriore. *Terebra* vagina ventrali recondita, valvulis pubescentibus. *Pedes* validi, toti rufo-testacei, immaculati, *unguibus* fuscis; *tibiis* posticis compressis muticis, *mediis* apice spina valida armatis. *Alae* anticae fuscae, fascia media arcuata alba, extus subdentata, pone ramum stigmaticum descendente; posticae hyalinae, immaculatae.

Habitat in pratis, fruticibus etc. *Sueciae*, minus infrequens. (*Dalman* l. c.)

3. Encyrtus *duplicatus.*

E. rufus, laevis; antennis rufo-testaceis apice nigris, annulo infra nigredinem duorum articulorum albo; thorace cum scutello abdomineque fusco-aeneis; alis fusco-hyalinis, basi, fasciaque postica lata duplicata albis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus lunatus Var. β. Dalm. Act. Holm.* 1820. *I. p.* 157. *Pterom. Suec. p.* 33.

Long. lin. 1. A praecedente, cui pluribus persimilis, differt constanter: *statura* majore; *colore* corporis rufo saturatiori et laetiori; *prothorace* macula media viridi-aenea notato; *thoracis medii*, *scutelli*que colore fusco-aeneo; *abdomine* toto fusco-aeneo, concolore; *tibiis* posticis annulis duobus fuscis notatis, quibus confluentibus tibiae medio fuscae prodeunt; *alarum* denique fascia alba latiori, striga media fusca, eam percurrente, in binas fascias divisa, seu potius postice ramos duos curvos emittente, quorum alter

in marginem interiorem, alter in marginem posteriorem ita excurrit, ut fascia, quum animalculum alis expansis a parte antica contemplaris, in ala sinistra figuram litterae latinae k exhibeat.

Feminam cepi prope *Sickershausen* in olla horti, mense Julio. In *Smolandia* legit cl. *Boheman* (Dalman l. c.). *Mas* ignotus.

4. Encyrtus *ferrugineus*.

E. rufo-ferrugineus, laevis, antennis concoloribus, apice nigris, annulo infra nigredinem trium articulorum albo; thorace abdomineque concoloribus; alis subfuscis, fascia subapicali lata arcuata, obsolete duplicata, albida. *Fem.*

Long. lin. 1¼. Differt bona constantique nota a binis praecedentibus: *corpore* majori, toto rufo-ferrugineo concolore, solo *abdomine* in dorso paulo obscuriori, *antennarum*que annulo tres, nec duos tantum articulos, scilicet quartum, quintum et nonum flagelli proprie sic dicti, occupante. Statura reliqua, nitor superficiei laevigatae, et color fere idem congruunt. *Pedes* colore corporis, omnino immaculati, solis unguibus fuscis. *Alae* pallide fuscae, magisque hyalinae. Fascia pallida apici propior, striga undulata, veluti umbra quadam, in binas divisa.

Cepi feminam, mense Novembre sub foliis aridis in terra, locis sylvaticis prope *Sickershausen*. De *mare* nihil comperti.

5. Encyrtus *sylvius* Dalm.

E. rufus, laevis, antennarum scapo apiceque nigris, annulo infra nigredinem duorum articulorum albo; thoracis dorso abdomineque fusco-aeneis; alis cinerascentibus, fascia postica lineari arcuata alba. *Fem.*

Synon. *Encyrtus sylvius Dalm. Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 154. *n.* 6. *Pterom. Suec. p.* 30. *n.* 6.
Die Schlupfwespe in den braunen Eierwarzen an den Pflaum- und Kirsch-Bäumen. Frisch. Ins. IX. p. 38. *tab.* 3. *fig.* 22.

Long. lin. 1¼. *Antennae* capite longiores: *scapus* fronte humilior, dilatato-compressus, niger; *pedicellus* et *flagellum* ut in praecedentibus (confer *Encyrtum lunatum* n. 2); *flagelli* novemarticulati, vix compressi, apice modice incrassati articuli contigui, quatuor anteriores obscure testacei, tum quintus et sextus albi, annulum constituentes, tres extremi paulo crassiores nigri. *Apex antennae* post mortem truncatus. *Caput* thorace paulo latius, rufum, lae-

ve, nitidum; fronte pro antennis recipiendis utrinque oblique impressa; vertice angusto, vel toto fusco, vel punctis singulis in oculorum angulo lineisque duabus mediis tenuibus fuscis notato. *Ocelli* fusci. *Oculi* maximi, subrotundi, virides, maculis aliquot nigris e fundo perlucentibus, pro situ variantibus. *Thorax* cum *prothorace* nigro-aeneus, nitidus, laevis, vel potius subtilissime punctulatus, pilis subtilissimis nigris inspersus. *Scapulae* apice rufae. *Scutellum* mediocre, colore et punctura thoracis rotundatum, imberbe. *Metathorax* inaequalis, nigro-aeneus. *Pleurae* et *pectus* rufa, laevia; pectus posticum subfuscum. *Abdomen* longitudine et latitudine thoracis, ovatum, planum, violaceo-cupreum, nitens. *Pedes* toti testacei, pallide pubescentes; *femoribus* posticis fascia media lateris exterioris obsoleta fusca; *tibiis* iisdem annulo ante apicem fusco; *unguibus* fuscis. *Alae* cinerascentes, hyalinae, non obscuratae; anticae fascia lineari arcuata alba, vix nisi certo situ conspicua, pone medium divisae; posticae hyalinae, immaculatae.

Exclusam e Coccis Betulae albae *Vestrogothiae feminam* observavit *Dalmanus;* e coccis Pruni *Frischio* olim prodierunt ejusdem speciei exempla. Ipse die 11. Maji a. 1808 *feminam* in Salicis fragilis floribus prope *Sichershausen* cepi. *Mas* nobis non notus.

Adnot. I. A praecedentibus *scapo antennarum* crassiore magisque dilatato, nigro nec testaceo, *alis* minus obfuscatis, sed potius hyalinis, fascia clariori, satis superque differt.

Adnot. II. *Frischius*, in describenda specie, a se observata, collare luteum dicit, cum in nostra soli humeri testaceo colore imbuti sint. *Mares* minores esse, corporeque toto viridi-atro nitente.

Verba viri, nimis neglecti, addere liceat: *Wegen des vielen Saftes, der anfänglich in diesen Blasen (dem Coccus der Pflaumen- und Kirsch-Bäume) ist, wovon in den zwei hier vorhergehenden Nummern gehandelt worden, sitzen oft Fliegen darauf. Aber Anno* 1730 *hab' ich fast in keinem die in Nummer XXI gemeldten Käfer *) gefunden,*

*) Insectum, a Frischio l. c. descriptum, coleoptratum Dermestinorum ordinis est, uti ille *Anthribus varius*, quem cl. Dalman (l. c. p. 25) in *Cocco Aceris* illaeso a se inventum, non Cocci parasitam, sed fortuito e cortice arboris exclusum Coccum penetrasse conjicit. Verum cum *Frischius* noster larvam in Cocco observaverit ex eademque imaginem

sondern überall Ichneumones, oder eine Art kleiner Schlupfwespen, 10, 12, *und mehr in jedweder Warze oder Blase. Sie sind sehr klein, eine Linie oder einen zwölftheil Zoll lang. Haben unten runde Flügel, welche über einander liegen und den Unterleib bedecken. Der Kopf ist gelb und unter sich hangend. Die Fühlhörner weifslich gelb und halb schwarz an den Fühlkölblein; stehen auch auf einen schwarzen Absatz an der Stirn, an dem die meisten Gelenke gerade stehen oder vor sich nieder gebogen sind. Die schwarzen Augen stehen weit aus dem Kopfe heraus; die doppelten Flügel zeigen vor andern das Geschlecht der Schlupfwespen. Sie sind beide dem blofsen Auge nach hell und durchsichtig; aber im Vergröfserungsglase voller schwarzen Punkte, aus deren jedem ein Haar geht, wodurch das Licht immer die Regenbogenfarben an den Flügeln oben und unten macht, wenn es daran scheint. Die Adern derselben gehen gerad von oben bis unten hinaus mit einigen Gabeln in der Mitte, wo sie wegen der Breite der Flügel sich theilen.* *) *Auch ist das Aeufserste am Ende voll von solchen Haaren, und als mit dünnen Franzen besetzt, nebst dem ganzen Leibe. Die Männlein sind kleiner und grünlich-glänzend-schwarz. Die Weiblein gröfser und matt-schwarz; an der Brust gelb. Der Halskragen ist an allen gelb. Auf dem halben Rücken ist ein Absatz, unter welchen zwei Spitzen* **) *hervorgehen. Die Füfse sind lang und gelb.*

***) ✝ 6. Encyrtus *chalcostomus* Dalm.

E. viridi-aeneus, laminis pleurarum antennisque nigris, his annulo quatuor ad sex articulorum albo; capite, pectore antico pedibusque testaceis; alis dilute fuligineis, fascia alba; ore aeneo. *Fem.*

Synon. *Encyrtus chalcostomus Dalm. Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 341. *n.* 29. *Pterom. Suec. p.* 50.

---

coleoptratam prodeuntem viderit, vix est, quod dubitemus, etiam *Anthribum varium* in Coccis metamorphosin peragere.

*) Fortiori augmento adspectae alae horum insectorum, praesertim eae, quae pilis vestitae sunt, tractus nervorum decursu pilorum produnt.

**) Squamulae laterales segmenti scutellaris.

***) Signo hoc, nomini specifico praefixo, indicatur, speciem, a me ipso non observatam, *Dalmano* duce proponi.

Long. lin. $^1/_2$ — 1. Nimis affinis *Encyrto sylvio*, sed differre videtur, praeter colorem, oculis magnis, approximatis, unde vertex angustior.

Antennarum scapus frontem non superans, niger, compressus, ut in *Encyrto sylvio* dilatatus; *flagellum* teretiusculum, apice compressum, articulis a tertio ad sextum albidis, baseos cum *pedicello* apicisque nigris. *) *Caput* laeve, testaceum, genis purpureo micans; callus hypostomatis et margo oralis totus virides, nitidi; frons ut in affinibus impressa; vertex coangustatus (i. e. inter oculos coarctatus), obsoletissime punctulatus. *Mandibulae* flavae. *Oculi* in vivo pallide virescentes, maculis in fundo nigris pro situ variantibus. *Thorax* supra viridi-aeneus, nitidus; *prothorax* et *scutellum* concoloria; *metathorax* obscurus. *Pectus* antice flavo-testaceum, postice vero et *laminae pleurales* nigra. *Abdomen* longitudine et latitudine thoracis, ovatum, planum, nigro-aeneum. *Pedes* saturate flavo-testacei, *posticorum femoribus tibiis*que indeterminate fuscis. *Alae* dilute fuliginosae, fascia arcuata alba, punctis fuscis vero (in varietate α, majori) nullis; ramus stigmaticus cum costula nigro-fuscis. *Tegulae* flavescentes.

Varietas:

β. Duplo minor (long $^1/_2$ lin.). *Antennarum flagellum* fere totum testaceo-albidum, *pedicello* et summo *apice* tantum nigris. *Pedes* postici nigro-fusci, geniculis testaceis. *Alae* manifestius infuscatae magisque signatae. Scilicet ante fasciam albidam annulus fuliginosus indeterminatus, et fasciae superior pars extus punctis tribus fuscis definita; fasciae vero niveae exterioris (quae in *Encyrto interpuncto* n. 7) adest, nullum vestigium. *Fem.*

Adnot. Vix dubium mihi videtur, hanc varietatem β distinctam esse speciem, quam apte hisce verbis definias:

Encyrtus *signatus*.

E. viridi-aeneus, laminis pleurarum antennisque nigris, his annulo quinque vel sex articulorum testaceo-albido; capite, pectore antico pedibusque anterioribus testaceis; alis fuligineis, fascia albida, extrorsum punctulis fuscis notata. *Fem.*

Va-

*) Cl. *Dalmanus*, articulos flagelli numerando, pedicellum ut primum flagelli articulum in censum vocat. Hoc ad nostram computandi rationem reduximus, ne lectorem duplici modo numerandi in errorem inducamus. Comparandi causa semel isto loco adducamus verba auctoris: „flagellum articulis 4 — 7 albidis, baseos apicisque nigris.“

Varietatis α *feminam* in *Vestrogothiae* monte *Kinnekulle* atque in *Scaniae* Quercu b. *Dalman* legit. *Varietas* β. in *Scania* et in *Gottlandia* a cl. *Zetterstedt* lecta est. *Mas* non notus.

✝ 7. Encyrtus *interpunctus* Dalm.

E. nigro-aeneus, nitidus, capite luteo, antennis ferrugineis, apice nigris, annulo infra nigredinem duorum articulorum albo; pedibus nigris, geniculis tarsisque rufescentibus; alis infuscatis, fascia alba fusco-maculata. *Fem.*

Synon. *Encyrtus interpunctus Dalm. Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 157. *n.* 8. *Pterom. Suec. p.* 33. *n.* 8.

Nimis affinis *Encyrto lunato* (etiam *E. sylvio* et *chalcostomo*) ut ejus varietas saturatior et magis obscura videatur; quoad staturam, partium formam, impressiones frontis, puncturam verticis etc. omnino cum illo convenit, sed maximis ejus individuis adhuc *major*, *pectore* quoque obscuro, et *alis* magis variegatis.

Long. lin. 1¼. *Antennae* sub media fronte insertae; *scapo* apice incrassato, ferrugineo; *flagello* illo duplo longiore, basi ferrugineo, articulis quinto et sexto albis; extremis atris. *Caput* luteum; vertice angusto, roseo, ad oculorum marginem subtiliter punctulato; fronte pallidiore, ad antennarum receptionem fere semicirculo impresso, relicto tuberculo in medio. *Oculi* (post vitam) obscuri. *Thorax* cum *Prothorace*, *scutellum*, *abdomen* nigro-aenea, nitida; *laminae pleurales* nigrae, obscurae; *metathoracis* latera viridia, magis nitida. *Femora* nigra, obscura; *tibiae* obscure ferrugineae, in medio obfuscatae; *tarsi* ferruginei, unguibus fuscis. *Alae* ad medium usque apiceque infuscatae, pone stigma (i. e. costae partem illam mediam brevem, nervo subcostali accedente tumidulam) ornatae fascia lata alba, punctis tribus vel quatuor fuscis, in seriem dispositis, inscripta; nervus subcostalis et ramulus stigmaticus nigro-fusci.

In *Smolandia feminam* cepit cl. *Boheman* (*Dalman* l. c.) *Mas* non notus.

Adnot. *Alarum* fascia in hac specie duplo latior, quam in *Encyrto lunato* (aliisque confinibus), vel potius ad costam quasi duplicata.

✝ 8. Encyrtus *tessellatus* Dalm.

E, obscure aeneus, fronte testacea, ore verticeque viridibus nitidis; antennis testaceis, apice nigris, annulo

infra nigredinem unius articuli albo (interdum deficiente); pedibus anterioribus testaceis, fusco mixtis; alis dilute infuscatis fascia duplicata alba, punctis quatuor tessellatis inscripta. *Fem.*

SYNON. *Encyrtus tessellatus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 342. *n.* 30. *Pterom. Suec. p.* 51. *n.* 30.

Statura et facies *Encyrti interpuncti,* cui nimis affinis videtur; sed paulo minor, et praeter colores differre videtur, *antennis* nonnihil crassioribus, *genis* quam in illo magis rotundatis, margineque orali minus retuso (in *Encyrto interpuncto* enim genae subrectae apparent).

(Long. lin. 1.) *Antennarum scapus* testaceus, apicem versus nonnihil dilatatus; *flagellum* scapo duplo longius, extrorsum modice incrassatum et paululum compressum, nonnihil crassius, quam in *Encyrto interpuncto; pedicellus* et articuli *flagelli* quatuor inferiores sordide testacei, quintus solus albus, reliqui nigri, apicalis truncatus. *Caput,* antice visum, paulo latius quam longius, rotundatum, convexum; margo oralis, os et genae virescentes; *mandibulae* pallidae; frons impressa, rufo-testacea; vertex angustatus, viridi-cyaneus, nitidus, utrinque punctorum impressorum serie sat distincta. *Thorax* capite vix latior, viridi-aeneus, *prothorace scutello*que concoloribus. *Metathorax* niger. *Pectus* nigrum. *Abdomen* thorace multo brevius, obtusum, nigro-aeneum. *Pedes* anteriores testacei, femoribus tibiisque medio fuscis; postici fere toti nigricantes; *tarsi* omnes testacei, apice obscuri. *Alae* dilutius infuscatae; pone medium fascia duplicata nivea, punctis quatuor fuscis quadratis inscripta. Punctum a costa tertium magis introrsum positum, unde ejus locus tessello albo occupatur, et puncta secundum et quartum cum apicis umbra conjunguntur, quare fascia exterior alba interrupta apparet. Hae picturae saepe tamen dilutae et obsoletae. Stigma breve, nigrum, ramulo obliquo brevissimo.

V a r i e t a s:

β. Flagello antennarum obscure fusco-testaceo concolore, nec annulato; *alarum* pictura evidentiori.

In *Scania* et *Gottlandia* cl. *Zetterstedt* legit *feminam* (*Dalman* l. c.). *Mas* non innotuit.

O b s e r v. Etiam in *Encyrto interpuncto* punctum tertium nonnihil introrsum dislocatum, sed in omnibus exemplis, a me examinatis, fascia alba exterior tamen integra, nec puncta secundum et quartum cum nebula apicis conjuncta. Ceterum in *Encyrto interpuncto flagelli* arti-

culi quintus et sextus pallidi, in *Encyrto tessellato* quintus tantummodo articulus albus; in illo *pectoris* segmenta subalaria lutescentia, in *Encyrto tessellato* vero nigra.

† 9. Encyrtus *cyanocephalus* Dalm.

E. obscure aeneus, nitidus, capite viridi-cyaneo; antennis nigris, annulo unius articuli subapicali albido; geniculis tarsisque testaceis; alis hyalinis, subinfuscatis, fasciae vestigio. *Fem.*

Synon. *Encyrtus cyanocephalus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 344. *n.* 31. *Pterom. Suec. p.* 53. *n.* 31.

Haec quoque species *Encyrto sylvis* et confinibus proxima habitu, antennarum structura formaque capitis; illis tamen nonnihil *major*, praesertim robustior; etiam *colore* corporis multo obscuriore, *alarum* vero pallidiore, diversa.

(Long. lin. 1¼.) *Antennarum scapus* niger, compressus, antice dilatatus; *flagellum* (crassius quam in *Encyrto interpuncto*) nigrum, solo articulo *sexto* pallido. *Caput* transversum, ad os obtusum, totum cyaneum, nitidum; fronte impressa; vertice angusto, aeneo-micante, juxta oculos subtilissime et subseriatim punctulato. *Thorax* crassus, capite latior, obscure aeneus, coloris in dorso ad cupreum vergentis, laevis, nitidus; *prothorace scutello*que subcordato concoloribus. *Metathorax* niger. *Pectus* nigrum, *laminis pleuralibus* concoloribus, non nisi metathoracis lateribus viridibus. *Abdomen* ovatum, breve, obscure aeneum. *Pedes* omnes nigro-fusci, geniculis plus minus rufo-testaceis; *tarsi* antici fere toti infuscati; posteriores rufo-testacei, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, vix fusco tinctae, fasciae albae vestigio obsoleto, punctis fuscis vero nullis.

Observ. Secundum colores affinis videri posset *Encyrto cyanifronti* (n. 11), sed habitu et statura quam maxime est diversus. Illius enim *caput* convexius, minime transversum, et *antennarum scapus* multo longior, tenuior, et sublinearis, reliquas differentias ut praetermittam.

10. Encyrtus *barbarus* Dalm.

E. virescenti-nigrove-aeneus, nitidus; antennis nigris, annulo duorum articulorum subapicali albo, pedibus rufis; alis obscure hyalinis, albido-subfasciatis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus barbarus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 158. *n.* 9. *Pterom. Suec. p.* 34. *n.* 9.

Long. lin. ²/₃. *Antennae* supra clypeum insertae; *scapus* longitudine dimidii flagelli, compresso-obconicus seu lanceolatus margine antico arcuato, postico recto, in hypostomatis cavitatem subreceptus, obscure rufus vel niger; *pedicellus* obconicus, longiusculus, nigro-fuscus; *flagellum* capite nonnihil longius, apice parum incrassatum, teres, articulis quatuor anterioribus brevibus, subtransverso-cylindricis, nigro-fuscis vel brunneis; quinto et sexto cylindricis albis, reliquis etiam cylindricis, subaequalibus, paulo crassioribus, nigris, extremo oblique truncato. *Caput* transversum, superne visum hemisphaericum; hypostomate tamen retuso, subexcavato nigro-aeneo, nitido; *fronte* inter oculos angusta, convexa; *vertice* valde angustato, nigro, opaco, laevi, ad oculorum marginem subtilissime punctulato; ocelli obscuri; *mandibulae* et *palpi* rufa. *Oculi* magni, ovati, in vertice approximati, virescentes. *Thorax* magnus, latus, laeviusculus, cum *prothorace* obscure virescenti-aeneus. *Scutellum* magnum, ovatum, obtusum, laeviusculum, convexum, parumper pilosulum, thoraci concolor. *Metathorax* vix ultra scutellum productus, latus, lateribus rectis declivibus, postice recta truncatus abdominisque basi arcte contiguus, fusco-cupreus, superficie foveolato-rugosa. *Laminae pleurarum* laevissimae et pectus obscure nigro-aenea. *Abdomen* vix longitudine thoracis, crassum, ovatum, obtusum, planiusculum, laeve, fusco-cupreum, nitidum; ventre ad basin certo situ rufescente. *Pedes* validi, toti rufo-testacei, *femoribus* posticis medio *tarsis*que apice in plerisque paululum infuscatis. *Alae* lutescenti- vel cinerascenti-obfuscatae, basi pallidae, fasciaeque posticae pallidioris duplicatae obsoletae vestigiis; stigmate ramuloque stigmatico brevissimo, ante mediam alam egrediente, lutescentibus.

Cepi *feminam* die 23. Aprilis a. 1811 in Salicis auritae nemorum floribus prope *Sickershausen*, eandemque ibidem mense Octobre sub foliis aridis deciduis. In *Smolandia* a cl. *Boheman* lectam descripsit *Dalmanus*. *Mas* non innotuit.

✝ 11. Encyrtus *cyanifrons* Dalm.

E. cyaneus vel aeneus, antennis nigris, annulo duorum articulorum infra-apicali albo, scapo, tibiis tarsisque flavis; alis subhyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus cyanifrons Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 159. *n.* 11. *Pterom. Suec. p.* 35. *n.* 11.

Medius in hoc genere (lin. igitur ²/₃ circiter). *Anten-*

nae paulo supra os insertae; *scapo* longo, lineari, testaceo; *flagello* nigro, articulis septimo et octavo (?) albis, apice nigro obtusiusculo. *Caput* magnum, thorace fere latius; hypostoma viridi-aeneum, nitidum, ad antennarum basin utrinque impressum, ore subconcolore; vertex angustus, coeruleus, nitidus, punctatus, punctis nonnullis in seriem digestis. *Oculi* maximi, orbiculati, non prominuli, postice approximati. *Prothorax* obscure aeneus. *Thorax* brevis, transversus, supra obscure cyaneus, nitidus, laevis pube albida parcius adspersus, subtus obscure aeneus, nitidus, glaberrimus. *Scutellum* cyaneum. *Abdomen* thorace brevius, viridi-aeneum, nitidissimum. *Pedes* flavo-testacei, femoribus tibiisque basi infuscatis. *Alae* immaculatae, nisi apice paulo obscuriores; nervulo solito testaceo.

Captus in *Vestrogothia* die 11. Julii a. 1814 (*Dalman*). *Mas* ignotus.

Varietas:

β. Obscure aeneus, *capite* cyaneo nitido; *antennis* annulo albo; *pedibus* fusco-testaceis; *alis* subimmaculatis, fascia obsoleta alba. *Fem.*

Synon. *Dalm. l. c.*

Ab *Encyrto cyanifronte* genuino vix differre videtur nisi *colore* omnium partium obscuriore et *alis* subsignatis. Cum vero ambos praesentes comparare non licuerit, etiam hujus descriptionem sistam. (Dalm. l. c.)

Magnitudo fere *Encyrti Swederi* (lin. 1 — 1¼). *Antennae* nigrae, annulo albo, apice truncatae. *Caput* cyaneum, laeve, nitidum, ore testaceo; vertice angusto aeneo nitido, punctis distinctis sat regulariter in lineas dispositis. *Thorax* brevis, transversus, aeneo-nitidus, subtilissime punctatus. *Scutellum* aeneum, nitidum, convexum, margine declivi, apice obtuso, tenue pubescens. *Abdomen* obscure nigro-aeneum, nitidum. *Pedes* fusco-testacei, geniculis tarsisque dilutioribus; *tibiis* posticis compressis. *Alae* fere immaculatae, vel obsolete fusco-nebulosae, relicta fascia media lunata, etsi obsoleta; nervulo ordinario brevi, fusco.

Habitat in *Vestrogothia.* (Mus. cl. *Gyllenhal.* Dalman.)

✝ 12. Encyrtus *melanacis* Dalm.

E. obscure aeneus, fronte cyanescente; antennis nigris apice incrassatis, annulo duorum articulorum subapicali albo; tarsis testaceis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus melanacis Dalm. Act. Holm. a.* 1820. *II.* 345. *n.* 32. *Pterom. Suec. p.* 54. *n.* 32.

Long. lin. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$. *Antennarum scapus* verticem non superans, niger, compressus, extrorsum apicem versus dilatatus; *flagellum* scapo vix duplo longius, clavatum, apice subtus oblique truncatum, vix compressum, nigrum, articulis quinto et sexto albis; *pedicellus* sat magnus, articuli vero insequentes brevissimi, terminales trans annulum magni. (Structura igitur antennae, qualis in *Encyrto punctipede* invenitur.) *Caput* rotundatum, laeve, nitidum; frons impressa, aenea vel violacea; genae obscurae; vertex angustus, convexus, viridi-aeneus, punctis seriatis subtilissimis. Os testaceum. *Oculi* rotundati, in vivo (?) nigri. *Thorax* supra obscure viridi-aeneus, laevis, nitidus; *prothorace* concolore. *Scutellum* mediocre, semiovatum, parum convexum, viridi-aeneum. *Metathorax* obscurus. *Pectus* nigrum, parum aeneo-nitens; *laminae pleurales* nigrae, subopacae. *Abdomen* longitudine thoracis, subtriangulare, nigro-aeneum, ano acutiusculo. *Pedes* nigri, nitidi, geniculis concoloribus, non nisi apicibus *tibiarum tarsis*que testaceis, *unguibus* nigris. *Alae* omnino hyalinae, nec fasciae albae, neque punctorum fuscorum vestigiis; stigma ante mediam costam situm fuscum, ramulum perbrevem obliquum emittens.

Femina in *Scania* Julio et Augusto mensibus in Pino, Carpino, Tilia lecta a cl. *Zetterstedt* (Dalman l. c.). *Mas* ignotus.

Adnot. Species certe distincta, statura praecedentium et praesertim *Encyrti cyanocephali*, sed minor eo, etiamsi magnitudine variet. Ab affinibus mox distinguitur *antennarum* apice incrassato oblique truncato, quod inter species antennis annulatis hujus est proprium.

13. Encyrtus *varicornis.*

E. viridi-coeruleus, scutello metathoraceque atris, antennis nigris, scapo apice, annulo trium articulorum medio, geniculis et tarsis albis; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{3}$. *Antennae* supra os insertae, longae, fere corpus aequantes; *scapus* altitudine frontis, crassiusculus, niger, apice albus; *pedicellus* magnus, obconicus, niger; flagelli gracilis, apice parum incrassati, articulo primo nigro reliquis longiori, secundo, tertio et quarto cylindricis, contiguis candidis, caeteris nigris, paulo crassioribus, sed aeque cylindricis. *Caput* crassiusculum, thoracis latitudine, cyaneo-viride; frons angusta, utrinque parum impressa, nitida. *Oculi* magni, subrotundi, pro-

minuli. Os piceum. *Thoracis medii* dorsum cum *prothorace* brevi viridi-coerulea, laevissima, nitidissima. *Scutellum* magnum, semicirculare, aterrimum, opacum, et quasi holosericeum, nec vero pubescens. *Metathorax* brevissimus, ejusdem coloris. *Pectus* quoque *laminae*que *pleurarum* atra, opaca. *Abdomen* ovatum, planum, obtusum, thorace brevius, nigro-cyaneum. *Pedes* aeneo-nigri, *genubus* et *tarsis* albidis, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, purae, nitidae, stigmate fere punctiformi, paulo ante mediam costam sito; ramulo stigmatico brevissimo, tenui.

Mas differt a femina, *antennis* longioribus, corpus aequantibus, scilicet *flagello* (nec scapo) aequali, subfiliformi, pilosulo, annulo et in hoc conspicuo, tum *abdomine* multo breviore et saepe adeo retracto, ut brevis ad instar tuberculi metathoraci adhaerere videatur.

Gregem utriusque sexus die octavo Septembris a. 1807 *Sickershusae* in cella *Eumenis coarctatae* inveni, e cujus larvis exclusos esse, nullus dubito. Omnes autem jam mortui erant, sed bene servati.

✝ 14. Encyrtus *subcupratus* Dalm.

E. obscure rubro-aeneus, capite cyanescente, antennis testaceis, scapo apiceque nigris, annulo infra nigredinem duorum articulorum pallido; pedibus fusco testaceoque variis; alis fusco-hyalinis, subfasciatis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus subcupratus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820 *II. p.* 346. *n.* 33. *Pterom. Suec. p.* 55. *n.* 33.

Magnitudo *Encyrti lunati* (2/3—1 lin.) sed a proxime affinibus nonnihil discrepans: *statura* longiori; capite minori et convexiori; *thorace* antice paulo magis angustato; et *scapo* tenui, sublineari. Inde habitu accedens ad *Encyrtum vinulum* (n. 33) et affines; *flagelli* vero structura ab eodem longe distat, quae eadem atque in praecedentibus.

Antennarum scapus niger, tenuis, sublinearis, verticem haud superans; *flagellum* scapo plus duplo longius, articulis sex anterioribus pedicelli longitudine, inter se aequalibus, sat distinctis, pallide testaceis, non contractis, quinto et sexto pallidioribus, annuli indicium praebentibus, reliquis nigris, praecedentibus crassioribus, apicem conicum formantibus. *Caput* ratione generis mediocre, thoracis medio angustius, antice visum manifesto longius quam latius, inflexum, supra confexum; frons impressa, violacea, nitida; genae subcupratae; vertex valde angustus,

viridi-cyaneus, punctis seriatis sat distinctis. *Mandibulae* testaceae. *Oculi* conspicui, breviter ovati. *Thorax* antica versus capite manifeste angustior, versus postica sensim dilatatus, convexus, laevis, obscure aeneus ad cupreum nonnihil vergens, nitidus, subtilissime pallide pubescens; *prothorace* concolore. *Scutellum* semiovatum, modice convexum, colore thoracis. *Pectus* nigrum, segmentis antealaribus obsolete testaceis; *laminis pleuralibus* nigris, nitidis. *Abdomen* thorace brevius, obtusum, aeneo-nigrum. *Pedes* longiusculi; *coxae* obscurae; *femora* in medio et *tibiae* prope basin annulo fusco, relictis *geniculis tarsis*que testaceis. *Alae* hyalinae, dilute fuliginosae, fasciae albae vestigiis obsoletis; stigma tenue, fuscum, ramulo brevi. *Tegulae* nigricantes.

Femina in insula *Furillen Gottlandiae* a cl. *Zetterstedt* lecta est (*Dalman.*). *Mas* non innotuit.

† 15. Encyrtus *herbidus* Dalm.

E. viridis, nitidus, fronte aeneo-violacea, antennis fusco-testaceis, scapo apiceque fuscis, annulo infra fuscedinem duorum articulorum flavo; ore pedibusque flavis; alis albo-hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus herbidus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 356. *n.* 42. *Pterom. Suec. p.* 66. *n.* 42.

Encyrto lunato minor (2/5 lin. long.). *Antennarum scapus* verticem non aequans, tenuis, medio parum incrassatus, niger; *pedicellus* parvus, pallidus; *flagellum* scapo plus duplo longius, basi tenue, extrorsum incrassatum, apice compressum, subtruncatum, articulis quatuor anterioribus fusco-testaceis, quinto et sexto pallide flavis, extremis tribus majoribus fuscis. *Caput* mediocre, antice visum suborbiculare, viride, vertice latiusculo; frons inter oculos aenea, impressa, carinulaque inter antennas aucta; hypostoma viridi-aureum, pube albido-sericea nitidula vestitum; margo oralis subemarginatus; genae aeneo-violaceae, laevigatae. *Mandibulae* flavae; *palpi* pallide sulphurei. *Thorax* brevis, viridis, sericeus, nitidus, *metathorace* et *pectore* obscuris, aeneo-nitentibus. *Scutellum* semiovatum, convexum, viride, dorso medio aeneo-micans. *Abdomen* breve, depressum, obscure viride. *Pedes* anteriores pallide flavo-sulphurei, immaculati, coxis unguibusque concoloribus; *pedes postici* saturatius flavidi, *coxis femoribus*que

nigricantibus, basi apiceque flavis. *Alae* albido-hyalinae, stigmate fusco; ramulo obliquo, perbrevi, truncato.

Habitat in *Vestrogothia*, a cl. *Boheman* lectus. (Dalman.) *Mas* non notus.

Adnot. Cum *Encyrto clavellato* (n. 39) a Dalmano componitur, inter *Exannulatos* militante. Distinctus autem, praeter characteres allatos, *colore* laetiore, *antennarum* apice magis incrassato; *vertice* vix visibiliter punctulato; *abdomine* obscure aeneo; *pedibus* multo pallidioribus, coxis quoque flavis.

† 16. Encyrtus *sericeus* Dalm.

E. viridis, opacus, pube albo-sericea depressa vestitus; antennis pallide fuscis scapo apiceque nigris, annulo infra nigredinem duorum articulorum pallescente; pedibus fuscis, geniculis tarsisque albidis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus sericeus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 357. *n.* 43. *Pterom. Suec. p.* 67. *n.* 43.

Mediae magnitudinis (long. lin. $^5/_4$—1.) colore viridi opaco et pube sericea totius corporis jam primo intuitu a reliquis (praeter *Encyrtum strigosum*) distinguendus.

Antennae fronti inferiori insertae, basi distantes; *scapus* vertice manifeste brevior, basi tenuis, pone medium antice dilatatus, compressus, niger, vel fuscus; *flagellum* capite vix dimidio longius, sensim et modice incrassatum, subteres, articulis sericeo-nitentibus; quatuor inferioribus pedicelloque pallide fuscis, quinto et sexto pallidioribus, apicalibus obscuris compressis, extremo obtuso nec vero truncato. *Caput* vix thoracis latitudine, antice visum subtriangulare, ad os prominens, rotundatum, viride prasinum, non nisi circa os nitens, laeve, impunctatum, albo-sericeum. *Os* ferrugineum. *Oculi* rotundati, prominuli, obscuri (?), vix dimidium capitis latus occupantes, sat late distantes. *Thorax* brevis, convexus, colore et pubescentia capitis, impunctatus, *prothorace* et *pectore* concoloribus, ad latera certo situ subauratus, attamen opacus, sericeus. *Scutellum* subcordatum, viridi-sericeum. *Metathorax* obscure viridis, magis nitidus. *Abdomen* thorace multo brevius, obtusum, supra depressum, basi apiceque viride nitidum, disco vero toto obscure aeneum; venter viridi-nitens, albo-sericeus. *Pedes* validiusculi; *coxae* omnes corpori concolores; pedes *antici* nigricantes, geniculis tarsisque albidis; *medii* elongati, fusco-testacei, geniculis tar-

sisque albidis, tibiis fusco biannulatis; *postici* femoribus viridibus, tibiis fuscis, geniculis tarsisque albidis. *Alae* hyalinae, immaculatae, nervo subcostali alae medium non attingente; stigmate nigro, sat determinato; ramulo stigmatico brevi, obliquo, obscuro.

In monte *Kinnekulle* a cl. *Boheman* lectus (Dalman.).

Adnot. *Encyrtus sericans* n. 54 hujus forte mas. *)

B. *Scutello triangulari depresso.*

✝ 17. Encyrtus *aeneus* Dalm.

E. nigro-aeneus, antennis lividis apice nigris, annulo infra nigredinem duorum articulorum albo; geniculis tarsisque testaceis; alis fuscis, apice expallidis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus aeneus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 159. *n.* 10. *Pterom. Suec. p.* 35. *n.* 10.

Inter minimos (long. ⅓ lin. et paulo ultra). *Antennae* basi lividae, post medium annulo, articuli sexti et septimi (!) flagelli, albo, apice (articulis octavo et nono) nigrae, truncatae. *Caput* maximum, thorace multo latius, obscure viride, profunde punctatum, punctis magis nitidis. *Oculi* magni, nigri (?) *Thorax* transversus, brevissimus, nigro-aeneus. *Scutellum* maximum, triangulare, apice satis acuto, supra subplanum, subtilissime punctulatum, vix pubescens, minime pilosum. *Abdomen* breve, depressum, subtriangulare, obscure nigro-aeneum, nitidum. *Pedes* nigro-aenei, tibiis tarsisque testaceis. *Alae* totae fuscae, versus apicem pallidiores, ramulo stigmatico brevissimo.

Habitat in *Vestrogothia*, *Gyllenhal*; in *Smolandia*, *Ljungh.* (*Dalman.*) *Mas* latet.

18. Encyrtus *melanopterus.*

E. ater, subaeneo-violaceus, antennis nigris, annulo duorum articulorum subapicali albo, scapo tarsisque ferrugineis; alis nigris, fascia terminali alba. *Fem.*

Long. lin. ⅔. *Scapus antennarum* longitudine vix dimidii flagelli, testaceus; *pedicellus* obconicus, niger; *flagellum* apicem versus parum incrassatum, nigrum, articulis subcylindricis, quinto et sexto albis, extremis paulo crassioribus ultimo truncato. *Caput* crassum, thorace latius; fronte convexa, cicatricosa, aeneo-violacea; hypostomate magis nitente. *Oculi* mediocres, subrotundi. *Tho-*

---

*) Sub hac divisione forte etiam quaerendus: *Encyrtus melanopterus*, n. 18, quem vide.

rax brevis, latus, ater, aeneo-violaceo micans. *Scutellum* triangulare. (?) *Metathorax* niger, magis nitens. *Pectus* et *laminae pleurarum* nigra. *Abdomen* thorace brevius, ovato-trigonum, obtusum, planum, laeve, atro-subcyaneum. *Pedes* validi, nigri, cyanescentes; *tarsis* ferrugineis, apice fuscis. *Alae* nigrae, margine postico albo.

Feminam unam cepi die 26. Julii a. 1813. in Quercu prope *Sickershausen*, locis sylvaticis. De *mare* nihil constat.

Adnot. Scutellum in nostro exemplo mutilum est. Nihilominus tamen cum *Encyrto aeneo* Dalm. composuimus, ob summam structurae, puncturae, colorumque alarum similitudinem. An varietas praecedentis? Differre videtur: *antennarum flagello* nigro, nec livido; *colore* corporis diverso; *tibiis* nigris, nec testaceis, statura denique majore.

SECTIO II.

Apicales.

Antennis apice albis.

19. Encyrtus *ornatus.*

E. ferrugineus, capite thoraceque postice nigro-aeneis, thorace antice cyaneo; antennis nigris, apice albis; alis subhyalinis, fascia media lituraque apicis fuscis. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* nigrae; *scapo* dimidio flagello paulo breviori, subaequali; *flagello* fere filiformi, apice parum crassiori, articulis cylindricis, terminali elongato-conico, albo. *Caput* latitudine thoracis, nigrum, ore rufo. *Thoracis* dorsum medium cum *prothorace* laevia, laete cyanea, nitida. *Scutellum* ovatum, apice rotundatum, glabrum, et *metathorax* nigro-aenea, ita tamen, ut spatium inter alas, partem cyaneam ab aenea dirimens, fasciae ad instar laete rufae relinquatur. *Pleurae* et *pectus* rufo-ferruginea, laevia, nitida. *Abdomen* vix thoracis longitudine, ovatum, obtusiusculum, planum, obscure rufo-ferrugineum, laeve, nitidum. *Pedes* toti testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* anticae obscure hyalinae, fascia antica obsoleta lituraque apicis obliqua fuscis.

Feminam unam cepi die 30. Septembris a. 1808 sub foliis quercus aridis humi jacentibus, prope *Sickershausen*. De *mare* nihil constat.

✝ 20. Encyrtus *apicalis* Dalm.

E. ferrugineus, dorso abdomineque fuscis; antennis fuscis, apice albis; alis hyalinis, macula obsoleta fusca sub stigmate. *Fem.*

Synon. *Encyrtus apicalis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 153. *n.* 4. *Pterom. Suec. p.* 29. *n.* 4.

Statura et facies omnino *Encyrti lunati*, sed minimis ejus exemplis adhuc fere dimidio minor (paulo ultra ⅓ lin.?) adeoque fere minimus generis.

Antennarum scapus fusco-ferrugineus; *flagellum* capite paulo longius, articulis primo ad sextum *pedicello*que fuscis, apicalibus albis, compressis. *Caput* latitudine thoracis, ferrugineum, vertice laeve. *Thorax* subtus ferrugineus, supra fuscus, parum aeneo-micans. *Scutellum* concolor. *Abdomen* obscure fuscum. *Pedes* pallide flavescentes toti, *tibiis* posticis paulo infuscatis. *Alae* hyalinae, macula fusca obsoleta sub stigmate, lunulae albae vix rudimento.

Habitat in *Smolandia*, a cl. *Boheman Dalmano* communicatus, uno solo exemplo *femineo*. *Mas* non innotuit.

Adnot. Ab *Encyrto lunato* differt *exilitate*, *antennis*que brevioribus, apice toto albis. Ab *Encyrto ornato* corpore etiam *minore*, *antennis* brevioribus fuscis nec nigris, apice latius albis, *thoracis* colore fasciaeque ferrugineae defectu.

Observ. Anus in nostro specimine subtus oviductu debili albo, longitudine capitis. (Dalm. l. c.)

✝ 21. Encyrtus *flaminius* Dalm.

E. niger, fronte aenea, antennis acuminatis apice tarsisque albis; alis in medio infuscatis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus flaminius Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 340. *n.* 28. *Pterom. Suec. p.* 49. *n.* 28.

Species optime distincta, magnitudine *Encyrti aeruginosi* (long. circiter ½ lin.), sed statura aliena.

Antennae sub oculis versus os insertae; *scapus* niger, linearis, vertice humilior; *flagellum* scapo vix duplo longius, non pubescens, a primo ad sextum articulum lineari, nigro-fuscum, articulis brevibus, apice valde acuminato, niveo, nonnihil obliquo. *Caput* mediocre, thorace angustius, rotundatum, antice valde convexum, ut fere hemisphaericum, aureo-aeneum, nitidum; frons valde

angustata, oculo bene armato temere punctulata, ad antennarum insertionem parum impressa. *Os* obscurum. *Oculi* magni, capitis latera superiora fere efficientes. *Thorax* niger, nitidus, laevis, impunctatus, vix aeneo nitens, convexus, *pectore* et *metathorace* concoloribus. *Scutellum* semiovatum, convexum, atrum, imberbe. *Abdomen* breve, obtusum, nigrum, nitidum. *Pedes* longiusculi, sublineares, nigri, nitidi, geniculis vix pallidioribus; *tarsi* anticorum fusci, *posteriorum* una cum spina apicali tibiarum medii paris nivei; *ungues* fusci. *Alae* hyalinae quidem, sed albae, in medio umbra magna fusca notatae, quae et costam et marginem attingit; nervulus costalis communis abbreviatus et ramulus stigmaticus obliquus crassiusculus fusci.

In *Vestrogothia* ad *Sparresäter* lectus a cl. *Schœnherr*, in monte *Kinnekulle* a cl. *Boheman*. (Dalm. l. c.) *Femina* latet.

Observ. Cum *Encyrto apicali* haec species praeter antennarum apicem album nullam habet similitudinem.

SECTIO III.

Exannulati.

Antennis nec fascia neque apice discolore distinctis.

Divisio I.

Alati.

Utroque sexu alis praedito.

A. *Scutellum fasciculo pilorum terminatum.*

Antennarum *flagellum* compressum, apice latius et evidenter truncatum. *Caput* punctatum. *Thorax laevigatus.*

22. Encyrtus *scutellaris* Dalm.

E. niger, scutello macula flava, apice nigro-piloso; antennarum scapo pedibusque rufo-testaceis; alis fusco-maculatis. *Mas. Fem.*

Synon *Encyrtus scutellaris Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 150. *n.* 1. *tab.* 8. *fig.* 57 *et* 58. (*antennae feminae et maris*) *et fig.* 62, 63, 64. *II. p.* 37. *Pterom. Suec. p.* 26. *n.* 1. *tab.* 2. *fig. ut supra et p.* 79.

Encyrtus infidus Latr. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 31. *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 149.

Ichneumon infidus Rossi *Faun. Etr. App. p.* 91.

Chrysis infida Rossi *Faun. Etr. ed. Ill. II. p.* 128. *n.* 855.

Pteromalus scutellatus Swed. *in Act. Holm. a.* 1795. *IV. p.* 218. *n.* 7.

Inter maximos hujus generis, long. lin. 1⅔—2. *Antennae* paulo supra os insertae, distinctius undecimarticulatae; *scapus* cylindricus, testaceus; *pedicellus* angustus, obconicus, niger; *flagellum* nigrum, pubescens, valde compressum, apicem versus incrassatum, articulis ad speciem non nisi octo brevibus, octavo truncato, concavo nonum recipiente et occultante. *Caput* magnum, nigrum, profunde punctatum, postice emarginatum et valde excavatum; frons utrinque foveola arcuata, antennarum scapum recipiente; hypostoma concolor, vel coloratum. *Os* ferrugineum. *Oculi* subovati, vix prominuli, virentes, post vitam nigro-brunnei. *Ocelli* tres in vertice nigri, nitidi, difficilius discernendi. *Thorax* niger, subtus glaberrimus nitidus, supra laevis, lamina utrinque ante scutellum crassa, pilosa. *Scutellum* valde elevatum, convexum, atrum, opacum, basi macula magna rotundata, rariusve fasciola, laete flava; apex niger, pilis atris rigidis barbatus. *Metathorax* niger, glaberrimus, nitidus, obtusus. *Abdomen* depressum, nigrum, nitidum. *Pedes* validi, rufo-testacei; *intermedii* elongati, tibiis apicis angulo interiore spina valida armatis; *tibiae posticae* compressae, plus minus infuscatae, pubescentes; *ungues* fusci. *Alae* basi hyalinae, macula parva fusca, pilis nigris rigidis vestita, pone costam communem fuscae, lunula parva subcostali lineaque longitudinali media albis; stigmatis regio maxime infuscata.

Mas femina multo minor, differt: *antennis* linearibus, pubescentibus vel subpilosis, articulis distinctioribus; *scutelli* macula pallidiore, angustiore, magis transversali; *alis* minus infuscatis, subhyalinis.

Varietates (feminae).

α. *Capite pectore*que nigris, immaculatis.

β. *Capite pectore*que nigris; *antennarum scapo* fusco-testaceo; *scutello* fasciola transversali flava; *pedibus* fuscis, geniculis testaceis.

γ. *Capite* macula magna frontali lutea ad insertionem antennarum; *pectore* nigro.

δ. *Macula frontali pectore*que rufo-luteis.
Synon Var. γ et δ. Ichneumon infidus Rossi l. c.

Habitat in *Coccis*, praesertim Coryli Avellanae, etiam in *Coccis Aceris* platanoidis *Sueciae* (*Dalman Swederus*).

In plantis hesperidum *Italiae*, parieti innixis, media aestate ferventeque sole *Rossius* legit. In *Germania* mihi non occurrebat. *Mas* femina multo rarior.

Var. *β.*, ad *Sparresäter Vestrogothiae* a cl. *Schœnherr* lecta, ad *Encyrtum obscurum* n. 23 accedere videtur.

✝ 23. Encyrtus *obscurus* Dalm.

E. niger, obscurus, scutello apice nigro-piloso; tibiis anticis geniculisque pallidis; alis macula costali fusca. *Mas.*
Synon. *Encyrtus obscurus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 164. *n.* 17. *Pterom. Suec. p.* 40. *n.* 17.

Magnitudo et statura fere *Encyrtus scutellaris*. *Antennae* totae nigrae, vel nigro-fuscae, articulis valde distinctis (in nostro specimine mutilae). *Caput* mediocre, rude punctatum, ad antennarum basin oblique foveolatum; *oculis* magnis, pallidis. *Thorax* totus niger, laevis, nigro-pubescens, dorso elevato convexo. *Scutellum* nigrum, immaculatum, valde elevatum, convexum, manifestius pilosum. *Abdomen* breve, nigrum, nitidum. *Pedes* fusco-picei, *tibiis* praesertim anticis, *tarsis*que pallidioribus subtestaceis. *Alae* albae, intra punctum costale et ramum stigmaticum macula fusca notatae.

Marem unum in *Suecia* captum, e Museo *Gyllenhaliano*, *Dalmanus* l. c. descripsit.

✝ 24. Encyrtus *hirticornis* Dalm.

E. niger, scutello apice nigro piloso; *antennarum* scapo pedibusque testaceis; alis hyalino-albidis. *Mas.*
Synon. *Encyrtus hirticornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 162. *n.* 14. *Pterom. Suec. p.* 38. *n.* 14.

Magnitudine *Encyrti lunati* (long. lin. ⅔). *Antennarum scapus* testaceus, nudus; *flagelli* articulis sat distinctis, nigris, pilis fuscis hirtis, terminali subnudo truncato. *Caput* nigrum, punctulatum; vertice lato. *Os* testaceum. *Oculi* mediocres, subalbidi. *Thorax* niger, ante scutellum utrinque lamina albo-ciliata. *Scutellum* valde elevatum, convexum, nigrum, immaculatum, in dorso pilis nigris,

ante apicem fasciculum rectum fere formantibus, vestitum. *Abdomen* parvum, depressum, nigrum, nitidum. *Pedes* testacei, femoribus tibiisque posterioribus fusco-annulatis; posticis compressis. *Alae* hyalino-albidae, immaculatae, puncto ramuloque costali fuscis.

In *Vestrogothia* habitat (*Dalman* e Museo *Gyllenhaliano*). *Femina* non cognita.

✝ 25. Encyrtus *Swederi* Dalm.

E. rufo-testaceus, scutelli apice nigro-piloso; alis hyalino-fuscoque variis. *Fem.*

? *Mas* macula thoracis dorsali, metathorace abdomineque toto nigris, tibiis posticis infuscatis.

Synon. *Encyrtus Swederi Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 28. *n.* 3. *II. p.* 370. *Pterom. Suec. p.* 28 *et* 79.

Medius, magnitudine tamen varians, *Encyrto lunato* saepius duplo major, statura *Encyrti scutellaris* omnino, (long. lin. $1^{2}/_{3}$). *Antennarum scapus* longior, tenuis, testaceus; *pedicellus parvus*, obconicus, testaceus; *flagellum* distinctius novemarticulatum, articulis brevibus, transversis, nigro-fuscis, pubescentibus, clavam valde compressam dilatatam apice obtusam constituentibus. *Caput* magnum, thorace latius, admodum convexum, rufo-testaceum, valde punctatum, postice marginatum et profundius concavum; frons utrinque foveola obliqua, antennarum scapum excipiente. *Oculi* remoti, nigro-fusci. Ocelli nigri, remoti. *Thorax* rufo-testaceus, laevis, tenuissime pubescens, macula utrinque ante scutellum nigra, certo situ albido-sericea. *Scutellum* magnum, subcordatum, valde elevatum, convexum, rufum, pube tenui sericea vestitum, dorso apicis fasciculo e pilis rigidis nigris suberectis munito. *Metathorax* basi inaequalis, niger, postice rufescens. *Abdomen* breve, depressum, rufo-piceum, dorso obscurius. *Pedes* robusti, testacei; *tibiis mediis* apice spina valida flava armatis; *posticis* crassioribus, compressis, nigro-fuscis, pubescentibus. *Alae* albo-fuscoque variae, iis *Encyrti scutellaris* omnino similes.

Mas (?) differt corpore *minore*, toto obscuriore et nigro maculato. *Antennarum flagellum* nigrum, magis elongatum, apice obtusum, nec vero truncatum. *Genae* nigricantes. *Thorax* medio dorso et *metathorax* nigri. *Pectus* luteum, immaculatum. *Abdomen* totum nigrum. Reliqua ut in femina.

Ha-

Habitat in *Suecia meridionali* passim, minus infrequens. (*Dalman* l. c.) *Marem*, qui *Encyrtus Swederi* Var. *β.* Dalm. l. c. p. 370 (Pterom. Suec. p. 79), die 1. Augusti in *Scania* legit cl. *Zetterstedt.*

B. *Scutellum nudum (nec pilis terminatum).*

a. Flagellum apice magis vel minus clavatum, vel totum ratione scapi crassum et validum.

† 26. Encyrtus *clavicornis* Dalm.

E. conferte punctatus, fronte convexa, viridis, nitidus, scapo pedibusque testaceis; antennis apice dilatato, oblique truncato; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus clavicornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 161. *n.* 13. *Pterom. Suec. p.* 37. *n.* 13.

Encyrto lunato minor (long. vix ²/₃ lin.). *Antennae* supra os insertae; *scapus* tenuis, testaceus, longitudine fere frontis; *flagellum* nigrum, sensim incrassatum, compressum, articulo ultimo maximo, apice dilatato, oblique truncato. *Caput* magnum, thorace fere latius, viride, nitidum, undique fortiter et conferte punctatum; vertice lato, saepe subaurato. *Oculi* fusci, remoti. *Thorax* brevis, viridis, nitens, conferte et rude punctatus; lamina parva utrinque ante scutellum laevis. *Scutellum* magnum, subcordatum, valde convexum, viride, nitidum, punctatum, imberbe. *Abdomen* aeneo-nitidum. *Pedes* saturate testacei; *femorum* basi, *tibiis posticis* et *tarsorum* apicibus infuscatis. *Alae* hyalinae, omnino immaculatae.

Varietates:

β. Paulo major, *pedibus* testaceis, omnino concoloribus. *Mas.*

γ. *Antennis pedibus*que totis testaceis, *tibiis posticis* paulo saturatioribus. Magnitudo ut in Var. *α.* *Mas.*

Habitat cum binis varietatibus in *Vestrogothia*, rarius (*Dalman* l. c.). *Femina* dubia est.

† 27. Encyrtus *paradoxus* Dalm.

E. conferte punctatus, fronte convexa, obscure viridis, nitidus, antennis pedibusque testaceis, flagelli articulis mediis brevissimis coarctatis, ultimo longissimo lineari truncato; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus paradoxus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 163. *n.* 16. *tab.* 8. *fig.* 59 (*antenna*). *Pterom. Suec. p.* 39. *n.* 16. *tab.* 2. *fig.* 59.

Parvus, statura fere *Encyrti clavicornis* (½ — ⅓ lin.). *Antennae* valde fractae, extensae fere longitudine corporis, forma singulari: *scapus* longus, cylindricus, fronte paulo altior, antice temere pilosus; *pedicellus* satis longus, obconicus, angustus; *flagelli* articuli sex inferiores (verbis Dalmani quidem septem, sed invita icone) brevissimi, coarctati (pateraeformes) sensim paulo majores, septimus (seu potius tres extremi maxime contigui) vel ultimus, longissimus, antecedentibus flagelli simul sumtis longior, linearis, subcompressus, apice truncatus, oculo acute armato e tribus articulis constans, licet valde continuis, vix discernendis. *Antennae* totae pubescentes, testaceae, summo apice nigricante. *Caput* magnum, viride, profunde punctatum, foveola ad antennarum basin; *os* fusco-testaceum, *palpis* nigris. *Oculi* obscure brunnei. *Thorax* obscure viridis, obsolete rugoso-punctulatus. *Scutellum* maximum, semiovatum, viride, supra minus convexum, subimpressum, tenue marginatum, punctatum, apice imberbi. *Abdomen* brevissimum, subtrigonum, basi latissima metathoraci affixum, obscure aeneo-virescens, glabrum, nitidum. *Pedes* testacei, tenue pubescentes; *femoribus tibiisque* posterioribus subcrassioribus, subcompressis; tibiarum posticarum tarsorumque summi apices fuscescentes. *Alae* hyalinae, tenue pubescentes, nervulo ordinario testaceo.

Habitat in *Vestrogothia* rarissime, in graminosis excipulo captus, mense Augusto (*Dalman* l. c.). *Femina* non nota.

Adnot. Sin mihi de specie, a me non visa, judicium ferre liceret, *Gonatoceroti* generi nostro, n. XVII, propius accedere dicerem. Differt tamen ab isto genere: *antennis* maris non quatuordecimarticulatis, sed duodecimarticulatis, *flagelli* articulis inferioribus brevissimis, nec elongatis, *pleuris scutatis ramulo*que alarum *stigmatico* praesente, quo *Gonatocerotes* carent. Dubito autem, an haec species potius sui generis existimanda sit.

28. Encyrtus *serratellus* Dalm.

E. conferte punctatus, fronte convexa, obscure viridis, nitidus; antennis longitudine fere corporis subserratis, articulo terminali truncato, tibiis anterioribus tarsisque testaceis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus serratellus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 347. *n.* 34. *Pterom. Suec. p.* 56. *n.* 34.

Affinis videtur *Encyrto clavicorni* coloribus et punctura; similis etiam *Encyrto paradoxo*, ejusque magnitudinis. (Dalm.)

Long. lin. ⅔—1. *Antennae* mediae fronti, paulo infra oculos insertae, basi approximatae, totae sordide testaceae: *scapus* verticem superans, subcylindricus, basi tamen attenuatus; *pedicellus* brevissime obconicus; *flagellum* scapo vix duplo longius, fusco-pilosum, articulis valde distinctis, latere anteriore magis prominentibus, primo cylindrico reliquis longiore, his aucta sensim sensimque latitudine, quoad longitudinem decrescentibus; duobus apicalibus magis contiguis nudiusculis, extremo brevissimo oblique truncato obscuriori. *Caput* latitudine thoracis, antice visum orbiculato-triangulare, viride nitidum, undique conferte et sat profunde punctatum; fronte convexiuscula, ad antennarum insertiones vix impressa, carinula vero inter illas sat distincta divisa, crasse denseque cicatricosa. *Mandibulae* et *palpi* nigro-picei; *palpi maxillares* quadriarticulati, articulo ultimo clavato. *Oculi* parvi, parum prominuli, obscuri, vix dimidium capitis latus occupantes. *Thorax* supra viridis, nitidus, oculo armato punctis confertis magnis, sed obsoletis et perparum profundis, impressus. *Scutellum* magnum, oblongo-trigonum, subcordatum, obtusum, convexum, colore et punctura thoracis, metathorace brevius. *Metathorax* latus, scutellum utrinque et postice supereminens, subrugulosus, nigro-aeneus, obscurus. *Pectus* et *pleurae* viridi-aenea, ad coeruleum vergentia. *Abdomen* longitudine capitis cum scutello, ovatum, obtusum, planum, nigro-aeneum. *Pedes* mediocres: *coxae* coerulescenti-nigrae; *femora* valida, piceo-testacea, basi nigro-fusca, postica clavato-compressa, apice testacea; *tibiae anteriores* piceo-testaceae, *posticae* fuscae, geniculis testaceis; *tarsi* omnes flavo-testacei; unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, nervo subcostali medium alae vix attingente; ramulo stigmatico oblique descendente, recto.

Habitat in monte *Kinnekulle*, a cl. *Boheman* lectus. (*Dalman* l. c.). Cepi *marem* prope *Sickershausen*. *Femina* non nota.

29. Encyrtus *strigosus*.

E. punctatus, fronte convexa, nigro-viridis, scaber, nigro-viridis, abdominis basi pedibusque anterioribus ferrugineis; antennarum flagello subaequali, apice compresso; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin $^{3}/_{4}$ — 1. *Antennae* longitudine capitis et thoracis, capiti antico medio insertae, nigrae; *scapus* longitudine vix tertiae partis flagelli; *pedicellus* brevis, obconicus; *flagellum* filiforme, aequale, articulis cylindricis, subaequalibus arcte contiguis, extremis tribus in unum fere conflatis, apice compressum. *Caput* thoracis latitudine, latius quam longius, obscure coerulescenti-viride, punctulatum et pilis brevissimis sparsis arcte adpressis albidis vestitum; frons convexa, ad antennarum originem parum retusa; *hypostoma* brevissimum, carinatum. *Mandibulae* piceae, reliquis oris partibus reconditis. *Oculi* prominuli, hemisphaerici. *Thorax* modice convexus, ovatus, obscure viridis, distinctius, quam caput, punctulatus et pilis scaber; *prothorace* angustissimo, arcuato; medio thorace magno, foveola scapulari subnulla. *Scutellum* cum thorace fere confluens, basi sulculo arcuato levissimo discretum, magnum, ovatum, obtusum, thoraci concolor. *Metathorax* super scutellum non prominens, ad ejus latera tantum conspicuus, truncatus, glaber, nitidus, nigro-aeneus. *Pectus* et *pleurae* aeneo-nigra, glabra. *Abdomen* vix thoracis longitudine eodemque angustius, ovatum, planum, laevissimum, glabrum, nigro-subcupreum; primo segmento obscure rufo. Venter carinatus, basi rufus. *Terebra* tenuissima, sub apice acuto hiante abdominis conspicienda. *Pedes* robusti; *anteriores* toti rufo-ferruginei; *postici* solito magis elongati, fusci, *trochanteribus*, *femoribus*que basi rufescentibus. *Alae* hyalinae; ramulo stigmatico paulo ultra mediam costam egrediente.

Feminam cepi die 20. Septembris a. 1812 in Quercu nemoris prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

Adnot. Ab omnibus hujus generis, quos equidem vidi, speciebus abdomine, ut in *Pteromalis* et *Eulophis* basi discolore differt.

30. Encyrtus *cyaneus* Dalm.

E. punctulatus, fronte convexa, cyaneus vel virens, antennarum flagello crasso cylindrico nigro, scapo, tibiis apice tarsisque luteis, alis fascia media apiceque fuscis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus cyaneus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 160. *n.* 12. *II. p.* 371. *Pterom. Suec. p.* 36. *n.* 12. *et p.* 80.

Long. lin. 1. *Antennae* paulo supra os insertae; *scapo* longitudine dimidii flagelli, tenui, luteo; *pedicello* obconico

fusco; *flagello* satis longo, subaequali, compressiusculo, fusco-nigro, pubescente; articulis octo anterioribus cylindricis subaequalibus contiguis, ultimo truncato compresso. *Caput* magnum, thorace fere latius, punctulatum, subpubescens, laete cyaneum; hypostomate ad antennarum originem leniter excavato; fronte convexa leniter devexa; vertice latiusculo, punctulato, punctis subseriatis. *Oculi* magni, in vertice magis approximati. *Thorax* cyaneus, magis in viridem colorem ludens, punctulatus, albido-subpubescens, lamina utrinque antescutellari atro-sericea. *Scutellum* semiovatum, elevatum, colore thoracis. *Abdomen* longitudine thoracis, late ovatum seu suborbiculatum, depressum, laeve, aeneo-micans; primo segmento viridi, nitidissimo. *Terebra* feminae parumper prominula. *Pedes* validiusculi; *coxis*, *trochanteribus femoribus*que aeneo-nigris, his extremo apice luteis; *tibiis* luteis, anticis basi parum obscurioribus, mediis ibidem fuscis, posticis potius fuscis apice luteis; ipsa basis tibiarum lutea in omnibus; *tarsis* totis luteis. *Alae* hyalinae, costa communi stigmatica media fusca, fascia media introrsum evanescente alteraque paulo distinctiore ipsius apicis fuscis cinereisve.

Feminam cepi die 12. Septembris a. 1812 in Tilia nemoris prope *Sickershausen*. In *Vestrogothia* rarius inveniri *Dalmanus* refert. *Mas* ignotus.

V a r i e t a s:

β. Paulo major, viridis, *capite* cyaneo, *alarum* fascia obsoleta. *Laminae pleurarum* nigrae. *Fem.*

In *Suecia* legit cl. *Dalman.*

† 31. Encyrtus *morio* Dalm.

E. laevis, fronte convexa, ater; antennarum flagello crasso subaequali, scapo pedibusque anticis testaceis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus morio Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 164. *n.* 18. *Pterom. Suec. p.* 40. *n.* 18.

Magnitudo *Encyrti scutellaris* (2⅔ — 2 lin.) sed statura paulo longiore, fere totus aterrimus, glaber, impunctatus. *Antennae* elongatae, supra medium frontis, altius inter oculos, et ab ore magis remote quam in reliquis insertae: *scapus* brevis, compressus, testaceus; *flagellum* valde elongatum, nigrum, articulis maxime discretis, compressis, subaequalibus. *Caput* vix latitudine thoracis, laeve, punctulis minutis obsoletis sparsis impressum, nigrum, im-

maculatum; frons valde convexa, ad antennarum insertionem impressa. *Mandibulae* obscure testaceae. *Oculi* minores, quam in congeneribus, remoti, obscuri. *Thorax* undique ater, laevissimus. *Scutellum* magnum, semiovale, elevatum, valde convexum, fere pulvinatum, atrum nigro-pubescens. *Metathorax* postice profunde truncatus, ater, nitidissimus. *Abdomen* conoideum, nigrum, nitidum; anus pubescens, setis rigidis tribus quatuorve armatus. *Pedes antici* flavo-testacei, *femoribus* ultra medium nigro-infuscatis; *medii* valde elongati (tibia enim longitudine thoracis), lineares, *femoribus* apice testaceis, *tarsorum* articulo primo albo; *postici* breviores, compressi, atri, articulo tarsorum basali longiore. *Alae* aqueae, omnino immaculatae, nervulo fusco.

Mas captus die 10. Julii in *Vestrogothia* (*Dalman* l. c.). *Femina* ignota.

✝ 32. Encyrtus *flaviceps* Dalm.

E. laevis, vertice angusto, flagello clavato, truncato; niger; capite, antennis pedibusque flavis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus flaviceps Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 348. *n.* 35. *Pterom. Suec. p.* 57. *n.* 35.

Encyrto scutellari paulo minor (long. lin. 1⅔). *Antennarum* scapus verticem non superans, gracilis, sublinearis, flavus; *pedicellus* sat magnus, concolor; *flagellum* capite nonnihil longius, clavatum, teres, pallide flavo-testaceum, nudum, articulis valde contiguis, apicali fusco, oblique sed evidenter truncato, ipso disco apicali pallido, subimpresso. *Caput* magnum, crassum, convexum, rotundatum, paulo longius quam latius, flavum, unicolor, omnino impunctatum, glabrum, haud nitens. *Os* concolor, *mandibulis* apice rufescentibus; frons ad antennarum basin parum impressa; vertex angustatus, pone ocellos macula nigra notatus, ocellis valde remotis in triangulum dispositis; puncta impressa versus oculorum marginem in hac specie non detegenda. *Oculi* mediocres, obliqui, ovati, haud dimidium capitis latus occupantes, in exsiccato obscuri. *Prothorax* niger, margine postico toto flavo, superne albo-nitente. *Thorax* supra niger, laevis, nitidus, margine postico flavo, tenui; alarum tegulis albidis, apice infuscatis. *Scutellum* semiovatum vel subcordatum, convexum, laeve, glabrum, nigrum, summo apice flavum. *Metathorax* latus, niger, nitidus, lateribus albo-sericeus. *Pec-*

tus antice flavum, laminis vero pleuralibus nigris, politis. *Abdomen* parvum, nigrum, thorace multo brevius. *Pedes* flavi; *coxis* concoloribus; *tibiis* posticis tarsisque apice infuscatis. *Alae* hyalinae, immaculatae, nervo subcostali ramuloque stigmatico flavo-fuscis, hoc longe ante medium alae oblique descendente, sat longo, simplici.

Mas ad *Lärketorp Ostrogothiae* die 31. Augusti in foliis Quercus a cl. *Zetterstedt* lectus est (*Dalman* l. c.). *Femina* nondum innotuit.

† 33. Encyrtus *vinulus* Dalm.

E. laevis, vertice angusto, flagello subincrassato oblique truncato, niger; thorace maculis duabus flavis; pedibus piceis; alis sub stigmate nigro-obumbratis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus vinulus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 349. *n.* 136. *Pterom. Suec. p.* 58. *n.* 36.

Magnitudo *Encyrti Swederi* (lin. 1½), statura omnino *Encyrti flavicipitis*, quorum etiam convenit prothoracis, thoracis et metathoracis marginibus albo-nitentibus, sed *antennae* in hac specie magis acuminatae, et *color* omnino diversus.

Antennarum scapus verticem vix superans, niger, gracilis, sublinearis, vel apice parum crassior; *flagellum* capite parum longius, teres, nigrum, glabrum, extrorsum modice incrassatum, articulis brevibus contiguis, apicali valde oblique truncato, vel quasi secundum diagonalem abscisso, unde acuminatus apparet. *Caput* crassum, convexum, latitudine manifesto longius, rotundatum, nigrum, opacum, impunctatum; frons ad antennarum basin vix impressa; vertex angustatus, interdum brunnescens; ocellis valde remotis. Os rufo-piceum. *Oculi* parvi, ovati, subobliqui, in mortuis obscuri. *Prothorax* niger, nitidus, margine albonitidulo. *Thorax* niger, nitidus, laevis, utrinque macula obliqua flava antealari; tegulae alarum albae, apice fuscae. *Scutellum* cordatum, convexum, laeve, nigrum, immaculatum. *Metathorax* latus, niger, ad latera albo-sericeus. *Pectus* nigrum, nitidum; *laminae pleurales* magnae, concolores, politae, convexiusculae. *Abdomen* parvum, thorace multo brevius, obtusum, nigrum. *Pedes* nigri, *femoribus* anterioribus geniculisque piceis; *tarsis* intermediis crassioribus. *Alae* hyalinae, in medio sub stigmate late nigro-obumbratae, fere ad angulum posticum usque; nervi nigri, ramulo stigmatico determinato obliquo crassiusculo; ante ejus basin punctum fusco-pubescens.

Mas mense Julio a cl. *Zetterstedt* in *Scania* lectus est (*Dalman* l. c.). *Femina* latet.

34. Encyrtus *truncatellus* Dalm.

E. laevis, vertice angusto, antennarum clava ovata, oblique truncata, obscure viridi-aeneus; pedum geniculis anguste tarsisque basi pallidis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus truncatellus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 168. *n.* 23. *Pterom. Suec. p.* 44. *n.* 23.

Long. lin. ½. *Antennae* nigrae; *scapus* tenuis, vertice longior; *pedicellus* maximus, cylindricus; *flagelli* scapo duplo longioris pilosuli articuli sex anteriores minimi, subtransversi, arcte contigui, extremi tres in clavam magnam, quatuor antecedentium articulorum longitudine, ovalem oblique truncatam ideoque acutam subcompressam confluentes (unde Dalmanus flagellum cum pedicello octoarticulatum descripsit). *Caput* mediocre, subtriangulare, obscure viridi-aeneum vel nigro-virens; fronte profunde excavata, carinula a clypeo inter antennas adscendente divisa, magis nitida. Oris regio contracta, ipso ore lutescente. *Oculi* mediocres, obscuri. *Thorax* supra viridi-aeneus vel cyaneus; sericeus, minus nitidus. *Scutellum* late ovatum, convexum, imberbe, magis viride. Corpus subtus obscure aeneum, laminis pleuralibus e nigro violaceis. *Abdomen* thorace brevius, orbiculato-ovatum, acutum, planum, nigroaeneum, vel cyaneo-micans. *Pedes* colore abdominis, nigroaenei seu cuprei, *tibiis* basi brevi spatio albidis, spina medii paris pallida; *tarsis* albidis, apice fuscis. *Alae* hyalinae, iridicolores, stigmate medio parvo ramuloque stigmatico fuscis.

Cepi *feminam* medio Augusto et ineunte Septembre locis arenosis apricis prope *Sickershausen.* In *Vestrogothia Dalmanus* invenit. *Mas* latet.

Adnot. *Encyrto chalconoto* valde affinem esse Dalmanus docet, differre autem paulo minore *statura*, *colore* multo obscuriore minusque nitido, *pedibus* fere omnino nigris, et *antennarum* articulis multo brevioribus, apicalibus vero crassioribus.

35. Encyrtus *chalconotus* Dalm.

E. laevis, vertice angusto, antennarum clava oblonga oblique acuminata, viridis, scutello cupreo; pedibus testaceis, nigro-annulatis; alis hyalinis. *Fem.*

SYNON. *Encyrtus chalconotus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 169. *n.* 24. *Pterom. Suec. p.* 45. *n.* 24.

Minutus longitudine *Encyrti lunati*, sed angustior. *Antennarum scapus* vertice altior, aeneus; *flagellum* capitis cum thorace vix longitudine, nigrum, articulis sat distinctis, parum pubescentibus, octavo et nono connatis apicem formantibus conicum obliquum, non incrassatum, potius subacuminatum. *Caput* thoracis medio angustius, viride, versus os aeneum, oculo bene armato undique confertissime sed subtilissime punctulatum, ad antennarum insertionem impressum, relicto tuberculo minuto inter antennas. *Palpi* albidi. *Oculi* mediocres, nigri. *Thorax* laete viridis; *metathorace* obscuriore, nitido. *Scutellum* semioblongum, convexum, glabrum, dorso cupreum, fulgidum, marginibus virescens. *Abdomen* subtriangulare, obscure viridi-aeneum. Corpus subtus obscurum, *laminis pleurarum* nigris. *Pedes*, forma vulgari spinisque ordinariis, testacei, *femoribus* medio, *tibiis tarsis*que posticis nigro-fuscis. *Alae* hyalinae, immaculatae, stigmate ordinario fusco.

Habitat in *Smolandia*, a cl. *Boheman* lectus (*Dalman* l. c.). *Mas* ignotus.

36. ENCYRTUS *gravis*.

E. laevis, vertice angusto, antennarum clava ovata, oblique truncata; obscure viridi-aeneus abdomine cupreo; flagello fusco-testaceo, geniculis, tibiis anterioribus tarsisque testaceis, alis hyalinis. *Fem.*

SYNON. *Encyrtus veruginosus Var. β. Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 371. *Pterom. Suec. p.* 80.

Cleptes Coccorum Fabr. Syst. Piez. p. 156. *n.* 9.

Ichneumon Coccorum L. Syst. Nat. II. p. 939. *n.* 69. *Faun. Suec. n.* 1640. *Villers Ent. Lin. III. p.* 207. *n.* 237. *Fabr. Syst. Ent. p.* 116. *Ent. Syst. II. p.* 187. *n.* 225. *Schrank En. n.* 760.

Long. lin. $^3/_4$. *Antennae* hypostomati infero insertae, longiusculae; *scapus* fusiformis, tenuis, nigro-aeneus; *pedicellus* obconicus, fuscus; *flagelli* scapo duplo longioris anterioribus sex articulis longitudine aliquantum decrescente crassitie modice increscentibus, extremis tribus in clavam magnam ovatam oblique acutam compressam triannulatam fuscam confluentibus. *Caput* mediocre, laeve, viridi-aeneum; fronte cum hypostomate excavatis, carinula media notatis,

cyanescentibus, magis nitentibus; vertice angusto. *Oculi* mediocres, subovati. Os productum, mandibulis piceis. *Prothorax* brevis, lineari-reflexus, antice a capite receptus. *Thorax* medius antice rotundatus, planiusculus, subtilissime punctatus, cum prothorace obscure viridi-aeneus. *Scutellum* magnum, ovoto-rotundatum, gibbum, imberbe, thorace paulo obscurius. *Metathorax* sub scutello truncatus, nigro-subcupreus. *Pectus* et *laminae pleurales* obscure nigro-aenea. *Abdomen* thorace brevius sed latius, late triangulum, acutum, depressum, basi retusum, cyaneo-cupreum. *Terebra* distincta, parumper prominula. *Pedes* fusco-aenei; *trochanteres* et *femorum* apices testacei; *tibiae* anteriores testaceae, omnes vel mediae tantum annulo versus basin fusco rotatae; posticae fuscae, basi apiceque testaceae; *tarsi* testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, stigmate paulo ante medium angusto brevique et ramulo stigmatico fuscis.

Habitat in *ovis Lepidopterorum*. Vidi in Collectione cl. *Geyer*, *Carlsruhensis*, quatuor hujus speciei exempla feminea, cum innumeris *Teleadis phalaenarum* n. 1. individuis ex ovis ovatis, folio Populi nigrae adherentibus, eodem tempore exclusa. Forte etiam in Coccis sobolem deponit.

Cepi *feminam* unam die 14. Septembris a. 1811 in Evonymo europaeo ad ripas rivuli prope *Sickershausen*. *Marem* non vidi.

Adnot. Ab *Encyrto truncatello* differt: *statura* majore; *antennis* in medio fusco testaceis; *pedum* colore diverso; ab *Encyrto aeruginoso antennarum* colore obscuriore, *abdomine* violaceo-cupreo; *pedibus* posticis obscuris.

✝ 37. Encyrtus *aeruginosus* Dalm.

E. laevis, vertice angusto, flagello subincrassato, supra viridis, subtus nigro aeneus, nitidus, fronte violacea; pedibus testaceis, femoribus tibiisque nigro-annulatis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus aeruginosus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 170. *n.* 25. *Pterom. Suec. p.* 46. *n.* 25.

De Geer Ins. ed. Germ. I. 4. *p.* 45. *tab.* 35. *fig.* 14 — 17? (*Conf. De Geer. Ins. II. p.* 190.)

Nimis affinis *Encyrto chalconoto*, sed paulo minor, et differt *fronte* violacea nitida, *vertice* angustiore, *oculis* majoribus.

Antennae quam in illo breviores; *scapo* aeneo; *flagello* fusco, articulis non ut in *Encyrto chalconoto* discretis, sed contiguis, magis aequalibus et minime pubescentibus, apice non obliquo, sed recto atque obtuso. *Alarum* stigma quoque in hac specie magis ultra medium, in *Encyrto chalconoto* vero ante mediam alam situm videtur. *Caput* viridi-aeneum, vix punctulatum; *frons* impressa, purpureo-violacea, nitida, tuberculo parvo viridi inter antennas. *Thorax* viridis, nitidus. *Scutellum* cupreo-aeneum, nitidum (in nostris acu laceratum). *Metathorax* viridis. *Abdomen* breve, viridi-aeneum, nitidissimum. *Laminae pleurarum* nigrae, nitidae, certo situ violaceo-submicantes. *Pedes* flavo-testacei; *femoribus* fere ad apicem usque nigris; *tibiis* annulo prope basin nigro; *tarsis* concoloribus, *unguibus* nigris. *Alae* albo-hyalinae, immaculatae.

In *Vestrogothia* cl. *Dalman* legit. *Mas* ignotus. In Coccis Pruni gregarium legit Geerus.

Adnot. *Ichneumon Coccorum* Latr. et Spin., ad *Pteromalum* quendam referendus, longe diversissimus esse videtur a specie Geeriana, Coccos impraegnante; quae laete et saturate viridis describitur, antennisque parum incrassatis delineatur a viro illo praeclaro; *pedes flavi* in secundo volumine operis Geeriani sub *Ichneumone puparum* denique adferuntur. Sed *Ichneumon Coccorum* Lin. „*nigro-aeneus est, abdomine coerulescente, pedibus lividis*,“ quem quidem nemo unquam certa fide explicabit, neque Fabricium quicquam fecisse autumo, praeterquam quod verba magistri repeteret. Ego cum verba Linnei ad amussim in meum *Encyrtum gravem* conveniant, neque quidquam repugnaret, omnia illa synonyma in isto loco reposui.

⁎ 38. Encyrtus *tiliaris* Dalm.

E. laevis, vertice lato, fronte excavata, flagello subaequali, viridis, sericeo-micans, pedibus flavis, femoribus tibiisque posticis aeneis, alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus tiliaris Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 171. *n.* 27. *Pterom. Suec. p.* 47. *n.* 27.

Excepto *Encyrto apicali* minimus hujus generis, mihi notus (lin. ⅓ paulo longior), sed totus viride splendens et facile distinguendus. *Antennae* ad os insertae; *scapus* linearis, viridis, nitidus, altitudine verticis; *flagellum* capite haud duplo longius, fuscum vel fusco-testaceum, parum pubescens, articulis brevibus, versus apicem sensim accrescentibus, apicali vix acuminato. *Caput* pro genere fere par-

vum, sed vertex latus, convexus, laete viridi-sericeus, nitidulus, punctulis nonnullis vagis impressus; frons medio impressa, in fundo violacea, versus os iterum viridis, tuberculo minuto intra antennarum basin. *Os* luteum. *Oculi* magni, in mortuo pallidi. *Thorax* viridi-aureus; *prothorace* et *scutello* concoloribus; subtus obscurius viridis, *laminis pleurarum* magnis, concoloribus, politis, nitidis. *Abdomen* viride, nitidum. *Pedes* longiusculi et sat robusti, flavo-testacei, *coxis* concoloribus; *femora* antica basi infuscata; *pedes postici* femoribus tibiisque fere totis viridi-aeneis nitidis, geniculis apicibusque tantum flavo-testaceis. *Alae* hyalinae, immaculatae, nervo ramuloque stigmatico fuscis.

Femina in Tilia, montis *Kinnekulle* a cl. *Gyllenhal* lecta est (*Dalman* l. c.). *Mas* non cognitus.

✝ 39. Encyrtus *clavellatus* Dalm.

E. laevis, vertice latiusculo, fronte impressa; flagello subclavato oreque obscure testaceis, pedibus nigro-fuscis, geniculis tarsisque flavidis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus clavellatus Dalm. in Act. Holm. II. p.* 355. *n.* 41. *Pterom. Suec. p.* 64. *n.* 41.

Encyrto lunato minor (long. vix ⅔ lin.). *Antennarum scapus* vertice parum humilior, obscurus; *pedicellus* sat magnus, obconicus, flagello concolor; *flagellum* scapo vix triplo longius, obscure testaceum, subclavatum, apice non truncato, articulis brevibus valde contiguis difficile discernendis. *Caput* obscure viride, nitidum, glabrum; vertex sat latus, subtiliter punctulatus; frons ad antennarum basin oblique et profunde impressa, tuberculo hypostomatis glabro. *Os* totum flavo-testaceum. *Thorax* saturate viridis, laevis, nitidulus. *Scutellum* semiovatum, thoraci concolor. *Metathorax* obscurus. *Pectus* totum nigrum, nitidum (minime aeneo-nitens), laevigatum. *Abdomen* crassiusculum, subtriquetrum, nigrum. *Terebra* pallida, non exserta. *Pedes* breviusculi, tenuissime pubescentes; *coxis* nigris; *femoribus tibiis*que omnibus nigro-fuscis, geniculis testaceis; *tarsis* pallide testaceis, *unguibus* nigris. *Alae* albido-hyalinae, stigmate fusco-testaceo crassiusculo, ramulo stigmatico obliquo apice incrassato truncatulo.

Habitat in *Vestrogothia*, a cl. *Boheman* lectus. (*Dalman* l. c.). *Mas* nondum cognitus est.

40. Encyrtus *fuscicollis* Dalm.

E. laevis, vertice latiusculo, niger, obscurus; fronte impressa, nigro-violacea, vertice virescente; flagello sub-

incrassato, geniculis tarsisque pallide testaceis; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

SYNON. *Encyrtus fuscicollis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 359. *n.* 45. *Pterom. Suec. p.* 68. *n.* 45.

Magnitudo *Encyrti punctipedis* (long. ⅓—½ lin. *Antennarum scapus* brevis, compressus, margine antico dilatatus, niger; *flagellum* (in femina) capite vix dimidio, scapo vero triplo longius, pallide testaceum, tenuiter pubescens; teres, apice paulo crassius, articulis subaequalibus, terminali obtuso *pedicello*que fuscis. *Caput* thorace angustius, antice visum altius quam latius, supra valde convexum; vertex laevis, obscure virescens, haud nitidus; frons impressa, obscure violacea, nitida; *ore* genisque concoloribus; *mandibulis* testaceis. *Oculi* subrotundo-ovati. *Thorax* convexus, obscurus, subholosericeus, certo situ parum aeneonitens. (Scutellum acu laceratum.) *Pectus* obscurum. *Laminae pleurarum* nigrae, nitidae. *Abdomen* breve, obtusum, nigrum. *Pedes anteriores* pallide testacei, *femoribus* in medio nigris, *tibiis* annulo medio fusco indeterminato; *femora postica* nigra, nitida, *tibiae* nigro-fuscae, opacae, apice testaceae; *tarsi* omnes pallide testacei. *Alae* omnino hyalinae, immaculatae, stigmate minutissimo punctiformi ramuloque stigmatico perbrevi fuscis.

Mas feminae simillimus, differt: *antennarum flagello* capite duplo longiore, lineari, compresso, pubescente, pallide testaceo, articulis aequalibus diametro paulo longioribus haud discretis; *vertice* minus quam in femina convexo, obscurius virescenti-holosericeo, *thorace* magis obscuro. Frons cyaneo-violacea. Reliqua ut in femina.

In Scania legit cl. *Zetterstedt marem* et *feminam* mense Augusti (Dalman l. c.).

Adnot. Haec species magnitudine, statura et colore opaco valde similis *Encyrto atricolli* n. 41, sed illius antennae multo tenuiores.

✝ 41. ENCYRTUS *atricollis* Dalm.

E. laevis, vertice convexo, ater, opacus; fronte impressa nigro-violacea, flagello subincrassato, fusco-testaceo; pedibus luteis, annulo tibiarum nigro; alis hyalinis. *Fem.*

SYNON. *Encyrtus atricollis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 358. *n.* 44. *Pterom. Suec. p.* 65. *n.* 44.

Inter minimos, *Encyrti punctipedis* longitudine (lin. ½), sed brevis et curtus. *Antennarum scapus* verticem haud

aequans, linearis, tenuis, nigro-fuscus; *flagellum* capite haud duplo longius, tenue, sublineare, extrorsum paulo crassius, glabrum, obscure testaceum, articulis valde contiguis. *Caput* pro genere fere parvum, thorace multo angustius, antice visum latitudine manifeste altius, supra valde convexum; frons impressa, nigro-violacea; vertex laevius, holosericeo-cyanescens, impunctatus; genae violaceae, nitidae; *mandibulae* flavescentes. *Oculi* sat magni, rotundati. *Thorax* brevis, crassiusculus; *prothorace* sub capite fere occultato; supra atro-holosericeus, opacus, subtus undique niger, nitidus. *Scutellum* thoraci concolor videtur. *Abdomen* brevissimum, subtriangulare, nigrum, nitidum, ano acutiusculo. *Terebra* nigra, tenuis, ultra abdominis apicem nonnihil prominula. *Pedes* longiusculi, testaceo-albidi; *femora anteriora* in medio nigro-fusca opaca, *postica* nigra, nitida; *tibiae* omnes versus basin annulo tenui nigro; *tarsorum* nil nisi ungues fusci. *Alae* hyalinae, stigmate minutissimo punctiformi nervuloque stigmatico perbrevi fuscis.

Habitat in *Scania*. *Femina*, medio mense Augusto, a cl. *Zetterstedt* in quercu et Populo lecta est. (*Dalman* l. c.). *Mas* nondum innotuit.

42. Encyrtus *nobilis*.

E. laevis, vertice latiusculo, fronte impressa, ater, opacus; abdomine aureo; geniculis et tarsis testaceis; alis hyalinis. *Fem.*

Long. lin. $^1/_2$. *Antennae* graciles, nigrae; *scapo* satis longo; *flagello* extrorsum vix incrassato, articulis subcylindricis, contiguis, extremis paulo brevioribus, terminali oblongo acuto. *Caput* altius quam latius, laeve, atrum, opacum; frons profunde excavata carinulaque, a clypeo inter antennas adscendente divisa; vertex latiusculus; regio oris contracta et paululum prominula. *Oculi* mediocres, ovati. *Thorax* rotundatus, dorso subgibbo, laevi, atro, opaco, cum nitore subviolaceo. *Scutellum* magnum, ovatum, apice rotundatum, imberbe, aterrimum, opacum, veluti holosericeum. *Pectus* et *pleurae* nigra, nitidula. *Abdomen* longitudine thoracis, latum, ovatum, apice rotundatum, obtusum, dorso planum, aureum, nitidum. *Terebra* recondita. *Pedes* nigri, *genubus tarsis*que pallide testaceis; *tibiis* quoque cunctis apice, posticis latiori tractu, pallidis; *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, stigmate in media costa minuto lineari, ramuloque stigmatico perbrevi fuscis.

Feminam unam hujus speciei perinsignis cepi die 27. Septembris a. 1812 in nemore prope *Sickershausen*. *Marem* videre non contigit.

✝ 43. Encyrtus *brevicornis* Dalm.

E. laevis, vertice subangusto, flagello brevi clavato-incrassato, niger; tibiis mediis tarsisque testaceis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus brevicornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 162. *n.* 15. *Pterom. Suec. p.* 38. *n.* 15.

Minutus, brevis, obtusus, *antennarum* brevitate et forma optime distinctus. *Antennae* nigrae, concolores, sub frontis medio insertae; *scapus* perbrevis, compressus; *flagellum* fronte vix longius, incrassatum, clavatum, teres, vix pubescens, apice obtuso. *Caput* mediocre, nigrum, laeve; vertex subangustus, oculo etiam armato impunctatus. *Oculi* mediocres, obscuri. *Thorax* niger, laevis; *scutello pectore*que concoloribus. *Abdomen* nigrum, immaculatum, magis nitidum. *Pedes* graciles, nigro-picei, geniculis concoloribus non nisi *tarsis* omnibus *tibiis*que *intermediis* elongatis rufo-testaceis. *Alae* hyalinae, basi infuscatae, caeterum omnino immaculatae; stigmate (nervulo ordinario) brevi fusco; ramo stigmatico flavescente.

Femina in *Smolandia* capta a cl. *Boheman* (*Dalman* l. c.). *Mas* nondum inventus.

Adnot. Species 40 — 43 corpore brevi, curto et veluti obeso a reliquis discrepant.

44. Encyrtus *ambiguus.*

E. laevis, vertice latiusculo, antennis subaequalibus, flagello fusco; nigro-subaeneus, abdomine basi viridi; tibiis mediis totis, reliquis apice tarsisque testaceis; alis hyalinis. *Mas.*

Long. lin. ⅓. Similis *Encyrto punctipedi* habitu, sed abdomen ratione corporis majus. *Antennae* graciles, subfiliformes, fuscae; *scapus* brevis; *flagellum* subaequale, articulis breviusculis, extremo oblongo majori. *Caput* transverse hemisphaericum; vertice latiusculo, laevi; fronte angusta concava, ore prominulo, nigro-aeneum, laeve. *Oculi* magni, ovato-subrotundi, virescentes. *Thorax* dorso aequali, lato, convexiusculo, laevi, nigro-subaeneo. *Scutellum* magnum, semicirculare, atrum. *Pectus* et *pleurae* nigra, vix aeneo-micantia, nitida. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, latum, ovato-orbiculatum, apice rotundatum, planum, laeve, nigro-subaeneum, reliquo corpore obscurius; primo segmento viridi-aeneo, nitidissimo. *Coxae* colore corporis; *femora* nigra, apice testacea; *tibiae* testaceae, et mediae quidem immaculatae concolores, anticae vero

posticaeque versus basin fuscae; *tarsi* omnes testacei, *unguibus* paulo obscurioribus. *Alae* hyalinae, hirsutae, stigmate ante medium ramuloque stigmatico minutis, vix conspiciendis.

Exemplum unum, quod *masculini* generis esse videtur, die 4. Aprilis a. 1811 sub foliis humi jacentibus in sylvis prope *Sickershausen* cepi.

b. *Flagellum magis minusve elongatum, apice non incrassatum; articulis flagelli subaequalibus, plerumque paululum elongatis, pubescentibus, in plurimis fuscis vel testaceis.*

α. Scutello rotundato, ovato vel semicirculari.

45. Encyrtus *flagellaris* Dalm.

E. supra subtusque viridis, sericeus, nitidus, antennis longissimis, filiformibus, glabriusculis, fuscis, scapo viridi; pedibus flavis, posticis obsolete fusco-annulatis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus flagellaris Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 350. *n.* 37. *Pterom. Suec. p.* 59. *n.* 37.

Coloribus similis *Encyrtis aeruginoso*, *mitrato* et affinibus, sed etiam subtus viridis, et abunde distinctus *antennis* tenuissimis rectis et quam in *Encyrto longicorni* longioribus.

Statura *Encyrti chalconoti* sed *Encyrto aeruginoso* non major (long. lin. ⅔). *Antennae* juxta os insertae, longe infra oculos, basi sat approximatae; *scapus* longissimus, vertice enim duplo altior, tenuis, linearis, rectus, obscure viridis, nitidus, *radicula* flavescente; *flagellum* scapo plus duplo longius, i. e. longitudine capitis cum thorace, tenuissimum, lineare (filiforme), fuscum, vix pubescens, articulis subaequalibus, apice vix crassiore obtusiusculo. *Caput*, ratione generis habita, parvum, antice visum obtuse subtriangulare, paulo longius quam latius, viridi-nitidulum, oculo bene armato in fronte et vertice subtilissime et confertissime punctulatum, ad latera laeve, aureopurpureoque nitens; frons ad antennarum insertionem impressa, ut in affinibus, carinula supra os; intra oculos striga purpurea, ut in *Encyrto mitrato*, sed tenuior quam in illo; vertex aequalis, punctis nullis distinctioribus. *Mandibulae* et *palpi* flava. *Oculi* parvi, obscuri, vix prominuli. *Thorax* brevis, viridis, *prothorace* concolore, superficie ut jam in capite descripta. *Tegulae* alarum testaceae. (Scutellum acu mutilatum.) *Pectus* viride, nitidum; *laminae pleurarum* magnae, concolores. *Abdomen* breve, triangulare, ano

acu-

acuminato, supra aeneum, subtus viride, terebra carinatum. *Pedes* graciles, dilute testaceo-flavi; *coxae* anticae concolores, mediae fuscae, posticae aeneae; *femora* et *tibiae* posticae annulo medio fusco obsoleto; *tarsi* pallide flavescentes, *unguibus* nigris. *Alae* hyalinae; stigmate ante medium alae sito, brevissimo, punctiformi, fusco; ramulo stigmatico brevi, obliquo, flavido.

Feminam unam in *Smolandia* legit *Boheman* (*Dalman* l. c.). *Mas* ignotus.

✝ 46. Encyrtus *filicornis* Dalm.

E. viridis laevis, subtus obscurior, laminis pleurarum violaceis, hypostomate et prothorace aeneo-nitentibus; antennis glabriusculis nigris, longissimis et tenuissimis, pedibus anterioribus laete flavis, posticis basi aeneis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus filicornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 351. *n.* 38. *Pterom. Suec. p.* 60, 38.

Statura *Encyrti flagellaris* eique nimis similis, sed paulo minor et differre videtur: *colore* frontis, pectoris pedumque, et *antennis*, ni fallor, adhuc longioribus. *Antennae* nigrae, immaculatae, omnino filiformes, tenuissimae, teretiusculae; *scapus* capite longior, linearis, rectus; *flagellum* scapo non crassius, sed illo plus duplo longius (i. e. capite cum thorace longius), articulis valde contiguis, difficillime distinguendis, aequalibus, apicali obtuso. *Caput* thorace angustius, rotundatum, altius quam latius, valde convexum, saturate viride, minus nitidum, laeve; frons ad antennarum basin semicirculariter impressa; *os* pallidum; genae aeneo-violaceae; vertex vix angustatus, convexus, inter oculos nulla striga pictus, laevis, vel oculo bene armato subtilissime et obsolete punctulatus, punctis solitis seriatis nullis. *Oculi* parvi, rotundati, in exsiccato obscuri. *Thorax* brevis, viridis, nitidus; *prothorace* obscure aeneo; alarum *tegulis* magnis, albis. *Laminae pleurarum* violaceae, politae. *Scutellum* thoraci concolor (in nostro laceratum). *Abdomen* thoracis longitudine, triangulare, viridi-aeneum, subtus carinatum. *Terebra* nigra, nonnihil prominula. *Pedes anteriores* laete flavi, immaculati, coxis tarsisque concoloribus; *postici* viridi-aenei, geniculis apicibusque et *femorum* et *tibiarum* latius pallide flavis, *tarsis* apice infuscatis. *Alae* hyalinae, puncto costali longe ante medium alae ramulum emittente perbrevem obliquum simplicem.

Exemplum unum, feminei sexus, die 14. Julii in Insula *Fårön*, *Gottlandiae*, in Pinu legit cl. *Zetterstedt* (*Dalman* l. c.). *Mas* non notus.

† 47. Encyrtus *mitratus* Dalm.

E. supra viridis nitidus, subtus aeneo-niger, fronte impressa, fasciola inter oculos violacea; antennis mediocribus; flagello apice subincrassato filiformi glabro pedibusque anterioribus, posteriorum geniculis flavis; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus mitratus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 352. *n.* 39. *Pterom. Suec. p.* 61. *n.* 39.

Encyrto aeruginoso duplo major (long. lin. 1⅓). *Antennae* infra oculos insertae, nec clypeo approximatae; *scapus* altitudine verticis, tenuis, sublinearis, minime clavatus, viridi-aeneus, nitidus, summo apice tantum testaceo; *pedicellus* basi nigricans, apice flavescens, *flagellum* scapo plus duplo longius, tenue, extrorsum sensim sed modice incrassatum, sordide flavescens, nec pubescens, articulo apicali fusco obtuso subtruncato. *Caput* mediocre, thorace angustius, antice visum obtuse triangulare, undique viride, nitidissimum, fasciola frontali inter oculos violacea micante; hypostoma aureo-viride, nitidissimum, ad antennarum insertionem impressum, relicto callo parvo supra os; vertex parum angustatus, oculo armato subtilissime coriaceus, punctulis nonnullis distinctioribus subseriatis impressus; *os* nigro-aeneum. *Oculi* magni, prominuli, obscuri. *Thorax* supra viridis, nitidus, *prothorace* concolore, oculo bene armato subtiliter coriaceo-sericeus et punctulatus pilisque minutissimis albidis adspersus. *Scutellum* semioblongum, basi convexum, apice declive, aeneum, nitidum, superficie ut in thorace. *Metathorax* brevissimus, aeneus. *Thorax* subtus aeneo-niger, *coxis* virescentibus. *Abdomen* breve, triangulare, nitidissimum, obscure aeneum, basi viride, in medio dorso cupreo-micans. *Pedes anteriores* flavi, immaculati, non nisi *unguibus* nigris; *postici* nigri, viridi-nitentes, *femorum* et *tibiarum* apicibus saturate flavis, *tarsis* flavo-testaceis, articulo apicali toto atro. *Alae* hyalinae; stigmate minuto, punctiformi, ante medium alae sito; ramulo stigmatico obliquo, apice truncato, fusco.

Feminam ad *Roo Vestrogothiae* die 17. Augusti a. 1820 legit *Dalmanus*. *Mas* nondum cognitus.

Adnot. Affinis est *Encyrto aeruginoso* (n. 37), sed differt sequentibus. *Statura* major est. *Antennae* quam in *Encyrto aeruginoso* tenuiores, scapo simpliciori, flagelli articulis apicalibus paulo longiores minusque crassis. *Frons* in *Encyrto aeruginoso* tota violacea, in *Encyrto mitrato* viridis, relicta tantum fasciola angusta violacea inter oculos. *Pedes anteriores* in *Encyrto aeruginoso* semper obscuri, femoribus fere ad apicem usque nigro-aeneis, tibiisque annulo basali obscuro distincto; *Encyrti mitrati pedes anteriores* omnino immaculati, colore flavo clariore. *Alarum stigma* in *Encyrto aeruginoso* distinctum, latitudine saltem manifeste longius, ramulo stigmatico autem brevissimo; in *Encyrto mitrato stigma* perbreve, punctiforme, ramulus stigmaticus autem quam in illo paulo longior.

Ab *Encyrto chalconoto* (n. 35) differt: *antennarum* structura omnino aliena; *purctura* verticis; *colore pedum*, rel.

Ab *Encyrto ambiguo* (n. 44) recedit *magnitudine* multo excellente, colore diverso, *femoribus anterioribus* pallidis, alia ut taceam.

✝ 48. Encyrtus *fuscipennis* Dalm.

E. viridi-aeneus, pectore nigro, fronte cyaneo-viridi, concolore; antennis tenuibus nigris, flagello subfiliformi, glabro; pedibus nigro-fuscis, tarsis testaceis; alis fuliginosis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus fuscipennis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 354. *n.* 40. *Pterom. Suec. p.* 63. *n.* 40.

Magnitudine fere *Encyrti chalconoti* (n. 35) ⅔ lin. circiter, sed paulo brevior, fronte convexiore. *Encyrto mitrato* proximus, sed coloris multo obscurioris.

Antennarum scapus verticem aequans, tenuis, linearis, niger; *flagellum* capite vix dimidio longius, teres, apice parum crassius, obtusum, articulis valde contiguis, aegre distinguendis, diametro vix longioribus, glabris. *Caput* mediocre, thorace angustius, antice visum paululo altius quam latius, rotundatum, totum cyaneo-viride, nitidum; vertex angustus, utrinque serie punctorum impressorum, interdum aeneus; frons ad antennarum basin nonnihil impressa, impressione medium oculorum non superante; *mandibulae* testaceae. *Oculi mediocres*, rotundati, obscuri. *Thorax* viridi-aeneus, dorso interdum subcupreus, laevis, nitidus. *Scutellum* thoraci concolor, semiovatum. *Pectus* nigrum, nitidum, *laminae pleurarum* concolores. *Abdomen* thoracis

longitudine, crassum, subtriangulare, apice acuminatum, nigro-aeneum. *Pedes* omnes nigro-fusci, geniculis vix pallidioribus; *tarsi* obscure rufo-testacei. *Alae* totae plus minus fuliginosae, saepius nebula obscuriore ad stigma notatae et vestigio fasciae albae obsoleto; stigma nigro-fuscum; ramulus stigmaticus parvus brevissimus, ut in *Encyrto aeruginoso.*

Femina in *Vestrogothia* a cl. *Boheman* lecta est (*Dalman* l. c.). *Mas* non notus.

✝ 49. Encyrtus *serricornis* Dalm. *)

E. obscure viridis, nitens; antennis longitudine fere corporis, linearibus, pubescentibus, nigris, subserratis; ore prominulo scutelloque aeneis; geniculis testaceis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus serricornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 360. *n.* 46. *Pterom. Suec. p.* 69. *n.* 46.

Magnitudo, color et statura *Encyrti chalconoti;* paulo obscurior, sed *scapo* verticem haud superante, quare illius marem esse non opinor.

Antennarum scapus verticem aequans linearis, subcompressus, niger, nitidus; *pedicellus* minimus; *flagellum* longitudine thoracis cum abdomine, nigrum, pubescens, compressum, latere superiore serratum, articulis videlicet novem valde distinctis, diametro duplo longioribus, apice latioribus truncatis; secundo articulo reliquis longiore, apicali acuminato. *Caput* thorace multo angustius, antice visum triangulare; *ore* prominulo acuminato aeneo; vertex transversus, viridis; frons impressa, nitida; genae viridiaeneae. *Mandibulae* fuscae. *Oculi* parvi, rotundati. *Thorax* laevis, saturate viridis, aeneo-nitens. *Scutellum* semiovale, convexum, rubro-aeneum, nitidum. *Metathorax* niger. *Pectus* nigrum, nitidum; *laminae pleurarum* concolores. *Abdomen* parvum, conicum, nigro-aeneum. *Pedes* longiusculi, nigri, nitidi, *geniculis* omnibus *tarsis*que basi pallide testaceis. *Alae* omnino hyalinae, immaculatae; stigmate brevi fusco, ramuloque stigmatico pallidiore, prope a media costa positis.

---

*) Species hinc a n. 49 ad 59 enumerandae, *flagello* aequali, compresso, pubescente et distincte articulato insignes, *mares* sunt omnes, sedis incertae, et plerique forsan feminis, in antecedentibus expositis conjungendi, quos quidem, nulla observatione ducente, sejunctos tractari necesse erat.

Mas lectus in *Kinnekulle* monte a cl. *Boheman* (*Dalman* l. c.). *Femina* incognita.

† 50. Encyrtus *geniculatus* Dalm.

E. viridi-aeneus, nitidus; flagello lineari, pubescente fusco-testaceo, scapo aeneo; fronte subaequabili, parum impressa; scutello abdomineque obscure aeneis; geniculis albidis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus geniculatus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 361. *n.* 47. *Pterom. Suec. p.* 70. *n.* 47.

Magnitudo *Encyrti lunati* (long. lin. ⅔—1), sed *statura* graciliore *capite*que minus convexo. *Antennarum scapus* verticem parum superans, linearis, teres, cyaneo-aeneus; *flagellum* longitudine thoracis cum capite, tenue, lineare, compressum, obscure fusco-testaceum, pallide pubescens, articulis diametro duplo longioribus, apicali acuminato. *Caput* thorace manifeste angustius, transversim magis compressum quam in congeneribus, haud convexum, obscure virens, nitidum, impunctatum; fronte parum impressa, magis nitida; vertice latiusculo. *Oculi* parvi, rotundati. *Thorax* laevis, obscure viridis; *prothorace* concolore. *Scutellum* semiovatum, aeneum, dorso cupreo-nitens. *Metathorax* obscurus. *Pectus* nigrum, aeneo-cyaneoque nitens; *laminis pleurarum* concoloribus, certo situ violaceo-micantibus. *Abdomen* subtriangulare, nigro-aeneum, basi virescens. *Pedes* omnes nigri, aeneo-nitentes; *tibiis* anticis pallidioribus, caeterum non nisi *geniculis* angusto spatio testaceo-albidis; *tarsis* basi concoloribus, apice fuscis. *Alae* hyalinae; stigmate brevi crassiusculo, ramuloque stigmatico abbreviato fuscis.

Habitat in *Scania*. *Mas* captus a cl. *Zetterstedt* (*Dalman* l. c.). *Femina* nondum innotuit.

† 51. Encyrtus *subplanus* Dalm.

E. elongatulus, viridi-sericeus; antennis tenuissimis, fusco-testaceis, pilosulis; abdomine laminisque pleurarum viridi-aeneis; scapo antice, pedibus intermediis totis, reliquorum geniculis pallidis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus subplanus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 362. *n.* 48. *Pterom. Suec. p.* 71. *n.* 48.

A reliquis differt: *corpore* longiori, sublineari, supra nonnihil deplanato; *capite* a thorace magis remoto, et *co-*

lore pedum modo insolito distributo (qua nota solis *Encyrtis brevicorni* et *ambiguo* componi potest).

Encyrto chalconoto major (long. lin. 1 vel $1^1/_4$). *Antennarum scapus* verticem parum superans, teres, linearis, viridis, latere anteriori flavus; *flagellum* longitudine thoracis cum capite, tenue, lineare, fusco-testaceum, pilis sat longis aequaliter hirsutulum, articulis diametro triplo longioribus subaequalibus. *Caput* thoracis latitudine, antice visum subtransversum, ad os retusum, totum viridi-coerulescens, laeve, pube albo-sericea vestitum; frons non nisi ad antennarum basin paululum impressa; vertex latiusculus, vix visibiliter punctulatus. *Oculi* parvi, rotundati. *Prothorax* viridis, transversus, retusus, apice vero in collum productus, unde caput a thorace magis remotum, quam in affinibus. *Thorax* circa humeros minus dilatatus quam in congeneribus, dorso subplanus, laete viridi-sericeus, nitidus, albo pubescens. *Scutellum* subcordatum, planiusculum, colore thoracis. *Metathorax* obscure virescens. *Pectus* saturate viride, certo situ aeneo-micans; *laminis pleurarum* concoloribus; *segmentis antealaribus* vero *tegulis*que albidis. *Abdomen* parvum, depressum, sublineare, apice obtusum, nigro-aeneum. *Pedes* longiusculi: *coxae* omnes aeneae; *femora antica* viridi-aenea, lineola apiceque pallidis; *tibiae* anticae testaceae, posticae fusco-aeneae; *pedes intermedii* elongati, toti pallide testacei; *postici* etiam toti fusco-aenei, geniculis concoloribus, non nisi *tarsorum* basi pallida. *Alae* hyalinae, dilute fuliginoso-tinctae; stigmate ramuloque stigmatico fuscis.

Mas lectus in graminosis *Scaniae*, mense Augusto, a cl. *Zetterstedt* (*Dalman* l. c.). *Femina* latet.

† 52. Encyrtus *cyanellus* Dalm.

E. viridi-cyaneus, nitidus; antennis linearibus, pilosis, nigris, longitudine thoracis, scapo-flavo; pedibus fuscis, geniculis tarsisque testaceis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus cyanellus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 168. *n.* 22. *Pterom. Suec. p.* 44. *n.* 22.

Encyrto lunato minor (long. vix $^2/_3$ lin.). *Antennae* capite cum thorace fere longiores, lineari-filiformes; *scapo* antice flavo; *flagello* nigro, articulis sat distinctis, fusco-hirsutulis, apicali acuminato. *Caput* mediocre, sericeum, nitidum; vertice viridi; fronte cyanea, medio impressa, relicta carinula inter antennas. *Os* lutescens. *Oculi* magni,

in mortuis glauci. *Thorax* cyaneus, minus nitidus; *prothorace* concolore. *Scutellum* semiovatum, gibbum, viridicyaneum, non pilosum. *Metathorax* obscurus. *Laminae pleurarum* nigrae, nitidae. *Pedes* nigri vel nigro-fusci; *coxis* nigris; *geniculis* vero omnibus, *tarsis*, *tibiis*que *anticis* testaceis. *Alae* hyalinae, immaculatae, iridicolores; nervulo stigmatico fusco.

In *Vestrogothia* captus (*Dalman* l. c.). *Femina* non cognita.

53. Encyrtus *flavipes.*

E. aeneo-virescens, nitidus; antennis longitudine corporis, linearibus, villosis, fusco-testaceis, scapo, pedibus anterioribus, posticorum geniculis luteis; alis hyalinis. *Mas.*

Long. lin. $^3/_4$. *Antennae* longitudine corporis, lineares, compressae, villosae, fusco-testaceae; *scapo* brevi, luteo; *flagelli* articulis discretis. *Caput* latitudine thoracis, subtrigonum, aeneo-virescens, vel aeneum, nitidum. *Os* productum; *mandibulis* piceis. *Prothorax* brevis, lineari-reflexus, antice in cavitatem occipitalem receptus; *thoracis medii* dorsum latum, antice rotundatum, planiusculum, subtilissime punctatum, cum prothorace viridi-aeneum, nitidum, glabrum. *Scutellum* magnum, ovato-rotundatum, gibbum, saturatius virescens. *Metathorax* sub scutello truncatus, nigro-subcupreus. *Abdomen* thorace tertia parte brevius, late triangulum, angulo obtuso utrinque prope basin, apice etiam obtuso, basi retusa, dorso depresso, saturate aeneo-virens, colore scutelli. *Pedes anteriores* lutei, coxis obscurioribus; *postici* longiores, fusci, *femoribus* subcompressis apice, *tibiis*que basi et apice luteis; *tarsi* lutei, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae, stigmate in media fere costa minuto, perbrevi, ramuloque stigmatico fuscis.

Cepi marem die 22. Junii a. 1811 in quercu nemoris prope *Sickershausen. Feminam* non vidi.

Adnot. Anne *mas Encyrti gravis* n. 35?

† 54. Encyrtus *sericans* Dalm.

E. coeruleo-viridis, opacus, pube, albo-sericea vestitus; antennis linearibus pilosis pedibusque flavis, illis apice nigris; femoribus posticis viridibus. *Mas.*

Synon. Encyrtus sericans Dalm. in Act. Holm. a. 1820. *II. p.* 363. *n.* 49. *Pterom. Suec. p.* 72. *n.* 49.

(Long. lin. $^1/_2$.) *Antennae* inferiori fronti sub oculis insertae, basi distantes; *scapus* vertice vix humilior, testa-

ceus, obsolete obconicus, parum compressus; *pedicellus* brevissimus, nodiformis, supra nigro-aeneus; *flagellum* capite cum thorace fere longius, lineare, flavum, summo apice nigrum, pilis fuscis sat longis hirsutulum, articulis valde distinctis discretis crassitie duplo longioribus, apicali lineari obtusiusculo. *Caput* thorace angustius, coeruleo-viride, impunctatum, sericeum; fronte impressa, viridi-aurea; callo supra os; hoc piceo. *Oculi* mediocres, obscuri, prominuli, in vertice satis distantes. *Thorax* supra subtusque pulchre viridi-coerulescens, laevis, albo-sericeus, *prothorace scutello*que subcordato concoloribus; *metathorace* obscuriore. *Laminae pleurarum* macula aurea, opaca, fugaci notatae. *Abdomen* breve, complanatum, viridi-coerulescens, disco dorsali aeneo. *Pedes anteriores* flavi, *geniculis* pallidioribus, *tibiis* intermediis obsolete fusco-biannulatis; *femora postica* viridia, apice pallida, *tibiae* pallide fuscae, *tarsi* flavescentes. *Alae* hyalinae, paulo ante medium stigmate ordinario fusco, ramuloque stigmatico obliquo simplici. *Tegulae* albae.

In monte *Kinnekulle* lectus a cl. *Boheman* (*Dalman* l. c.).

Adnot. *Marem* esse *Encyrti sericei* (p. 217. n. 16) vix dubito. Convenit cum illo *corpore* laevigato sericeo-pubescente, *colore* amoene viridi, etsi in hoc laetiore, *femoribus*que posticis viridibus. Differt vero: *magnitudine* tantum dimidia, *fronte* impressa et *antennarum* forma et colore valde diversis, quae vero discrepantiae sexus forte distinctiones. Dalm. l. c.

✝ 55. Encyrtus *chlorinus* Dalm.

E. aeneo-viridis, nitidus, pectore laminisque pleurarum concoloribus, fronte impressa viridi-aurea, abdomine nigro-aeneo; antennis elongatis, nodoso-subserratis pilosulis, pedibusque anterioribus, posticorum geniculis flavis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus chlorinus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 364. *n.* 50. *Pterom. Suec. p.* 73. *n.* 60.

Encyrto lunato minor (vix long. ⅔ lin.). *Antennarum scapus* verticem non superans, tenuis, linearis, sulphureus; *pedicellus* brevis, niger; *flagellum* thoracis apicem attingens, laete sulphureum, tenue, lineare, pilis longis fuscis hirsutulum, articulis aequalibus discretis nodosis, unde antennae antice serratae apparent. *Caput* thorace vix angustius, antice visum subtriangulare; tota frons valde

impressa, viridi-aurea, nitidissima; genae concolores; vertex transversus, saturate viridis. *Thorax* laevis, colore verticis. *Scutellum* majusculum, semiovatum, viride, dorso aeneo-nitens. *Pectus* obscurius virens; *laminae pleurarum* concolores. *Abdomen* thorace multo brevius, triangulare, nigro-aeneum. *Pedes* graciles (multo tenuiores, quam in *Encyrto Zephyrino* proximo); *anteriores* sulphurei, immaculati, *coxis* concoloribus; *pedes* postici nigri, *geniculis tarsis*que pallide flavis. *Alae* hyalinae, stigmate ramuloque stigmatico tenuissimo flavidis.

Mas in *Scania* lectus a cl. *Zetterstedt* (*Dalman* l. c.). *Femina* non innotuit.

Observ. *Antennae* magis inaequales et longius pilosae, quam in *Encyrto serratello*, ceterum non comparando.

✝ 56. Encyrtus *zephyrinus* Dalm.

E. viridis, sericeo-nitidus, laminis pleurarum nigris, fronte impressa viridi-aurea, abdomine nigro-violaceo; antennis elongatis, linearibus, pilosulis pedibusque totis pallide flavis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus zephyrinus Dalm. in Act. Holm a.* 1820. *I. p.* 167. *n.* 21. *Pterom. Suec. p.* 43. *n.* 21.

Parvus, *Encyrto lunato* fere minor (long. ⅔ lin.). *Antennae* capite cum thorace longiores, filiformes, lineares, flavae, concolores, evidenter pubescentes; *scapo* brevi, nudo, pallidiori; *pedicello* brevissimo, saepe obscuro; *flagelli* articulis subaequalibus, sat distinctis, apicali acuminato. *Caput* laete viride, sericeum, nitidum; fronte tota impressa, viridi-aurea; *ore palpis*que flavis. *Oculi* magni, virescentes in mortuis autem nigri vel glauci. Ocelli brunnei, luciduli. *Thorax* supra viridi-sericeus, *prothorace* concolore; *metathorace* obscuro. *Laminae pleurales* nigrae. *Scutellum* semicordatum, parum convexum, viridi-sericeum, parum pilosum. *Abdomen* breve, nigro-aeneum vel violaceum, nitidum. *Pedes* robusti, flavi, immaculati; coxis concoloribus; tibiis intermediis spina apicali solita valida armatis. *Alae* omnino hyalinae, iridicolores, stigmate costali fusco. *Tegulae* flavescentes.

Habitat in Coccis Betulae albae; e Coccis ejusdem ramuli cum *Encyrto sylvio* exclusus (*Dalman* l. c.). *Femina* non cognita.

✝ 57. Encyrtus *aestivus* Dalm.

E. saturate viridis, nitidus, laminis pleurarum nigris, fronte impressa viridi-aurea, abdomine nigro-aeneo; antennis elongatis, linearibus, pilosulis pedibusque totis flavo-testaceis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus aestivus Dalm. in. Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 365. *n.* 51. *Pterom. Suec. p.* 74. *n.* 51.

Encyrto cephyrino triplo minor (long. lin. ⅓). *Antennarum scapus* brevis, verticem aequans, linearis, flavus; *pedicellus* brevissimus, concolor; *flagellum* capite cum thorace paulo longius, lineare, compressum, flavo-testaceum, breviter fusco-pubescens, primo articulo reliquis paulo longiore, caeteris aequalibus diametro duplo longioribus, apicali acutiusculo. *Caput* rotundatum, laeve, viride, nitidum; frons medio impressa, aureo-nitens. *Thorax* laevis, nitidus, saturate viridis. *Scutellum* semiovalum, convexum, viridi-aeneum. *Pectoris* segmenta antealaria testacea ut in *Encyrto zephyrino; laminae pleurarum* nigrae. *Abdomen* nigro-aeneum. *Pedes* graciles, saturate flavo-testacei, coxis concoloribus. *Alae* hyalinae.

Variat tibiis posticis infuscatis.

In *Vestrogothia* cl. cl. *Gyllenhal* et *Boheman* legerunt; in *Scania* cl. *Zetterstedt* (*Dalman* l. c.) *Femina* non nota.

Adnot. Nimis quidem affinis *Encyrto zephyrino,* attamen distinctus videtur. Triplo *minor* enim est, multo *obscurior*, nec sericeus, *statura* aliena, *capite* convexiore, *pedibus* gracilioribus; quare visu facile, descriptione aegre distinguendus.

✝ 58. Encyrtus *misellus* Dalm.

E. obscure nigro-aeneus, fronte profunde impressa; antennis longiusculus, linearibus, pilosulis, flavis, scapo obscuro; pedibus testaceis, nigro-annulatis; alis hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus misellus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 171. *n.* 26. *Pterom. Suec. p.* 47. *n.* 26.

Inter minimos hujus generis (long. lin. ⅓). *Antennae* longitudine capitis cum thorace; *scapo* brevi, obscuro, subaeneo; *flagello* flavo, articulis subaequalibus, pilosulis, apicali subacuminato. *Caput* obscure viride, nitidum; fronte tota valde impressa; *ore* flavo. *Oculi* magni, obscuri. *Tho-*

rax obscure viridi-aeneus. *Scutellum* semiovatum, convexum, viridi-aeneum, nitidum. *Abdomen* obscurum, nitidum. *Pedes* longiusculi, testacei; *femoribus tibiis*que medio nigro-infuscatis. *Alae* hyalinae, immaculatae; nervulo fusco.

Habitat in *Uplandia*, a cl. *Marklin Dalmano* communicatus. *Femina* latet.

✝ 59. Encyrtus *fuscipes* Dalm.

E. brevis, niger, nitidus; antennis longiusculis, linearibus, pilosulis, pallidis, scapo minuto nigro; tarsis fuscis; alis albo-hyalinis. *Mas.*

Synon. *Encyrtus fuscipes Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 365. *n.* 52. *Pterom. Suec. p.* 74. *n.* 52.

E minimis, brevis, obtusus, statura fere *Teleadis*, sed certo hujus generis. *Antennae* longitudine capitis cum thorace, *scapus* parvus, tenuis, niger, nitidus, vertice multo brevior; *pedicellus* mediocris, piceus, nitidus; *flagellum* filiforme, pallide testaceum, pubescens, articulis discretis subaequalibus, apicali acuminato. *Caput* magnum, transversum, antice visum suborbiculare, nigrum, nitidum, impunctatum; fronte valde impressa; vertice latiusculo, laevi. *Os* dilute piceum, *palpis* fuscis. *Oculi* parvi, rotundati, obscuri. *Thorax* brevis, crassus, undique, niger, nitidus; *scutello* concolore (in nostro acu destructo). *Abdomen* parvum, depressum, obtusum, nigrum. *Pedes* breviusculi, intermedii modice elongati, nigri, nitidi; *tarsis* omnibus et spina tibiali intermedii paris pallide fusco-testaceis, apice concolore. *Alae* hyalinae quidem, sed albae; stigmate ramuloque stigmatico obliquo brevi fuscis.

Mas in *Smolandia* a cl. *Boheman* lectus est (*Dalman* l. c.). *Femina* non nota.

β. Scutello triangulari, depresso, subplano.

✝ 60. Encyrtus *longicornis* Dalm.

E. obscure nigro-cyaneus, scutello triangulari, depresso; flagello antennarum nigro, dimidio corpore longiore; tibiis tarsisque lutescentibus; alis hyalinis. *Fem.*

Synon. *Encyrtus longicornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 165. *n.* 19. *Pterom. Suec. p.* 41. *n.* 19.

Parvus, fere minimus. *Antennarum* scapus breviusculus, niger; *flagellum* nigrum; longissimum, lineare,

subcompressum, longitudine fere capitis cum thorace. *Caput* mediocre, nigro-cyaneum, laeve, subnitidum, punctulis minutis impressis in summo vertice et juxta oculos albidos. *Thorax* obscure nigro-aeneus. *Scutellum* minus elevatum, distinctum tamen, obscure viride. *Abdomen* breve, nigrum, nitidum. *Pedes* nigro-fusci, tibiis lutescentibus, intermediis longioribus, apice spina elongata armatis. *Alae* immaculatae.

In *Suecia* passim obvius (*Dalman* l. c.). *Mas* non notus.

Varietas:

† ? *β. ventralis:* obscure nigro-cyaneus, laevis, corpore subtus pedibusque luteis; *antennarum flagello* dimidio corpore longiore; *alis* lutescentibus. *Fem.*

Dalman l. c.

Statura et partium proportio omnino ut in Var. *α*, sed duplo major et coloribus diversus. *Antennae* totae nigrae, glabrae; *flagello* lineari, apice non truncato. *Caput* mediocre, laeve, nitidum, nigro-cyaneum, punctulis minutissimis obsoletis in summo vertice et juxta oculos; frons antica (cum hypostomate) violacea, non nisi ad antennarum insertionem paululum impressa. *Os* lutescens. *Oculi* magni, albicantes. *Truncus* supra nigro-cyaneus, laevis; subtus lutescens, nitidus. *Abdomen* luteum, dorso obscuro. *Pedes* lutei, coxis omnibus concoloribus; *anteriores* immaculati; *postici tibiis tarsis*que infuscatis. *Alae* saturate lutescentes, nervulo ordinario obscuriore.

Habitat in *Smolandia*, a cl. *Boheman* lecta. *Mas* deest (Dalman l. c.).

Observ. ad Var. *β*. Vix propriam speciem esse, Dalmanus arguit, cum praeter colorem ad minimum punctum cum Var. *α* conveniat. Nos vel magnitudinem *triplo* inferiorem magni faceremus, ad distinguendam speciem colore corporis et pedum tantopere abludentis. Sed de insecto, nunquam a me viso, meum non est ferre sententiam.

Divisio II.

Hemipteri vel Apteri.

Utroque sexu, vel saltem femineo, alis brevissimis, nullisve omnino, praedito.

61. Encyrtus *hemipterus* Dalm.

E. cinereo-niger, albido-scaber, tarsis basi fulvis; alis abbreviatis, maris albis, apice fusco-bifaciatis; feminae mutilis, annulo elevato, oblongo. *Mas. Fem.*

Synon. *Encyrtus hemipterus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 166. *n.* 20. *II. p.* 371. *Pterom. Suec. p.* 42. *n.* 20 *et p.* 80.

Encyrtus saltans N. ab E. Coll.

Long. lin. 1—1¼. Animalculum singulare, saltans, antennas celerrime vibrans. *Antennae* hypostomati infero insertae, duodecimarticulatae: *radicula* exserta, obconica; *scapus* fronte paulo altior, compresso-dilatatus, basi attenuatus, extus canaliculato-concavus, niger, nitidus; *pedicellus* obconicus; *flagellum* scapo plus duplo longius, filiformi-cylindricum, nigrum, summo apice plerumque pallescens, articulis aequalibus cylindricis contiguis pedicello longioribus, apicali breviori obtuso. *Caput* magnum, thoracis latitudine, rotundatum, minus convexum, transversum, cinereo-nigrum nitore aeneo, pilis rigidis albidis adpressis inspersum, laeve; frons et hypostoma continua, convexa, neque ad antennarum basin impressa; vertex angustus; occiput concavum, prothoraci arcte adpressum. *Os* concolor. Ocelli parvi, approximati. *Oculi* magni, ovales, duas tertias laterum capitis occupantes, virescentes. *Thorax* subcubicus, planiusculus, crassus, laevis, opacus, e cinereo-nigro aeneus, pilis rigidis albidis ubique tectus, scutello, metathorace, pectore pleurisque concoloribus; *prothorace* lineari, brevi, medio thorace paulo latiore; *hoc* prothorace paulo longiore, at eodem angustiore, transverso tamen. *Scutellum* longitudine thoracis, sed angustius, e semicirculari ambitu ovatum, vix convexum, colore ut pubescentia thoracis. *Laminae pleurarum* laeves, glabrae, sed opacae, parumper cyaneo-nitentes. *Abdomen* thoracis longitudine eidemque arcte contiguum, trigono-acutum, dorso planum, laeve, nigro-nitens; segmento primo majori, tenuissime albido-pubescente; secundo, tertio et quarto angustissimis, lineari-transversis lineaque punctulata obiter discretis, quinto semicirculari angustiori, sexto denique maximo, cunctos praecedentes aequante, acutissimo, triquetro, marginibus elevatis, dorso medio subcarinato. Venter carinatus. *Terebra* recondita. *Pedes* validiusculi, obscure nigro-aenei; *femora* compressa, postica latiora; *tarsorum* omnium articuli tres vel quatuor anteriores fulvi, apices nigri; *tibiae* medii paris elongatae, nigrae, apice incrassatae spinaque concolore praeditae; *tarsi* quoque medii manifesto incrassati. *Alarum* loco in *femina* squamulae duae, breves, coriaceae, primum segmentum abdominis non superantes, in aliis vix attingentes, sordide albidae,

annulo fere semicirculari, obtuse elevato, fusco insignes, e nervo subcostali ramuloque stigmatico confluentibus originem ducente.

Mas differt a femina, cui quoad *antennas* (alieno a genere *Encyrtorum* more), simillimus, *alis* abdomen longitudine fere aequantibus, nervo subcostali nigro, ramulo stigmatico pone medium alae oblique prodeunte longiusculo, colore a basi ad rami usque stigmatici apicem fuscescente, hinc albo, fascia intraapicali fusca, introrsum subdentata. *Alae posticae* praesentes, immaculatae.

Cepi *mares* et *feminas* satis frequentes in Quercu et herbis sylvulae prope *Sickershausen* 12. et 13. Julii a. 1813. In *Scania* et *Gottlandia* a *Fallénio* et *Zetterstedtio* locis aridis lecta exempla utriusque sexus *Dalmanus* l. c. descripsit.

✝ 62. Encyrtus *platycerus* Dalm.

E. obscure viridi-aeneus, albo-sericeus; antennarum flagello compresso, lanceolato; pedibus fusco-piceis, geniculis tarsisque testaceis; alis abbreviatis pallidis. *Fem.?*

Synon. *Encyrtus platycerus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 366. *n.* 53. *Pterom. Suec. p.* 75. *n.* 53.

Mira macrocera Schellenb. Genres des Mouches p. 69. *tab.* 14.?

Species parva, *antennarum* forma praesertim singularis. Long. vix 3/4 lin. paris. *Antennae* hypostomati infero, os versus, insertae, totae nigrae, sed viridi-aeneo- vel olivaceo-nitentes, glabrae; *scapus* vertice brevior, extrorsum valde dilatatus, omnino compressus, apice truncatus, imo emarginatus, unde subcordatus, margine antico rotundato; *pedicellus* brevissimus; *flagellum* capite duplo longius, valde compressum, breviter-lanceolatum, apice nonnihil acutum, articulis octo contiguis, sed distinctis. *Caput* magnum, crassiusculum, thorace manifeste latius, viridi-aeneum, nitidum; fronte ad antennarum basin profunde impressa; hypostomate os versus iterum convexo; vertex vix angustatus, ocellis approximatis; *os* lutescens. *Oculi* magni, rotundati, obscuri, majorem capitis partem lateralem occupantes. *Thorax* undique obscure viridi-aeneus, parum nitidus, albo-sericeus; *prothorace* concolore, angusto, breviter conoideo, valde convexo, postice gibboso. *Scutellum* triangulare, depressum, magis obscurum. *Metathorax* latus, colore thoracis, nitidus. *Laminae*

pleurarum viridi-aeneae, politae. *Abdomen* thorace paulo brevius, viridi-aeneum; segmento primo nitido, reliquis albo-sericeis. *Pedes* graciles, forma communi hujus generis, fusco-picei; *tibiis* obscurioribus; *geniculis tarsis*que pallidioribus. *Alae* abbreviatae, abdominis basin vix attingentes, albo-hyalinae, summo apice infuscatae, nervis haud observandis.

Exemplum unum (quod equidem *feminei* sexus esse puto), a cl. *Zetterstedt*, ineunte Julio mense in gramine loco arido ad *Esperöd Scaniae* lectum, *Dalmanus* l. c. exposuit.

Observ. *Scutellum* quidem depressum, et *flagellum* praesertim lanceolatum acuminatumque huic generi parum convenire videntur; alarum quoque characteres deficiunt; attamen hujus generis esse vix dubito. *Tarsi* intermedii vix crassiores. Sexum speciminis determinare nequeo. *Dalm.* l. c.

☨ 63. Encyrtus *ineptus* Dalm.

E. apterus, contractus, aeneo-niger; antennis medio pedibusque apice rufo-testaceis; scutello applanato. *Fem.*

Synon. *Encyrtus ineptus Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *II. p.* 367. *n.* 54. *Pterom. Suec. p.* 76. *n.* 54.

Species singularis, valde contracta, duriuscula, facie subcoleoptrata, sed certe hujus generis quoad *antennarum*, *pectoris* (pleurarum) et *pedum* structuram, etsi deficiente masculo non perfecte determinanda.

Pusillus, *Encyrto lunato* duplo vel triplo minor (⅓ — ½ lin.). *Antennae* versus os insertae; *scapus* vertice multo brevior, obscurus, in impressione frontis occultandus; *pedicellus* fuscus; *flagellum* capitis longitudine, teres, subfiliforme, apice vix crassius, pallide testaceum, articulis brevissimis contiguis, apicali fusco. *Caput* magnum, thorace manifeste latius, antice valde convexum, hemisphaericum, ore valde deflexo, aeneo-nigrum, nitidum; vertice latiusculo, conferte sed subtilissime aequaliter punctulato. *Oculi* magni, rotundati, obscuri, minime prominuli. Occiput valde concavum, prothoracis apicem recipiens. *Prothorax* brevissimus, transversus, nigro-aeneus. *Thorax* brevissimus, aeneo-niger, prothorace vix longior, lineola impressa tantum a scutello distinctus; alarum tegulis concoloribus. *Scutellum* magnum, semiovatum, depressum et vix a thorace distinguendum illique concolor,

glabrum, nitidulum, subtiliter punctulatum, thoracis basin omnino attingens. *Metathorax* brevissimus, vix observandus. *Alarum* loco utrinque particula parva obscura, spatium laterale inter scutelli et abdominis bases explens, sed adeo adpressa et obsoleta, ut de natura ejus nihil dicere possim. *Laminae pleurarum* politae, corpori concolores. *Abdomen* thoracis latitudine et crassitie eique omnino applicatum, ovatum, aeneo-nigrum, nitidum, longitudine thoracis cum capite, teretiusculum, segmento primo reliquis multo majori; subtus *terebra* nigra, haud prominula, carinatum. *Pedes* breves, crassiusculi, obscure fusco-aenei; *tibiis* apice *tarsis*que totis obscure testaceis; intermediis longioribus tarsisque manifesto crassioribus, quam in reliquis.

„Habitat in *Scaniae* Junipero, mense Augusti, rarius, saltans." *Zetterstedt* (*Dalman* l. c.). *Mas* nondum inventus.

Adnot. Ad Genus sequens, *Sphenolepidem* intelligo, pertinere suspicor; sed non audeo, de specie a me non visa, quidquam statuere. Antennae *Encyrti inepti* undecimarticulati traduntur, quae in *Sphenolepidis* specie novem tantum articulis constant.

GENUS XXI.

SPHENOLEPIS.

A σφὴν, cuneus, et λεπὶς, squama, qua terminatione Diplolepis significatur, ob figuram corporis, cuneo similem.

Antennae factae, hypostomati infero insertae, novemarticulatae; pedicello elongato; flagello aequali acuto. *Alae* in speciebus notis nullae. *Prothorax* lineari-transversus, angustissimus, antice truncatus. *Pleurae* integrae, utrinque scutatae. *Scutellum* depressum, cum metathorace confluens. *Abdomen* late sessile, convexum, mediocre. *Pedes* breves, aequales.

Mandibulae bidentatae.

Characteres naturales in oris partibus quaerere non licuit, ob exemplorum penuriam.

Habitus Encyrtorum, nec fere nisi ex *antennis* pauciarticulatis, *thorace* aliter constructo, *pedibus*que aequalibus

libus conformibusque distinguendus. Sed sufficere haec videbantur, eoque magis, cum *Encyrtorum* genus per se quidem jam specierum, eidem adscriptarum, varietate laborare videatur.

Corpus parvum. *Antennae* (feminae) hypostomati infero, os versus, insertae, novemarticulatae: *radicula* brevis; *scapus* satis longus; *pedicellus* obconicus, conspicuus, ratione flagelli longus; *flagellum* aequale, sexarticulatum, articulis cylindricis, diametro parum longioribus, aequalibus, apicali tenuiori acuto. *Corpus* ovatum, coactum. *Caput* thoraci valde contiguum ejusdemque latitudine, inclinatum; *vertex* angustus, rotundatus; *frons* supra antennas excavata; *hypostoma* infra antennas gibbosum; occiput concavum. *Oris* partes reconditae. *Oculi* laterales, subrotundi. Ocelli vix discernendi. *Thorax* planiusculus, lineis duabus rectis transversalibus tripartitus; parte antica, seu *prothorace*, angustiori, lineari; media, seu *thorace* proprie sic dicto, demtis scapulis, triangulum postice truncatum referente; tertia, seu *scutello*, secunda majore, vix declivi, aequali, ad abdominis usque basin extensa et adeo cum *metathorace* confluente, ut vix vestigia discriminis ad latus utrumque appareant. *Pleurae* scutis, seu *laminis* integris, convexis munitae. *Abdomen* tota basi metathoraci contiguum, eoque paulo latius et longius, ovatum, in femina acutum, dorso convexum, segmentis omnibus aequalibus, transversis. *Terebra* recondita. *Pedes* breviusculi, aequales, structurae solitae, nec mediis differentibus. *Alae* nullae, neque ulla earum vestigia.

Feminei sexus exempla sola nota, neque de altero sexu, neque de metamorphosi quidquam constat.

1. Sphenolepis *pygmaea*.

Sph. metallico-nigra, pedibus rufis. *Fem.*

Long. lin. ½. *Antennae* longitudine thoracis, demto, capite, nigrae, glabrae; *scapo* longitudine dimidii flagelli, basi parum rufescente. Corpus, excepto abdomine, glabrum, laeve, nigrum, metallico-nitens, supra subtusque concolor. *Abdomen* thorace cum capite fere longius, reliquo corpori concolor, ovatum, acutum, laeve, subpubescens. *Coxae* colore corporis. *Pedes* rufi, *unguibus* nigris. *Alarum* nulla vestigia.

Cepi *feminam* die 25. Augusti a. 1812 in nemore prope *Sickershausen.* De mare nihil constat.

Adnot. *Encyrtus ineptus* Dalm. (p. 255 n. 63) hujus generis esse videtur, quem hoc modo definires.

Sph. (*inepta*) aeneo-nigra, antennis medio, pedibus apice rufo-testaceis. *Fem.*

Stirps II.

Ambulatorii.

Terebra ex abdominis apice progrediens, valvula parva extremi segmenti ventralis fulcienda, tantum non in omnibus per quietem recondita. Motus non saltatorius.

Colores rarissime metallici, plerisque nigri vel rufi. *Palpi maxillares* numero articulorum maxime vario, a duobus ad sex articulis in generibus diversis differentes. *Antennae* vel valde fractae et scapo longo praeditae, vel subrectae, scapo non conspicue elongato. *Pleurae* nusquam scutatae. *Abdomen* multis petiolatum, petiolo vel longo, vel brevi; compressum, vel gibbum, vel depressum; secundo segmento omnibus (exceptis *Sparasione* et *Scelione* generibus), maximo, reliquis perbrevibus, ultimo, vel penultimo quoque, saepe angustis et cum *terebra*, tubuli, vel vaginae exterioris ad instar, retrahendis. *Femora* in quibusdam distincte clavata, basi attenuata. *Alae* praeter ramum subcostalem enerves, ramulo stigmatico basi vel apici approximato, perbrevi, magisve distincto et curvo, quo areola radialis inchoata adumbratur. In quibusdam nervus stigmaticus, in aliis etiam subcostalis deesse videntur. Pictura alarum nulla, nisi macula stigmatis in quibusdam distinctissima.

Adnot. Stirps haec ante omnes curis virorum peritorum posterioribus commendanda. Vix enim *Teleadum* quorundam historia nota, neque marium feminarumque discrimen in pluribus inventum. Rariores sunt multi; quidam, ut *Teleadum* species quaedam, omnium frequentissimi occurrunt.

A. *Abdominis segmentis subaequalibus.*

GENUS XXII.

SPARASION Latr.

Nomen a σπαράσσω, divello? sed quonam sensu?

Sparasion Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p. 230. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 34. *n. CCCCLXIV. Ceraphronis Div. I. Jur. Hymen. p.* 303. *n. LXIV. tab.* 13. *gen.* 44.

Antennae hypostomati infero, supra os insertae, subfractae, tredecim- vel quatuordecimarticulatae; scapo fronte breviori; flagello submoniliformi. *Alae* stigmate distincto, ramum radialem infractum, sed incompletum emittente; nervis nullis vel obsoletis. *Prothorax* brevis, truncatus, ad alarum originem usque reflexus. *Abdomen* sessile, planum, segmentis subaequalibus.

Mandibulae bidentatae. *Palpi maxillares* quinquearticulati, filiformes; *labiales* triarticulati.

Habitus specierum hujus generis ad *Tiphiarum* formam nonnihil accedit. *Antennae* mediocres, capite cum thorace non longiores, hypostomati infero juxta clypeum insertae, distantes, in femina tredecimarticulatae, in mare quatuordecimarticulatae: *radicula* brevis; *scapus* fronte brevior; obconicus, compressus, basi tenuis, extrorsum curvatus; *pedicellus* brevissimus, obconico-cylindricus, non longior quam latior; *flagellum* a scapo modice deflexum, scapo plus duplo triplove longius, in *femina* apicem versus subincrassatum, articulo primo-oblongo-conico, reliquis longiori, insequentibus subglobosis, crassitie sensim crescentibus, extremo ovato obtuso. *Caput*, antice visum, triangulare, subaequilaterum: *hypostoma* brevissimum, truncatum; *frons* lata, convexa; vertex planiusculus, ocellis distinctis, in triangulum positis. *Oculi* parvi, orbiculares, immersi. *Mandibulae* magnae, extrorsum rotundato-dilatatae, compressae, pilosae, apice truncato-bidentatae, latere interiori rectiusculo, plano. *Palpi* elongati, filiformes; *maxillares* labialibus duplo longiores. *Prothorax* antice truncatus et abrupte in collum brevem angustum contractus, ferri equini fere forma ad alarum originem reflexus. *Thorax* medius ovato-subrotundus, antice rotundatus, parum convexus, lobis solitis parum distinctis.

Scutellum semicirculare, breve, discretum. *Metathorax* ovatus, productus, convexus, rugulosus, apice truncatus. *Pleurae* planae. *Abdomen* capite cum thorace paulo longius, oblongum, obtusum, planum, basi truncata thoraci arcte contiguum, rimulosum, segmentis septem subaequalibus, margine laeviusculo discretis, primo brevi subconico, extremo minimo. *Venter* planus. *Terebra* fide Latreillii occulta; ego marem unum tantum examinavi. *Pedes* graciles, aequales, *tarsorum* posteriorum primo articulo longiori. Spinulae *tibiarum* geminae, minutae. *Alae* cuneiformes; nervus subcostalis costae ad medium parallelus, distinctus, ad stigma solito more, ubi stigma incrassatum accedit, interruptus; *stigma* ovatum, distinctum, nervi subcostalis apici adjectum, emittens ramulum in medio infractum, areolam radialem postice apertam inchoantem. *Basis* alae enervis. *Color* niger. Corpus punctatum, pubescens, opacum. *Mas* differt a femina: *flagello antennarum* longiore, aequali neque apice incrassato, moniliformi; *abdomine* paulo longiore et magis obtuso.

De *Metamorphosi* et *victu* horum animalium nihil constat. Rarius occurrunt, et paucae adhuc innotuere species.

Adnot. De loco naturali hujus generis, et *Anteonis*, n. XXVII., merito dubitatur. *Palpi maxillares*, his quinque- et sexarticulati, omnisque habitus alieni ab hujus Familiae charactere, magisque *Scolietarum* esse videntur, quam *Pteromalinorum*. *Terebram* iis esse affirmat cl. Latreille; quod nisi obstaret, *Dryineis* adscriberem, parvae Familiae, e *Dryino*, *Gonatopode*, *Aphelopode* et *Omalo* generibus constanti.

1. Sparasion *frontale* Latr.

Sp. nigrum, fronte supra antennas elevata. *Mas. Fem.*

Synon. *Sparasion frontale Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 230. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 35.

Ceraphron cornutus Jur. Hymen. p. 303. *tab.* 13. *fig.* 44 *mas* (*nec femina, ut cl. Latr. asserit*).

Long. lin. 2. Totum corpus nigrum, punctatum, opacum, lineari-oblongum. *Caput* latitudine thoracis; *abdomen* thorace cum capite paulo longius; segmentis dorsalibus distinctissime longitudinaliter striolatis, solis marginibus posticis angustissimo spatio laevibus et nitidulis, linea transversali impressa discretis. *Pedes* nigri, hirti. *Alae* hyalinae, nervo subcostali, stigmate ramoque radiali nigris.

Mas non nisi notis generalibus, supra indicatis, differt.

Habitat in *Gallia* (Latreille); in agro *Pedemontano* (Bonelli); in *Helvetia* (Jurine).

2. Sparasion *tibiale.*

Sp. nigrum, fronte aequali; tibiis et tarsis rufis. *Mas.*
Synon. *Scelio rugosulus Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 150?

Long. lin. 2. Differt a praecedente, cui magnitudine, punctura, coloreque corporis omnino congruit: *antennarum scapo* paulo longiori, dimidio flagello tamen breviori; *flagelli* articulis (novem) transversis, subaequalibus (nec globosis), ultimo acuto; *fronte* mutica; *tibiis* et *tarsis* rufotestaceis, *unguibus* solis fuscis. *Alae* hyalinae, structura omnino praecedentis.

Exemplum unum, *masculini* sexus, e *Liguria* benigne transmisit cl. *Spinola*, *Ceraphronis novae speciei* nomine adscripto. *Feminam* non vidi.

GENUS XXIII.
SCELIO Latr.

Nomen a σκέλος, femur? An potius a σκέλλω exsicco, exedo?

Scelio Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 32. *n. CCCCLXII?* *Scelionis spec. Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII, Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 150. *n.* 15. *div.* ++. *Teleadis spec. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV.*

Antennae hypostomati infero supra clypeum insertae, fractae, tredecimarticulatae, *scapo* elongato; flagello (feminae) apicem versus sensim incrassato. *Alae* nervo subcostali ante mediam alam costae conjuncto, neque eam tumefaciente; ramo stigmatico paulo pone medium e costa emergente, tenui, brevi. *Prothorax* thorace medio paulo angustior, brevis, antice conico-prominens. *Abdomen* sessile, planiusculum, segmentis subaequalibus.

Mandibulae bidentatae. *Palpi maxillares* triarticulati, *labiales* biarticulati.

Habitus generis praecedentis, a quo hoc nostrum bonis characteribus, uti supra expositum est, distinguitur. *Caput*

magnum, thorace fere latius, et collo distincto discretum, subcubicum; vertex latus, planiusculus; frons lata, convexiuscula, una cum hypostomate latior quam altior. *Oculi* ovati, immersi. *Antennae* brevi spatio a clypeo insertae, tredecimarticulatae, in femina saltem breves: *radicula* minuta, hypostomatis foveolae inserta; *scapus* (antennae femineae) dimidio flagello paulo brevior, validus, obconicus; *pedicellus* obconicus, angustus, satis longus; *flagellum* decemarticulatum, fusiforme, recurvatum, primo articulo obconico, pedicello longiore et paulo crassiore, tum reliquis decrescente sensim sensimque longitudine auctaque crassitie in paterae formam ex obconica transeuntibus, ultimo denique ovato obtuso paulo longiori. *Oris* partes, quantum exploratae sunt, in charactere essentiali expositae. *Thorax* obovatus, convexus; *prothorace* paulo angustiore, caput versus conico-prominulo. *Scutellum* parvum. *Metathorax* brevis, ovatus. *Abdomen* oblongum, planiusculum, in femina sexannulatum; segmentis subaequalibus, distinctis, primo angustiori conico, extremo acuto. *Terebra* recondita, terminalis. *Pedes* mediocres, aequales, *femoribus* non incrassatis. *Alae* angustae, cuneiformes, pubescentes, enerves; nervus subcostalis tenuis, paulo ante medium costae conjunctus, puncto conjunctionis conspicuo; hinc costa parum vel non incrassata brevi spatio pergit, donec haud procul a medio ramulum minutissimum obliquum emittit. Color corporis opaci, punctulati striolatique, pubescentis, niger.

Marium verus character me fugit, neque de *metamorphosi* quidquam compertum est.

Adnot. 1. Genus *Scelio* Latr. dubiis vexatur, Cl. Latreille speciem, quam *Scelionis rugosuli* nomine in Gen. Cr. et Ins. Vol. I. tab. 12. fig. 11 et 12 pingi curaverat, in Vol. IV. ejusdem Operis *Teleadibus* accensuit, et *Scelionem rugosulum* Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p. 227 solum *Scelionem* fecit, ab illo Generum Insectorum igitur diversum. *Scelioni* generi autem nunc *antennas decemarticulatas* tribuit, quod quidem si ita esset, verum *Scelionem Latreilleanum* me nunquam vidisse confitendum esset. Ex altera autem parte cl. *Spinola* in „Dispositione Diplolepariarum" supra citata, *Scelionum* genus, addito disertis verbis *Scelione rugosulo* Latr., antennis *duodecimarticulatis* (quae computata radicula nobis tredecimarticulatae) describit. Quem quidem, cum species suas, et ipsam Dispositionem illam, manu scriptam, *Latreillio*, viro clarissimo, dijudi-

candas proposuisse certum sit, sequi etiam videtur, errorem in Gener. Cr. et Ins. Vol. IV. l. c. subesse, non nisi ab ipso Latreilleo solvendum.

Nos autem *Scelionem rugosulum* Gen. Cr. et Ins. Vol. I. tab. 12. fig. 11 et 12, nobis bene observatum, typum generis elegimus. *Teleadum* enim non est, qui *abdominis* secundo segmento maximo et statura perbrevi alia ut taceam, satis recedunt; at vero, antennas duodecimarticulatas si concedas, idem forte ab illo *rugosulo* operis prioris, gallice conscripti, non differre cognoscetur.

Nihilominus tamen, quae cl. Latreille l. c. de *Antennis Scelionum marium* tradidit, ea huc transscribere nolui, cum nesciam, anne de alio insecto valeant.

Adnot. II. Clar. *Spinola* in *Dispositione Diplolepariarum* citata Genus *Scelio* in duas divisiones solvit, quarum prior „cellula radiali inchoata" (*commencement d'une cellule radiale*), altera autem „cellula radiali deficiente" (*point de cellule radiale*) notatur, priorique autem *Scelio rugosulus* Latr. exempli causa adscribitur. Suspicor itaque, cl. *Spinolam* binis his divisionibus *Scelionis* et *Sparasionis* genus Latr. composuisse, et solam secundam Divisionem *Scelionum* vocandam esse. Tum id quoque consequens esse videtur, *Scelionem rugosulum* Spin. a specie Latreilleana ejusdem nominis differre et cum nostro *Sparasione tibiali* esse componendum. Nunquam autem cl. *Spinola*, qui paulo ante *Encyrto* generi *nullam* esse cellulam radialem (*point de cellule radiale*) statuerat, *Scelioni rugosulo* Latr. „ramulo alarum (revera) minimo praedito" „cellulam radialem inchoatam" tribuisset.

1. Scelio *rugosulus*.

Sc. niger, punctulato-rugulosus, tibiis tarsisque piceis. *Fem.*

Synon. *Scelio rugosulus Latr. Gen. Cr. et Ins. I. tab.* 12. *fig.* 11, 12. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 32? *Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p.* 227?

Scelio ater Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 150. *n.* 15 ++?

Long. lin. 2½. Structura corporis in antecedentibus exposita. *Caput* cum *antennis*, *thorax* cum *scutello* subtilissime punctato-rugulosa, albido-pubescentia, nigra, opaca. *Metathorax* ruguloso-striolatus. *Abdomen* capite cum thorace fere longius et angustius, oblongo-lanceolatum, basi attenuatum, planiusculum, distincte striolatum, atrum, ni-

tidulum; extremis segmentis laeviusculis. Venter planiusculus. *Terebra* omnino recondita. *Coxae* nigrae. *Trochanteres* et *femora* nigro-fusca, haec fusiformi-subcylindrica, compressa, apice picea. *Tibiae* et *tarsi* omnes picea. *Alae* obscure hyalinae, in disco infuscatae. *Antennae* apicem versus ita incrassatae, ut clava obsoleta septemarticulata praedita videantur.

Feminam mense Octobre prope *Sickershausen* sub foliis aridis deciduis non raram deprehendi. *Mas* non innotuit. In *Gallia Latreillius* legit. Num etiam in *Italia* inventa sit, citato supra allato dubio, dubium manet.

B. *Abdominis segmento secundo reliquis multo majore.*

GENUS XXIV.

EUCHARIS Latr.

Ab εὖ bene, et χάρις, quod gratum est vel placet. Ob colorem, puto, laetum et amoenum corporis.

Eucharis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 20 *n. CCCCL. Spin. Ins. Lig. Eucharidis specc. Fabr. Panz. Eucharis et Stilbula Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 149. *n.* 12 *et p.* 150. *n.* 17. *Cyniphis spec. Oliv. Fabr. Panz. Ichneumonis spec. Rossi. Chalcidis specc. Jurine.*

Antennae moniliformes, mediae fronti insertae, undecim- vel duodecimarticulatae, subaequales; scapo non elongato. *Alae* nervo subcostali costae medio juncto; ramulo stigmatico brevissimo, proxime ab apice enato, truncato. *Prothorax* brevis. *Abdomen* longe petiolatum, adscendens compressum; secundo segmento maximo. *Mandibulae* angustae, subsimplices, uncinatae. *Palpi* brevissimi; *maxillares* quadriarticulati; *labiales* triarticulati.

Character naturalis.

Clypeus brevis. *Labrum* transversum. *Mandibulae* angustae, arcuatae, simplices, apice acutissimo incurvo; interdum altera infra apicem unidentata. *Maxilla* brevissima, coriacea; *mala* membranacea, rotundata, integra.

Palpi maxillares mala paulo longiores, quadriarticulati, articulo secundo paulo longiori, extremo obtuso, breviori. *Mentum* angustum, corneum, acutum; *lingua* membranacea, obtusa, integra. *Palpi labiales* perbreves, triarticulati, linguam non excedentes, filiformes; articulis duobus inferioribus aequalibus, brevioribus, extremo longiori, tenuiori, obtuso. *Antennae* fronti mediae insertae, approximatae, breves, crassiusculae, apicem versus parum tenuiores, moniliformes, rectae (?) duodecim- vel undecimarticulatae; *scapus* brevis, flagelli primo articulo vix longior, sed crassior; reliqui *flagelli* articuli una cum *pedicello* breves, rotundato-transversi, contigui, glabri, subaequales, vel secundus saltem una cum primo longior; extremus obtusus.

Habitus. Quoad habitum universalem species hujus generis medium quasi tenent inter *Cyniphes* et *Pteromalinos*, eoque imprimis differunt, quod *abdomen*, per se quidem ad *Cyniphum* typum constructum, petioli ope longioris metathoraci adhaeret. *Statura* pro ordine non adeo parva. *Colores* laeti, aenei, virentesque. *Antennae* thorace paulo breviores, ratione longitudinis crassae. *Os*, praeter mandibulas, omnino reconditum. *Caput* thorace paulo angustius, versus pectus inclinatum; vertice obtuso; fronte lata, ad antennarum insertionem modice impressa. *Oculi* parvi, hemisphaerici, distantes. Thorax magnus, gibbus; *prothorace* brevi, angusto, humili, alarum originem non attingente; *medii thoracis* dorso elevato, ovato, distincte trilobo, lobo antico obovato-trigono, scapularibus magnis, oblique ovatis, tumidis. *Scutellum* magnum, gibboso-adscendens, obtusum acutumve, in altera specie bifidum. *Metathorax* sub scutello productus, devexus, dorso rotundatus. *Abdomen* ratione thoracis longum, metathoraci infero insertum; segmento petiolari angusto, postice paulo crassiori, teretiusculo, longo; reliquo abdomine compresso, a latere conspecto ovato, a petiolo adscendente, ventre retrorsum oblique adscendente; secundum segmentum maximum; reliqua perbrevia, in acumen adscendens conniventia. *Terebra* recondita, valvula brevi segmenti analis suffulta. *Pedes* structurae communis, graciles, femoribus subclavatis. *Alae* cuneiformes, praeter nervum subcostalem enerves, hoc trans mediam costam cum eadem conjuncto, brevique spatio post ramum stigmaticum brevissimum, apice incrassatnm, emittente.

De *sexus* differentia, *vitae ratione* et *metamorphosi*

nihil traditum invenio, nec quidquam ipse hac de re expertus sum, cum non nisi unum alterius speciei exemplum videre contigerit.

Adnot. E sententia cl. *Latreillii.* Diplolepariis ejus adscribendum est hoc genus, quo sequi videtur, insectorum galliparum more insecta haec vegetabilia vulnerare et avis cortici impositis gallas gignere. Sed terebra differre videbatur a reliquorum Cyniphum structura, meminimusque, etiam *Eurytomas* quasdam gallas gignere videri, cum potius aliis insectis, gallas inhabitantibus, ova applicare gestiant. Mirum tamen, gallas esse, quas, etiamsi frequentissimas omnium, nemo hucusque incola sua foetas invenerit, vel quomodo oriantur cognoverit. Ejusmodi sunt *Gallae illae foliorum Quercus lentiformes*, depressae, hirsutae, tum aliae *depresso-hemisphaericae* umbilicatae glabriusculae, tum aliae denique *subtrigonae*, marginatae, planae, disco tenui, quas nuper *Alexander Braunius*, juvenis dilectissimus summoque candore naturae studium amplexus, mihi monstravit.

Etiam *gallas* illas foliorum *Fagi* paginae superioris ovato-conicas acutas, laeves duriusculas cavas ex illorum numero esse contendo, tametsi bene sciam, jam a Linnei patris temporibus *Cyniphem Fagi* laudari, harum gallarum opificem, „*atram, immaculatam, alis ut in phalaena deflexis* sedentem, *Frischium*que citari hujus observationis testem. Quem quidem cum loco citato evolveris, et figuras ejus intuearis, non sine risu neque *gallam* invenies conicam in folio sessilem, laevem, sed *massam* pyriformem, minus regularem, substipitatam, ex eadem quidem pagina progenitam folii, at ejus neutiquam *Fagi*, sed *Ulmi*, Frischio ipso disertis verbis hoc declarante; neque *Cyniphem* omnino quemque, sed *Aphidem Gallarum Ulmi* Schranck. Faun. Boica. II. 1. p. 109. n. 1198.

1. Eucharis *adscendens* Latr.

E. viridi-aenea, nitida, scutello integro. *Mas. Fem.*

Synon. *Eucharis adscendens Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 210. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 20. *Panz. Krit. Rev. p.* 96. *Fabr. Syst. Piez. p.* 157. *n.* 1. *Spin. Ins. Lig. Fasc. I. p.* 62. *Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 149. *n.* 12.

Cynips adscendens Fabr. Mant. I. p. 251. *Ent. syst. II. p.* 100. *n.* 1. *Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXXVIII.* 18. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 77. *n.* 26.

Long. lin. 2½. Totum corpus punctatum, nitidum viridi-aeneum, glabrum, thoracis dorso parum coerulescente. *Antennae duodecimarticulatae*, vix ultra lobum mesothoracis anteriorem protrahendae, nigrae. *Mandibulae* piceae. *Scutellum* ovatum, elevatum, obtusum; in altero sexu, Panzero teste, acutum. *Abdominis* petiolus longitudine dimidii abdominis reliqui, declinatus, dorso subcostatus; reliquum abdomen compressum, a latere visum ovatum, a petiolo adscendens; primo segmento campaniformi-compresso, maximo, laevissimo; reliquis minutis, in conum adscendentem contiguis. Venter arcuatus, carinatus, ad anum oblique adscendens. *Coxae* colore corporis. *Pedes* pallide testacei, *femoribus* basi *unguibusque* fuscis. *Alae* hyalinae, parumper infuscatae, nervo subcostali punctoque rami stigmatici terminali fuscis.

Feminam vidi, scutello obtuso. *Mas* igitur secundum Panzerum differre videtur *scutello acuto.*

Habitat *Halae Saxonum*, e cl. *Hübneri* museo a *Fabricio* descripta. Gregariam fere in Populo tremula *Liguriae* occurrere, cl. *Spinola* l. c. refert.

2. Eucharis *cyniformis* Latr.

E. viridis, nitida, abdomine atro; scutello bifurcato. *Fem.*

Synon. *Eucharis cyniformis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 21.

Stilbula cyniformis Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 150. *n.* 17.

Ichneumon cyniformis Rossi. Faun. Etr. Mant. I. p. 125. *n.* 275. *II. tab.* 6. *fig. G.*

Long. lin. 2. *Caput* et *thorax* viridia, nitida. *Hypostoma* breve, sed latum. *Vertex* crasse punctulatus. *Thorax* ut in praecedente crassus atque gibbosus, grosse punctatus et interstitiis punctorum prominentibus scaber. *Scutellum* elevatum, prominulum, punctatum, apice bifidum, laciniis subulatis rectis. *Metathorax* apice attenuatus. *Abdomen*, cum petiolo consideratum, longitudine capitis et thoracis, a latere visum ovatum, laeve, atrum, nitidum, fornicatum, a petiolo reflexum; *petiolus* metathoraci infero insertus, angustus, teretiusculus, reliqui abdominis longitudine eidemque concolor. *Terebra* sub apice abdominis contracto penitus latens. *Pedes* lutei. *Coxae* corpori concolores; *ungues* fusci. *Alae* albo-hyalinae, puncto fusco ramum stigmaticum brevissimum terminante.

Legit *Florentiae* cl. *Rossius;* in *Liguria* cl. *Spinola.* Extra *Italiae* fines, quantum scio, nondum reperta est haecce species. De *mare* nihil mihi compertum est.

GENUS XXV.

SPALANGIA Latr.

Derivatio et sensus nominis me fugit.

Spalangia Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p. 228. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 29. *n. CCCCLVII; I. tab.* 12. *fig.* 7, 8. (*Mas.*) *Dalm. in Act. Holm. a.* 1820. *I. p.* 134. *n. V. tab.* 7. *fig.* 19, 20 (*caput feminae cum antenna et ala*), *fig.* 28 (*caput maris cum antenna*) *Pterom. Suec. p.* 3. *n. V. tab. I. fig.* 19, 20 *et* 28. *Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p.* 149. *n.* 13.

Antennae fractae, hypostomati infero insertae, undecimarticulatae; *scapo* elongato; *flagello* feminae apice crassiori, *maris* filiformi, articulis brevibus, extremo reliquis multo majore. *Alae* nervo subcostali costae ante medium conjuncto eandemque longo tractu comitante; ramo stigmatico trans mediam alam enato, brevi, tenui, truncato. *Caput* ovatum, nutans. *Prothorax* conico-attenuatus. *Abdomen* abrupte et longe petiolatum, planiusculum; secundo segmento maximo, ano acuto. *Terebra* recondita.

Mandibulae bidentatae. *Palpi maxillares* et *labiales* brevissimi, biarticulati.

Character naturalis in oris partibus non ulterius indagatus.

Habitus proprius, facilis cognitu. *Antennae* margini fere clypei insertae, longitudine capitis cum thorace, undecimarticulatae: *radicula* brevissima, latens; *scapus* altitudine frontis, lineari-lanceolatus, compressus; *pedicellus* brevis, obconicus; *flagellum* octoarticulatum, scapo vix duplo longius, recurvum, articulo primo (in femina) obconico, pedicello aequali longitudine, sed paulo crassiori, tum secundo ad septimum usque pateraeformibus, latitudine, minime au-

tem longitudine crescentibus, discretis, flagellum subperfoliatum exhibentibus; extremo denique articulo trium praecedentium simul computatorum longitudine pauloque crassiori, oblongo, obtuso, basi truncato. *Maris* antennae diversae, de quibus infra. *Caput* ovatum, nutans, latitudine manifesto altius; vertex latus, rotundatus; frons cum hypostomate confluens, plana, non interrupta. *Oculi* parvi, laterales, parum prominuli, ovati. *Thorax* cum *prothorace* et *metathorace* longior quam latior, *Prothorax* medio thorace angustior, ex ovato conicus, prominulus, unde caput a thorace collo distincto dimovetur, alarum originem basi ovato-dilatata non attingens. *Thoracis* medii dorsum planiusculum, segmento anteriori triangulari, postice truncato; scapularibus parvis. *Scutellum* parvum, obtusum. *Metathorax* productus, depressior, subquadratus, truncatus. *Pleurae* planae, humiles. *Abdomen* parvum, ovato-conicum, planiusculum, acutum; segmento primo fere lineari, longitudine circiter partis tertiae vel dimidiae abdominis; secundo segmento magno, subcampanulato; extremis in tubulum, terebram recondentem, contractis. *Pedes* breves, *femoribus* subclavatis. *Alae* hyalinae pubescentes, enerves; nervo subcostali e media alae basi orto, costam ante medium attingente, tum tractu quodam cum eadem junctim ultra mediam alam apicem versus procurrente, ramoque brevissimo obliquo tenui truncato emisso, mox desinente, neque ultra ramuli hujus apicem excurrente. *Color* corporis specierum cognitarum niger. Superficies punctulata pilisque raris adspersa.

Mas differt a femina: *antennis* gracilioribus pauloque tenuioribus: *radicula, scapus* et *pedicellus* ut in femina; *flagellum* aequale, fere filiforme, primo articulo longo, pedicello duplo saltem longiore, tum secundo ad septimum usque pedicelli longitudine, obconicis, aequalibus, altero latere paulo magis prominulis et flagellum quasi serratum constituentibus; extremo antecedentibus parum longiore, nec crassiore, oblongo, obtuso. *Anus* maris, ob tubulum deficientem magis obtusus.

Historia specierum paucarum, quae hoc genus constituunt, omnino obscura et incerta. Imago non admodum rara quidem, sed solitaria, sub foliis arborum umbrosis latitans, rarius in floribus reperitur. Sedet quieta folioque toto ventre appressa, donec motu vel aspectu hostis perterrita, celerrima pedum agitatione oculis sese subducit alteriusque folii aversam paginam petit.

1. Spalangia *nigra* Latr.

Sp. nigra, tarsis basi rufo-testaceis. *Mas Fem.*

Synon. *Spalangia nigra Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p. 228. Gen. Cr. et Ins. I. tab. 12. fig. 7, 8 (mas.) IV. p. 29. Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p. 167. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 149. n. 13. Dalm. in Act. Holm. a. 1820. I. p. 73. tab. 7. fig. 28 (caput maris cum antenna) et fig. 19 et 20 (feminae caput cum antenna et ala). Pterom. Suec. p. 7. tab. I. fig. eaedem.*

Long. lin. 1¾ — 2. Totum corpus atrum, nitore submetallico, punctulatum, pubescens, abdomine autem laevissimo, atro, magisque nitido. *Antennae* concolores, thorace paulo longiores; *scapo* longitudine dimidii flagelli. *Abdomen*, demto petiolo, ovatum, basi profunde impressum, caeterum planum, ano tubuloso-acuto. *Pedes* nigri, pilosuli; *tarsorum* solo primo articulo testaceo, eodemque reliquis longiori. *Alae* albidae, pilosulae, subciliatae, nervo subcostali ramuloque stigmatico cum costa nigris.

Mas praeter notas generaliores, supra allatas, feminae omnino congruus.

Cepi *mares* et *feminas* prope *Sickershausen* Aprili, tum frequentius Junio, Julio et Augusto mensibus, in foliis Pruni Cerasi horti, diversisque eos quidem vicibus in eodem frutice. Semel *marem* in floribus Anethi graveolentis horti deprehendi. In *Liguria* frequentem obviam esse, praesertim in stercore humano et in floribus umbellatarum, cl. *Spinola* l. c. refert. In *Gallia Latreillius* legit, in *Suecia Dalmanus.*

2. Spalangia *fuscipes.*

Sp. nigra, subcoerulescens, pedibus obscure fuscis. *Mas. Fem.*

Long. vix ¾ lin. Habitus omnino, punctura, pubescentia, cet. praecedentis, a qua quidem constanter differt: *statura* duplo minore; *colore* capitis et thoracis ad cyaneum vergente (*abdomine* tamen atro, ut in illo); *pedibus*que, praeter *coxas*, totis obscure fuscis, concoloribus, neque horum articulo basali distincte rufo.

Mas eodem modo, ac mas praecedentis, a femina sua differt.

Cepi *mares* et *feminas* plures consociatos in horto *Sickershusano*, Majo et Junio mensibus, sub foliis; semel etiam *marem* in floribus Euphorbiae Cyparyssiae, Majo mense, deprehendi.

GENUS XXVI.
HETEROLEPIS.

Nomen a ἕτερος, diversus et λέπις, squama, quod ultimo loco positum Diplolepidem quandam indicat, a solita structura aberrantem.

Antennae filiformes, fronti mediae insertae, undecimarticulatae, scapo brevissimo. *Alae* enerves, stigmate pone medium distincto, ramum rectiusculum emittente. *Prothorax* ovatus, prominulus. *Abdomen* abrupte petiolatum, transversim gibbosum, secundo segmento maximo. *Terebra* brevis, subexserta.

Genus distinctissimum sane, tametsi characteres plures desiderentur, cum duo tantum utriusque sexus individua invenerim, quae dissecare nolebam.

Quoad corporis structuram accedere videntur Heterolepides *Spalangiis*, sed facile tamen negotio distinguuntur. *Antennae* mediocres, fronti mediae inter oculos inseruntur, subrectae, filiformes, undecimarticulatae, parumper fractae; *radicula* brevissima, in foveola frontali recondita; *scapus* et *pedicellus* ovati, longitudine aequales, reliquis articulis antennae crassiores; *flagellum* octoarticulatum, articulis cylindricis, primo longitudine pedicelli, at tenuiori, secundo et tertio longioribus, tum quarto, quinto ad octavum usque magis manifesto longioribus sibique invicem subaequalibus. *Caput* transversum, verticale, vertice latiusculo planiusculo. Oculi hemisphaerici, distantes. *Prothorax* latitudine fere thoracis medii, sed antrorsum nonnihil productus, ovatus. *Thoracis* medii lobi distincti, convexiusculi. *Scutellum* parvum, obtusum, discretum. *Metathorax* productus, truncatus. *Pleurae* planae. *Abdomen* ratione thoracis parvum; petiolo brevi cylindrico metathoraci infero insertum; secundo segmento maximo, ut in *Perilampis* et *Eurytomis* quibusdam adscendens, quo pars illa abdominis quasi transversim gibbosa evadit; tum reliquis segmentis parvis, in acumen abdominis decrescentibus. *Pedes* mediocres, aequales, structurae solitae. *Alae* enerves, glabriusculae; nervus subcostalis costae fere parallelus, cum eadem ultra medium alae liber excurrit, tum brevi tractu ad eam reflexus, stigma coloris obscuri, magnum, ovatum format; ramus stigmaticus, e stigmate oblique versus postica ex-

currens, subincurvus gracilisque. Color niger. Punctura corporis subtilis.

Mas feminae quoad antennas simillimus, solo *abdomine* differt minus acuto, et colore pedum aliquantum diverso.

Habitat in sylvis. *Vitae* autem ratio et priores ejus gradus latent.

1. Heterolepis *nigra.*

H. atra, pedibus anticis luteis, femoribus basi nigris. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3/4. Corpus totum punctulatum, pilis parcis albidis adspersum, atrum, subnitidum. *Antennae* nigrae, longitudine capitis et thoracis dimidii. *Abdomen* thorace duplo brevius et angustius, atrum, laevissimum, nitidum; petiolus cylindricus, reliquo abdomine triplo brevior, striolatus; reliqua segmenta, simul considerata, ovata, gibba; venter rectiusculus. *Pedes* feminae nigri; *femoribus* apice lato spatio, *tibiis tarsis*que luteis. *Alae* hyalinae, nervis stigmatisque macula satis magna, ovata, atris.

Mas differt a femina: *mandibulis* et *palpis* pallide luteis, quae in illa picea; tum *tibiis* et *tarsis mediis* fuscis, *tarsis*que solis posticis e testaceo fuscis. *Tibiae* mediae basi paulo pallidiores.

Cepi *marem* mense Julio, *feminam* Augusto mense in Quercu prope *Sickershausen*, locis sylvaticis.

GENUS XXVII.

ANTEON JUR.

Nomen fictum videtur, nam ἀντέων ab ἀντέω, pro ἀντιάω, occurro, non quadrat.

Anteon Jur. Hymen. p. 302. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 35. *n. CCCCLXV.*

Antennae filiformes, hypostomati infero supra clypeum insertae, undecimarticulatae; scapo brevissimo. *Alae* areola brachiali completa baseos stigmateque pone medium distinctis, hoc nervum stigmaticum subincurvum abruptum emittente. *Prothorax* brevis, truncatus. *Abdomen* abrupte bre-

brevissimeque petiolatum, depresso-ovatum, segmento secundo maximo. (*Terebra* analis, recondita?)

Mandibulae tri-quadridentatae. *Palpi maxillares* sexarticulati, *labiales* tri- vel quadriarticulati.

Habitu satis accedit praecedenti generi, sed notis magis essentialibus bene distinctum genus videtur, tametsi, solis maribus adhuc cognitis, longius absit a vero certoque fundamento.

Antennae, non ut in praecedente genere, fronti mediae, sed hypostomati supra clypeum insertae, breves, undecimarticulatae; *scapo* curvo, pedicello paulo longiore; *flagelli* articulis subaequalibus, fere cylindricis, longis. *Mandibulae* latae, secundum Jurineum tridentatae, Latreilleo tri- vel quadridentatae. *Palpi maxillares* et *labiales* filiformes; illi longiores, sexarticulati; hi breviores, tri- aut quadriarticulati.

Caput rotundatum; vertice lato; fronte hypostomateque brevibus, latis, planiusculis. *Oculi* magni, laterales. *Prothorax* brevis, latitudine fere thoracis medii, ad alas reflexus. *Thorax* medius latior quam longior, convexiusculus, subaequalis. *Scutellum* discretum, magnum. *Metathorax* productus, ovatus, ultra scutellum satis excedens, rugulosus, apice truncatus. *Abdomen* thorace medio angustius, ovatum; primo segmento brevi, abrupte in petiolum brevissimum tenuem contracto et quasi truncato; secundo maximo, planiusculo, reliquis brevibus, in acumen anale decrescentibus. (*Terebrae* femineae structura non nota.) *Pedes* graciles, aequales, conformes. *Alae* cuneiformes; areola brachiali trigona, postice latiori, totam fere basin alae occupante, reliqua parte enerves subcubitali scilicet distincto, basi longe a costa remoto, eandem angulo petente, tum vero, areola brachiali circumscripta, in stigma latum, pone mediam costam situm, desinente; radius stigmaticus curvus, areolae radialis inchoatae indicia exhibet. Corpus laeve, nigrum, parvum.

De *Femina*, *victu*, *vitae ratione* et *metamorphosi* nihil constat.

1. Anteon *Jurineanum* Latr.

A. nigrum, nitidum, pedibus flavescentibus. *Mas.*
Long. lin. $1^1/_2$.

Habitat in *Gallia* et *Helvetia* (*Latreille Jurine*). *Femina* incognita.

Adnot. Exemplum unum, olim a me examinatum, haec, quae supra exposui, suppeditavit, neque plura descriptioni addere possum.

GENUS XXVIII.

CÉRAPHRON Latr.

Nomen a κέρας, cornu, et φέρω (φρέω), fero, ob antennarum eximiam proceritatem.

Ceraphron Latr. Gen. Cr. et. Ins. IV. p. 35. n. CCCCLXVI. Spin. Ceraphronis Divisio II. Jur. Hymen. p. 303. tab. 14 (Ceraphron bis).

Antennae fractae, hypostomati infero supra clypeum insertae, duodecimarticulatae; *scapo* elongato; *flagello* recurvo, aequali. *Alae* enerves, stigmate pone medium ovato, ramum curvum elongatum emittente. *Prothorax* brevis, truncatus. *Abdomen* abrupte brevissimeque petiolatum, ovato-conicum, compressiusculum, segmento secundo maximo. *Terebra* analis, subprominula.

Mandibulae bidentatae. *Palpi maxillares* quadriarticulati, *labiales* triarticulati. Sexus uterque alatus.

Habitus cognitu facilis, praecedentis fere generis, sed notis suis satis circumscriptus. *Corpus* breve, coactum, laeve, nigrum (in speciebus mihi notis). *Antennae* hypostomati infero supra clypeum insertae, duodecimarticulatae; *pedicellus* brevissimus, hypostomatis foveolae insertus, subprominulus, *scapus* (in femina praesertim) longus, capite altior, reliqua antenna crassior, subcylindricus; *pedicellus* longus, tenuis, obconicus; *flagellum* vel omnino aequale, vel apicem versus paulo crassius, scapo duplo saltem longius, recurvum, primo secundoque articulo longioribus, obconicis, plerumque tenuioribus, reliquis vel cylindricis et contiguis, vel brevioribus, obovato-subglobosis, extremo brevi acuto. *Caput* verticale, latitudine thoracis vel parum angustius; vertex latus, planiusculus, ocellis in triangulum dispositis approximatis; frons cum hypostomate verticalis, lata nec alta, convexiuscula. *Antennae* capite cum thorace in plerisque longiores. *Oculi* laterales, magni, ovato-subrotundi. *Prothorax* brevissimus, antice rotundatus, ad alas

reflexus. *Thorax medius* latior quam longior, parum convexus, subaequalis, lobis scapularibus minutis. *Scutellum* ovatum, obtusum, discretum, muticum. *Metathorax* scutello latior sed vix ultra hoc prominens, recta truncatus, ad latera rugosus, muticus. *Pleurae* humiles, planae, verticales. *Abdomen* capite cum thorace plerumque longius et latius, ovatum, conico-acuminatum, a latere paululum compressum; primo segmento basi quasi truncato et subito in petiolum perbrevem, subcylindricum, angustum, metathoraci infero adnatum, plerumque rugulosum transeunte, secundo maximo, subcampanulato, basi plerumque striolato, reliquis brevibus, lineari-transversis, in acumen abdominis decrescentibus. *Terebra* feminarum analis, plerumque in speciem apiculae exiguae prominula. Venter convexiusculus. *Pedes* aequales, conformes, tenues, *femoribus* subcylindricis, nunquam clavatis, nec dentatis. *Alae* subobscurae, omnino enerves, punctulis piligeris inspersae; nervus subcostalis costae parallelus eidemque approximatus, a basi ultra mediam alam pergit, quo costa hoc tractu crassior obscuriorisque coloris conspicitur; ubi costa haec communis desinit, in stigma ovatum, obliquum, satis magnum, obscurum tumet; ramus e stigmate originem ducens incurvus, haud procul ab alae apice desinit, areolamque radialem dimidiato-ovatam, postice apertam et incompletam describit. *Alae posticae* omnino enerves sunt.

Mares differunt: *antennarum flagello* ratione scapi et universi corporis longiori, articulis magis elongatis, in quibusdam sursum dentatim prominulis; *abdomine* obtuso.

De *vitae genere* et *metamorphosi* nihil constat. Imago sub foliis aridis deciduis sero autumno, aestate in floribus pratorum hortorumque obvia.

Adnot. Species apterae, quarum cl. Jurine l. c. meminit, ad genus sequens pertinent.

1. Ceraphron *Stigma.*

C. ater, tibiis basi tarsisque testaceis; flagello filiformi; alis albidis, stigmate magno atro. *Fem.*

Synon. *Ceraphronis sulcati aliud specimen. Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 168.

Long. lin. 1. *Antennae* longitudine capitis cum thorace, nigrae; *flagellum* scapo duplo longius, recurvum, filiforme, articulis omnibus cylindricis, anterioribus duobus solis paulo longioribus tenuioribus subobconicis, reliquis aequalibus. *Caput* latitudine thoracis, laeve, atrum,

nitidum. *Thorax* omnis ejusdem nitoris et coloris. *Abdomen* ex ovato conicum, basi vix striolatum, distinctius, quam abdomen reliquarum specierum, a latere compressum, laeve, nitidum. *Pedes* toti nigri, solis *tibiis* basi et *tarsis* testaceis; *unguibus* tamen nigris. *Alae* hyalino-albidae, macula stigmatis grossa, ovata, atra.

Feminam cepi Augusto et Octobre mensibus sub foliis aridis in terra prope *Sichershausen.* In *Liguria* cl. *Spinola* legit. *Mas* nondum inventus est.

2. Ceraphron *clandestinus.*

C. ater, tibiis anterioribus, posticis basi tarsisque testaceis; flagello filiformi, alis albidis, stigmate magno atro. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. A praecedente, cui satis similis est, differt: *statura* dimidio majore et *tibiis* anterioribus in utroque sexu totis testaceis. *Abdomen* basi obsoletissime striolatum, caeterum laeve. Reliqua ut in praecedente.

Mas, paulo minor, differt: *antennis* longitudine fere corporis; *scapo* flagello quatruplo breviore; *hoc* omnino filiformi, articulis cuneiformibus, aequalibus, apice infero junctis, unde flagellum sursum subdentatum, ciliatis, extremo articulo subcylindrico; *abdomine* breviori; convexiusculo, genitalibus masculis prominulis subapiculato.

Cepi *mares* et *feminas*, omni vere et aestate, Aprili, Julio et Septembre mensibus prope *Sickershausen* in terra, tam hortorum quam agrorum, sub foliis plantarum majoribus latentes.

3. Ceraphron *signatus.*

C. niger, nitidus, pedibus rufis; flagello valido, subaequali; abdomine basi sulcato; alis disco obscuris, stigmate subrotundo, nigro. *Femina.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Caput* latitudine thoracis, latius quam altius, annulo supra antennas impresso notatum. *Antennae* longitudine capitis cum thorace, nigrae; *scapo* longitudine dimidii flagelli; *flagello* scapi fere crassitie, fusco, subcylindrico, articulis cylindricis. *Thorax* antice convexus, lineolis tribus impressis notatus, uti caput et reliquus truncus laevis, niger, nitidus, glaber. *Metathorax* oblique rugosus. *Abdomen* capite cum thorace longius, thoraceque, ubi latissimus, latius, ovatum, parum compressum, convexiusculum, acuminatum, laevissimum, atrum, nitidum, basi, una cum petiolo brevissimo, striato-rugulosum.

Terebra vix manifeste prominens. *Pedes* rufi, *femoribus* obscurioribus, *coxis* et *unguibus* nigris. *Alae* cinerascenti-hyalinae, disco infuscato, nervo costali stigmateque magno subrotundo nigris; nervus radialis tenuis fuscus.

Feminam Junio et Julio mensibus in horto *Sickershusano* ad terram sub herbis humilibus cepi. *Marem* non inveni.

4. Ceraphron *sulcatus* Jur.

C. niger, nitidus, pedibus rufis; flagello gracili, basi attenuato; abdomine basi striato; alis obscuris, stigmate ovato fusco. *Mas. Fem.*

Synon. *Ceraphron sulcatus Jur. Hymen. tab.* 14. *fig. ultima. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 36. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 168.

Long. lin. 1$^1/_6$. Praecedenti similis, sed differt constanter: *antennarum flagello* graciliori, primis articulis praesertim tenuioribus et magis elongatis, colore etiam flagelli obscuriori et fere nigro, cum antennae *Ceraphronis signati* magis fuscescant; *capite* minore, suborbiculato, supra antennas depresso; *petiolo abdominis* evidentiori; *pedibus* pallidioribus, *femoribus* paulo saturatioris coloris; *alis* obscurioribus, stigmate minore ovato fusco (nebula obscura sub stigmate ut in illo). *Coxae* nigro-fuscae in utroque.

Mas feminae persimilis, differt: *antennis* longioribus; *flagello* filiformi, aequali, articulis omnibus cylindricis; *abdomine* non compresso, convexiusculo, ano obtuso; *pedibus* obscurioribus.

Feminam cepi mense Aprili in terra; *mares* Julio et Augusto mensibus in floribus Selini Oreoselini et in foliis Tiliae nemoris prope *Sickershausen.* In *Helvetia* cl. *Jurine* primus invenit; prope *Novas Italiae* praecl. *Spinola.*

5. Ceraphron *rufipes.*

C. niger, nitidus, scapo basi pedibusque totis rufis; flagello filiformi, aequali; abdomine basi substriato; alis disco obscuris, stigmate late ovato fusco. *Fem.*

Long. lin. 1. Structura et sculptura omnino *Ceraphronis signati*, sed minor. *Antennae* fuscae; *scapo* basi rufo; *flagelli* articulis omnibus cylindricis. *Totum* corpus laeve, nigrum et nitens. *Abdomen* ovatum, convexum; petiolo brevissimo, distincto tamen striatoque; secundo segmento maximo, basi substriolato, caeterum laevi, ad piceum co-

lorem vergente; ano acuto. *Pedes* cum *coxis* dilute rufi, immaculati. *Alae* subfuscae, stigmate late ovato (breviore quam in *Ceraphrone sulcato*) nervisque fuscis.

Cepi *feminam* prope *Sickershausen* in agris. *Marem* non vidi.

6. Ceraphron *fuscipes.*

C. niger, nitidus, antennis basi pedibusque rufis; femoribus posterioribus medio tibiisque posticis apice fuscis; flagello filiformi, aequali; abdomine basi substriato; alis subfuscis, stigmate subrotundo. *Mas. Fem.*

Long. vix lin. 1. A praecedente, cujus forte varietas, differt praesertim statura paulo minore et pedum diverso colore, in antecedentibus expresso. *Stigma alarum* quam in binis praecedentibus brevius et paulo crassius, minus tamen conspicuum, quam in *Ceraphrone* signato. *Coxae* basi fuscae, apice rufae.

Mas differt: *antennis* concoloribus, fere nigris; *flagello* longiori filiformi, *pedibus*que piceis, solis *tibiis tarsis*que basi rufescentibus.

Cepi marem cum *femina* die 21. Augusti a. 1812 in sepibus prope *Sickershausen.*

G E N U S XXIX.
CALLICERAS.

A καλὸς, pulcher, et κέρας cornu, ob antennas pulchras. *)

Ceraphronis specc. Jur.

Antennae fractae, hypostomati infero supra clypeum insertae, undecim-vel duodecimarticulatae; *scapo* elongato; *flagello* recurvo, aequali. *Alae* (ubi adsunt) enerves; stigmate nullo; ramo stigmatico pone mediam alam oriente elongato, curvo. *Prothorax* brevis, truncatus. *Abdomen* subsessile, ovatum, convexiusculum, secundo segmento maximo. *Terebra* analis, recondita.

Mandibulae bidentatae. *Palpi* maxillares quadriarticulati, *labiales* biarticulati.

Feminae plurium *apterae.*

---

*) καλλίκερως scribendum fuisset, sed retinuimus terminationem in as, quo magis latinae linguae sono responderet.

Habitus omnino fere praecedentis generis. *Antennae* supra clypeum insertae, duodecimarticulatae, rarius undecimarticulatae; *scapus* fronte altior, validus; *flagellum* crassitie aequali, primo articulo obconico, *pedicello*, per se quidem satis conspicuo, longiori, reliquis subcylindricis vel obconicis, longitudine et diametro apicem versus paululum crescentibus; paucissimis, transversis et apicem versus distinctius amplificatis. *Palpi maxillares* exserti, quadriarticulati, articulis duobus inferioribus brevissimis, tertio et quarto elongatis, hoc subclavato. *Palporum labialium* articuli duo aequales; tertio forsan ad basin brevissimo accedente. *Capitis* et *thoracis* structura omnino, qualis in *Ceraphronibus*. *Scutellum* ovatum, inerme. *Metathorax* infra scutellum declivis, truncatus, ad latera ejusdem prominens, rugosus et saepe spinis duabus seu denticulis adscendentibus munitus. In speciebus hemipteris vel apteris thoracis et scutelli fines minus circumscripti, et thoracis massa fere continua, subrectangula. *Pleurae* planae. *Abdomen* ovatum, nec compressum, dorso modice convexum, metathoraci petiolo adeo brevi et inconspicuo affixum, ut eidem lata basi innatum videatur; primo segmento brevi, secundo maximo, laevi, reliquis ut in *Ceraphronibus* brevissimis, transversis, in acumen anale decrescentibus. *Venter* convexus. *Terebra* feminarum analis, non prominens. *Pedes* validiusculi, aequales, femoribus satis crassis, in aliis ob basin tenuem subclavatis. *Alae*, ubi perfectae, omnino *Ceraphronum* demto stigmate, scilicet obscuriusculae, pubigerae; nervus subcostalis costae a basi parallelus, eidemque approximatus, ultra mediam alam pergit, quo costa hoc tractu magis conspicua crassiorque fit; tum, nervulo subcostali subito desinente, costa tenuior restat, eodemque loco, nullo stigmatis callo interjecto, ramulus stigmaticus subtilis oritur, incurvus satisque longus, ut areolae radialis incompletae semiovatae indicia praebeat. Alae posticae nervis omnino carent.

Feminae aliae *alis* tantum mutilis instructae sunt, nervis vix conspicuis instructae; aliarum specierum feminae *alis* omnino destitui videntur. *)

---

*) Cl. *Jurine*, qui, uti jam dictum est, Ceraphroni generi *Callicerates* nostras inseruit, circa haec sententiam suam his verbis declaravit (p. 304): *La plupart des ceraphrons femelles sont aptères; mais on les distinguera toujours aisément des autres hyménoptères sans ailes, par la longueur du prémier*

Colores corporis, plerumque laevis et nitiduli, nigri vel rufi, variove modo mixti.

Mares, pro more, *flagello antennarum* longiori, magis filiformi, articulisque utplurimum cylindricis aequalibus pubescentibus exstructo, tum *ano* rotundato *abdomine*que in universum breviori distinguuntur.

De *Methamorphosi* et *vita* nihil liquet.

1. Calliceras *bispinosa.*

C. alata, rufa, antennis, metathorace abdominisque dorso nigris. *Fem.*

Long. lin. 1⅛. *Antennae* corporis longitudine, nigrae, hypostomati infero insertae; *radicula* brevissima, tenuis, exserta; *scapus* fronte altior, crassus, basi oblique cum radicula conjunctus, in medio aliquantum constrictus, subcylindricus; *pedicellus* obconicus; *flagelli* elongati articulus primus obconicus, pedicello longior, reliqui articuli subcylindrici vel obconici, breves, versus apicem antennae longitudine et crassitie parumper crescentes. *Caput* laeve, rufum, *oculis* nigris. *Prothorax* distinctus, antice rotundatus, laevis, rufus, puncto medio dorsali nigro notatus. *Thorax* medius convexiusculus, subaequalis, laevis, rufus. *Scutellum* ovatum, obtusum, convexum, laeve, thoraci concolor. *Metathorax* rugosus, niger, infra scutellum utrinque unidentatus. *Abdomen* sessile, ovatum, acutum, convexiusculum, laeve, dorso nigrum, ventre rufo. *Terebra* non exserta. *Pedes* validi, toti rufi, *unguibus* fuscis. *Alae* subobscurae, macula indeterminata disci fusca. *Feminam* unam cepi die 2. Novembris a. 1808 in Pino sylvestri sylvae prope *Sickershausen.* *Mas* latet.

---

anneau de leurs antennes. J'ai lieu de soupçonner que quelques-unes de ces femelles perdent leurs ailes, comme les fourmis, après la saison de l'amour, en ayant vu qui portaient encore des restes de ces parties; quoiqu' il en soit, toutes les femelles ne sont pas dans ce cas; et il y en a qui naissent décidément aptères, puisqu' on ne peut découvrir dans leurs corselet aucune trace de l'insertion des ailes. Y aurait-il parmis elles des ouvrières?

Longus equidem absum, quin isti sententiae accedam. Quas enim mutilis alis observavi feminas, earum alae omnes ut in *Encyrtis* hemipteris integrae videbantur, minimae quidem, sed nusquam lacerae vel disruptae. Operarias autem iis esse, dubito, cum vitam sociatam non agant, sed sparsae vagentur.

2. Calliceras *sulcata.*

C. alata, nigra, scapo antennarum pedibusque testaceis; flagello filiformi; abdomine basi sulcato. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3/4. Statura omnino *Ceraphronis sulcati*, sed hujus generis. Corpus totum laeve, nigrum, nitidum. *Caput* thorace paulo angustius. *Antennae* longitudine dimidii corporis, nigrae; *scapo* fronte altiore, testaceo, valido; *flagelli* structura ut in praecedente. *Thorax* cum *scutello* et *metathorace* niger, immaculatus. *Metathorax* inermis. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, ovatum, convexum, laeve, basi vix petiolatum, ibidemque aliquando rufescens; secundo segmento antice striolato. *Pedes* pallidi, *unguibus* fuscis. *Alae* obscure hyalinae, immaculatae.

Cepi *marem*, *abdomine* obtuso et *antennis* paulo longioribus distinguendum, Augusto mense ad Salicum radices; *feminam* Martio et Octobre mensibus iisdem in locis prope *Sickershausen* inveni.

3. Calliceras *fuscicornis.*

C. alata, nigra, antennis fuscis, pedibus piceis geniculis tarsisque pallidis; antennarum flagello filiformi; abdomine basi striolato. *Mas. Fem.*

Long. lin. 3/4. *Antennarum* flagellum crassiusculum, capite cum thorace paulo brevius, una cum scapo nigrofuscum. *Corpus* nigrum, laeve, nitidum, forma omnino ut in praecedente. *Scutellum* breve, ovatum, margine elevato cinctum. Abdomen basi striolatum. *Pedes* fusco-testacei, *femoribus tibiis*que medio, *unguibus*que fuscis. *Alae* obscure hyalinae.

Mas differt: *antennarum flagello* longiori filiformi, cunctis articulis cylindricis aequalibus; *pedibus* obscurioribus, nigro-fuscis, *geniculis anterioribus, tibiis posticis* totis *tarsis*que pallidioribus.

Cepi *marem* Augusto mense in humidis nemorosis ad terram; *feminam* Aprili et Septembre mensibus in ripis fossulae horti mei *Sichershusani.*

4. Calliceras *inflata.*

C. alata, nigra, antennis fuscis, pedibus piceo-rufis, femoribus fuscis; antennarum flagello filiformi; abdominis ovati secundo segmento vesiculoso-gibbo, basi laevi. *Fem.*

Long. lin. 2/3. Statura omnino praecedentis. *Antennarum flagellum* fere filiforme, articulo primo subobconico,

pedicello paulo breviore, articulis secundo et tertio subcylindricis latitudine paulo longioribus, reliquis longitudine et diametro fere aequalibus, paulo validioribus, cylindricis, extremo ovato acuto. Corpus nigrum. *Caput* vertice depressiusculo; lineola frontis excavata. *Palpi* exserti, pallidi. *Thorax*, cum scutello, opacus, punctulatus. *Metathorax* rugulosus, spinulis duabus adscendentibus sub scutello armatus. *Abdomen* sessile, ovatum, laevissimum, nitidissimum, secundo segmento maximo, in medio dorso in gibbum obtusum rotundatum, vesicam seu bullam referentem, elevato; reliquis segmentis in acumen anale decrescentibus. *Terebra* recondita. *Coxae* nigrae. *Pedes* piceo-rufi, *femoribus* fuscis, apice piceo-rufis. *Ungues* fusci. *Alae* obscurae.

Cepi *feminam* in Hypno cochlearifolio die 21. Octobris a. 1812. locis inundatis prope *Sickershausen*. *Mas* nondum cognitus est.

5. Calliceras *perfoliata*.

C. alata, nigra, antennis nigro-fuscis, flagello subperfoliato, abdomine pedibusque nigro-piceis, tarsis pallidis; abdomine ovato, basi substriato. *Mas. Fem.*

Long. lin. $^1/_3$—$^1/_2$. Statura praecedentium; sed multo minor. *Antennae* undecimarticulatae, nigro-fuscae; *scapus* fronte altior, cylindricus; *pedicellus* obconicus, longus; *flagelli* articuli tres anteriores globosi subaequales, reliqui transversi subaequales pateraeformes, ad septimum usque crescentes, octavus denique magnus, ovatus. *Caput* et *thorax* nigra, laevia, subnitida. *Abdomen* ovatum, aequale, acutum, laeve et *pedes* piceo-nigra. *Tibiae anticae* apice et *tarsi* pallidiores. *Alae* villosulae, obscure hyalinae.

Mas differt a femina solis *flagelli* filiformis pallidioris et longioris articulis omnibus subovalibus magisque discretis, tum *abdomine* minus acuto.

Cepi *mares* et *feminas* in fruticibus diversis nemorum prope *Sickershausen*.

6. Calliceras *hemiptera*.

C. subaptera, nigra, laeviuscula; abdomine subrotundo; antennarum scapo pedibusque totis rufis. *Fem.*

Long. lin. $^3/_4$. Corpus laeviusculum, nigrum, concolor. *Antennae scapo* longo crasso subcylindrico testaceo, *flagello* nigro-fusco subfiliformi, articulis subcylindricis. *Thorax* pubescens, magis opacus. *Abdomen* subrotundum,

planiusculum, nitidum, ano acuto reflexo. *Terebra* recondita. *Pedes* toti (cum coxis), saturate rufi, *unguibus* fuscis. *Alae* minutae, incumbentes, haud ultra segmentum primum abdominis protensae, halteriformes, angustae, basi cuneatae, apice rotundatae, albidae, omnino enerves; alae posticae nullae.

Cepi *feminam* die 7. Aprilis a. 1808 sub muscis prope *Sickershausen.* De *mare* nihil constat.

7. Calliceras *brevipennis.*

C. subaptera, nigra; thorace abdominisque basi rugulosis; abdomine ovato; antennarum scapo pedibusque totis rufis. *Fem.*

Long. lin. 1. A praecedente differt: *statura* minore, *thorace abdominis*que ovati planiusculi basi distincte rugosiusculis, tum *pedibus* validis quidem, sed femoribus *minime* clavatis, sed potius dilatatis. *Antennae* structurae ut in praecedente, *scapo* testaceo, *flagello* fusco. *Thorax* vix pubescens, cum capite et abdomine niger, nitidus. *Pedum* color saturate rufus, *coxis* concoloribus; *ungues* fusci. *Alae* omnino ut in praecedente, minutae, cuneiformes, obtusae, enerves, albidae, ad basin abdominis paululum extensae.

A *Callicerate cursitante* (n. 9), praeter alarum praesentiam, vix distinguenda.

Cepi unum exemplum, *feminei* sexus, die 3. Junii a. 1812 in sylvis prope *Sickershausen* ad terram. *Mas* non innotuit.

8. Calliceras *thoracica.*

C. subaptera, nigra, laevis, thorace abdominisque basi piceo-rufis, scapo antennarum pedibusque totis rufis. *Fem.*

Long. lin. $^{3}/_{4}$. Corpus laeve, nitidulum. *Antennae* filiformes, fuscae; *scapo* crasso, cylindrico, elongato, testaceo. *Thorax* subpubescens, piceo-rufus, rugulosus. *Abdomen* ovatum, basi rugulosum, piceo-rufescens, reliqua parte laeve, nigrum, nitidum, ano acuto. *Pedes* cum *coxis* saturate rufi, *unguibus* fuscis. *Alae* minutae, cuneiformes, albidae, ut in praecedentibus.

Cepi *feminam* Majo mense in Quercu prope *Sickershausen.* *Mas* non notus est.

Variat:

β. thoracis dorso nigricante, *abdomine* basi latiori spatio rufo. *Fem.*

Cepi feminam hanc Septembri mense prope *Sickershausen* in dumetis.

9. Calliceras *cursitans.*

C. aptera, nigra, antennarum scapo pedibusque rufis. *Fem.*

Long. lin. 1. *Callicerati brevipenni* (n. 7) statura et magnitudine persimilis. *Scapus antennarum* elongatus, subcylindricus, rufus; *flagellum* apice paulo crassius, recurvum, fuscum, articulis obconico-cylindricis. *Caput* laeviusculum, nigrum, ore piceo. *Thorax* subrectangulus, dorso planiusculo, niger, rugulosus. *Scutellum* breve, minus quam in praecedentibus discretum. *Metathorax* truncatus, rugulosus, thoraci concolor. *Abdomen* subsessile, ovatum, acutum, planiusculum, nigrum, magis nitidum, primo segmento secundoque basi rugosulis. *Pedes* validi, toti rufi, *femoribus* non clavatis, sed crassiusculis. *Alae* omnino nullae, neque puncti insertionis earundem vestigia.

Cepi *feminam* unam die 12. Maji a. 1808 in terra horti mei *Sickershusani*. *Marem* non vidi.

Varietas:

β. Abdomine basi rufo. *Fem.*

Capta iisdem in locis, die 27. Maji a. 1810.

10. Calliceras *nana.*

C. aptera, rufa, antennarum flagello, capite abdominisque apice nigris. *Fem.*

Long. lin. $1/3$ vix. *Antennae* supra os insertae; *scapo* valido, rufo; *flagello* apice paulo crassiori, recurvo, nigro, articulis subcylindricis. *Caput* latitudine thoracis, fronte convexa, laeve, nigrum, ore rufo. *Thorax* subcubicus, cum scutello confluens, subcontinuus, rufus, laeviusculus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, vel paulo longius, thorace latius, subsessile, ovatum, planiusculum, laevissimum, rufum, segmento secundo maximo, reliquis in tubulum fere decrescentibus, nigris vel fuscis. *Terebra* non conspicua. Corpus subtus et *pedes* toti rufi, hi validi, *femoribus* attamen minime clavatis. Alae omnino nullae.

Cepi *feminam* Martio et Aprili mensibus ad radices truncorum sub muscis collis aprici quidem, sed humidi, rivuloque vicino irrigati, prope *Sickershausen*. *Mas* non occurrebat.

Adnot. Citissime currit haec species, antennasque tremulo motu vibrat.

GENUS XXX.
TÉLEAS Spin.

An a τέλεος integer, maturus? sed ratio nominis non apparet.

Teleas Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 150. n. 16. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 32. n. CCCCLXIII (pro sua parte). Scelidius Latr. spec. Hist. nat. des Cr. et des Ins. Ichneumonis specc. Lin. Vill. De Geer, Götze, Schrank, Fabr. Crypti spec. Fabr.

Antennae fractae, hypostomati infero supra clypeum insertae, duodecim-vel tredecimarticulatae, *scapo* elongato; *flagello* (feminae) recurvo, apice abrupto-clavato. *Alae* (paucis deficientes), enerves; stigmate nullo; ramulo stigmatico distincto, recto, paulo ante mediam costam vel ex ejusdem medio prodeunte.

Prothorax brevis, transversus, declivis. *Abdomen* sessile, basi paulo angustius, segmentis duobus anterioribus majoribus, extremis subreconditis. *Terebra* annalis, recondita vel apiculiformis. *Mandibulae* bidentatae. *Palpi maxillares* triarticulati; *labiales* biarticulati.

Mas antennis apice moniliformibus, tredecimarticulatis.

Habitus. Insecta parva, nigra, plurima e minimis hujus familiae, coloris atri, abdomine varie punctulato, striolato, vel laevi; statura brevi. *Antennae* hypostomati infero prope clypeum insertae, pro sexu diverso duodecim-vel tredecimarticulatae, ratione corporis in utroque sexu longae et fortes, in femina tamen fortiores et breves; *radicula* exserta, obconica; *scapus* (in femina) frontis altitudine, subcylindricus, paululum arcuatus; *pedicellus* obconicus, satis conspicuus; *flagellum* novem-vel decemarticulatum, articulis quinque vel septem exterioribus brevibus, transversis, satis contiguis, clavam fusiformem subperfoliatam constituentibus, tribus, quatuor vel quinque anterioribus distincte tenuioribus, paulo longioribus et magis discretis, subclavatis, oblongisve, forma in aliis alia. *Caput*

thorace latius; *hypostomate* concavo, brevi, reclinato; *fronte* inter oculos transversa, planiuscula, marginibus oculorum utrinque ad latera frontis et hypostomatis tumentibus rotundatis; *vertice* lato, planiusculo, ocellis parum distinctis, in triangulum dispositis; *occipite* late excavato, margine verticali arcuato acuto. *Oris* partes reconditae. *Oculi* non adeo magni (saltem in plerisque), ovato-subrotundi, parum prominuli. *Prothorax* brevissimus, thorace humilior eundemque limbi ad instar semilunaris cingens, alarum originem non attingens, saepe in occipitis cavitate ita reconditus, ut caput medio thoraci conjunctum videatur. *Thoracis medii* dorsum elevatius, convexum, aequale, neque in lobos distinctos divisum, ante scutellum plerumque lineolis duabus impressis abbreviatis subparallelis notatum. *Scutellum* breve, semicirculare, linea impressa recta a thorace discretum, obtusum; rarius magis ovatum, acutum et prominens. *Metathorax* infra scutellum depressior, brevis, truncatus, rugosus, angulo utrinque prominens. *Abdomen* capite cum thorace vix unquam longius, nec thorace medio latius, e basi paulo angustiori obovatum vel obcordatum, rarius ovatum, dorso planum vel convexiusculum; primo segmento breviori, secundo maximo, totum fere dorsum abdominis constituente, in medio vel pone medium saepe plica transversali subdiviso, hoc (cum primo) vel laevi, vel varie punctulato marginatove, opaco, margine autem postico semper laevissimo nitido; reliquis segmentis brevissimis, laevibus, magis minusve sub secundum segmentum retractis. *Terebra* feminae analis, vel omnino latens, vel brevissimae apiculae specie prominula. Venter totus fere lamina secundi segmenti convexa scutatus, laevissimus. *Pedes* non validi; *coxae* breves; *femora* solitae structurae, e cylindraceo compressa, tenuia, non clavata; *tibiae* satis longae, apice paulo crassiores, muticae; *tarsi* longi, primo articulo elongato, reliquis brevibus. *Alae* abdomine longiores, arcte incumbentes, pilosulae, plerumque opacae, enerves. Anticae nervo subcostali conspicuo, costae subparallelo et ante medium ejus, vel brevi post, vel in ipso medio, costae conjuncto, nullo stigmatis vestigio in hac parte conspiciendo; ramus stigmaticus, e puncto conjunctionis costae cum nervo subcostali ad angulum 45° egrediens, satis longus, sed tenuis, rectus, aequalis. Paucae (an specie diversae?), apterae inveniuntur feminae.

Mares differunt a feminis: *antennarum scapo* breviore, *flagello* elongato, in multis corpus fere aequante, filiformi,

articulis anterioribus magis elongatis, posterioribus tot, quot in femina clavae exstruendae inserviunt, subglobosis, nec vero incrassatis, sed in quibusdam potius tenuioribus, extremum antennae moniliforme exhibentibus; *abdomine* magis obtuso, saepe autem genitalium prominentium apice muriculato, ut de sexu dubitari possit.

Metamorphosis in ovis insectorum, praesertim Lepidopterorum, et Cimicum, quibus ova imponentem matrem solus, quod sciam *Zinannius* olim observavit. Imagines vel solitariae, vel sociatae, ex eodem ovo exeunt, foramine parvo orbiculari prope verticem facto. E Galla *Cyniphis* cujusdam exclusum *Teleadem truncatum* ipse observavi. Rarius in floribus, frequentes autem sub foliis dejectis autumnali tempore inveniuntur.

Adnot. *Ichneumon ovulorum* Lin. horum plerorumque typus, quo nomine apud veteres plurimae *Teleadum* species commiscentur.

1. Teleas *phalaenarum.*

T. alatus, niger, subpubescens, antennarum clava distincta quinquearticulata; abdomine planiusculo, truncato, opaco, ano laevi; geniculis tarsisque pallidis. *Mas. Fem.*

Synon. *Ichneumon ovulorum, non nihil diversus; ex ovis phalaenarum, omni pulice minor, toto corpore ater.* Lin. *Faun. Suec. ed.* 2. *n.* 1644. *Götze in ed. Germ. operis Geeriani, I.* 4. *p.* 39. *Not.* **. *Schrank En. n.* 761. *Beiträge zur Naturgesch. p.* 46. §. 2. *tab.* 2. *fig.* 13. *a.*

Long. vix ½ lin., saepe ⅓ lin. Structura omnino ea, quae in praecedentibus describitur. *Antennae* corporis fere longitudine, nigrae, clava distincte quinquearticulata, articulo extremo brevi acuto. *Corpus* totum nigrum. *Thorax* subpubescens, subopacus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, obovatum, planiusculum, primo secundoque segmento subtilissime punctulatis, subopacis, ano retuso, nitido. Venter nitidissimus. *Terebra* et *genitalia mascula* in parvam apiculam prominent. *Coxae* nigrae. Pedes piceo-nigri; *tibiae anticae* fere totae, *posteriores* basi et *tarsi* pallide testacea; *ungues* fusci. *Alae* obscure hyalinae.

Mas differt a femina: *antennarum flagello* fere filiformi, decemarticulato, magis elongato, articulis extremis magis distantibus, oblongiusculis.

Habitat praesertim in ovis *Phalaenarum* (*Linneus*, l. c.); *Gastropachae Custrensis* (*Goetze* l. c.); *Cimicum* (Schranck l. c.). Ex ovis Phalaenae cujusdam, foliis Salicis acuminatae adglutinatis, immensa copia *marium* et *feminarum* hujus speciei mihi exclusa est *Sickershusi*, diebus 6. et 7. Julii a. 1809. Similem proventum, ex ovis ovalibus griseis punctoque verticali nigro notatis, folio Populi dilatatae glomerulo affixis, ostiolis singulis juxta verticem orbicularibus factis examinantem, in collectione cl. *Geyer*, *Carlsruhensis*, vidi. *) Utriusque sexus exempla legi *Sickershusae*, Majo, frequentiora autem Augusto, Septembre et Octobre mensibus sub foliis in terram dejectis, locis sylvaticis.

2. Teleas *pumilio.*

T. alatus, niger, pubescens, antennarum clava distincta, quinquearticulata, articulis contiguis; abdomine planiusculo, obovato, substriato nitido; pedibus rufis. *Fem.*

Long. lin. ⅓, vix ½. Structura praecedentis, a quo differt: *antennarum* clava magis coarctata, *abdomine* substriato nitente, *pedibus*que rufis. Corpus distincte pubescens, praeter *pedes* atrum. *Alae* obscure hyalinae.

Feminam mense Novembri a. 1809 in cadavere Carabi cujusdam prope *Sickershausen* deprehendi. Tum vero alia ejusdem speciei exempla, *feminei* et ea sexus, Augusto mense aliis in locis sub foliis in terram dejectis collegi. *Mas* non declaratus.

3. Teleas *Linnei.*

T. alatus, niger, subpubescens; antennis fuscis, clava quinquearticulata, parum incrassata; abdomine planiusculo, obovato, basi subsulcato; pedibus rufis, femoribus in medio fuscis. *Mas. Fem.*

Synon. *Ichneumon ovulorum Lin. Syst. Nat. II. p.* 945. *n.* 73. *Faun. Suec. n.* 1644. *Vill. Ent Lin. III. p.* 209. *n.* 241. *Fabr. Syst. Ent. p.* 123. *Ent. syst. II. p.* 189. *n.* 234. *Müll. Faun. Fridr. p.* 71. *n.* 624.

Cryptus ovulorum Fabr. Syst. Piez. p. 91. *n.* 92.

Der Ichneumon in den Eiern der Schmetterlinge. De Geer. Ins. ed. Germ. I. 4. *p.* 38. *tab.* 35. *fig.* 8 — 13. *Der*

*) Ex iisdem oculis *Encyrtus gravis* (p. 233. n. 36) prodiit.

Der Eyerbrüter. *Müll. Syst. Nat. Lin. V.* 2. *p.* 861. *n.* 73.

Long. lin. $^3/_4$. Praecedentibus dimidio, et saepe duplo fere major. *Statura* omnino eadem. Corpus nigrum, parum pubescens. *Antennae* feminae corporis fere longitudine, fuscae; *scapo* frontis altitudine; *flagelli* inferioribus articulis paulo magis elongatis, quam in illis, clava quinquearticulata, articulis subglobosis, parum a praecedentibus quoad crassitiem diversis, tamen distinctis. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, obovatum, ano rotundato, planiusculum, laeve, nitidulum, basi subsulcatum. *Terebra* analis, recondita. *Coxae* nigrae. *Pedes* caeterum rufi, *femoribus* omnibus in medio, *unguibus*que fuscis. *Alae* obscure hyalinae, nervo stigmatico e media costa prodeunte.

Mas feminae similis, praeter *antennas*, quae longiores sunt, et pro more reliquorum apice moniliformes, neque clavatae.

Habitat in ovis *Lepidopterorum* (Linneus l. c.). Ex ovis hemisphaericis, albo-cyanescentibus, puncto verticis nigro notatis, paginaeque inferiori folii Salicis Capreae densa caterva agglutinatis, die 17. Julii, foramine rotundo juxta verticem facto, *Geerus* singulos hujus speciei *Teleades* prodire vidit. Ego Septembre et Octobre mensibus sub cortice arborum in sylvis et dumetis, vel sub foliis dejectis, prope *Sickershausen* *mares* et *feminas* inveni.

V a r i a t:

β. *Ano* emarginato, ob segmenta postica magis retracta. *Mas.*

Cepi mense Aprili in sylvis prope *Sickershausen.*

A sequente, cui forma abdominis accedit, differt: *statura* angustiori, *pedibus* paulo pallidioribus, *alis* hyalinis, *habitu*que quodam, difficulter verbis exprimendo, infirmiori.

4. Teleas *truncatus.*

T. alatus, niger, pubescens; antennis fuscis, clava quinquearticulata subincrassata; abdomine planiusculo, obovato, apice retuso, basi striato; femoribus apice, tibiis tarsisque rufis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $^3/_4$. A praecedente, cui adeo similis, ut primo intuitu varietas ejus videri possit, constanter differt: *statura* robusta, latiori; *abdomine* tam in feminis, quam in maribus, semper apice retuso vel potius truncato, medio emarginato, et parva apicula, e genitalibus vel femineis vel masculis, parumper prominulis constante, munito, laevissimo nitidissimoque, basi distincte striolato; *femoribus* nigro-

fuscis, solis apicibus, tum *tibiis tarsis*que rufo-testaceis; *alis* pure hyalinis, nec obscuris.

Mas differt: *antennis* paulo longioribus, testaceo-fuscis, articulis extremis minime incrassatis.

Provenit mihi *mas* e Galla *Cyniphis Quercus Gemmae, Sickershusae*, die 28. Julii a. 1809; tum *feminas* et *mares plures*, Februario, Majo et Augusto mensibus ibidem locis nemorosis sub foliis dejectis vel in fruticum foliis legi.

5. Teleas *semistriatus.*

T. alatus, niger, pubescens, obscurus; antennarum clava mediocri, subsexarticulata; abdomine ovato, convexo, striolato, ano nitido; femoribus apice, tibiis tarsisque rufis. *Fem.*

Long. lin. $^3/_4$. Corpus ovatum, statura praecedentium breviore, coacta. *Corpus* totum nigrum, punctulatum, pubescens, opacum. *Antennae* corporis fere longitudine; *flagello* apicem versus sensim crescente, sex ultimis clavam lanceolatam conformantibus, satis contiguis, quorum anteriori a praecedentibus haud admodum distincto et parum crassiori. *Caput* thoraci arcte applicatum, ejusdemque latitudine; *oculi* satis magni. *Thorax* antice tumidulus, convexus, aequalis, pube adpressa canescens. *Abdomen* thorace paulo longius, ovatum, convexum, apice rotundatum, nigrum; segmento primo brevissimo, serie punctorum transversali a secundo segmento discretum; hoc maximum, basi striatum, postice laevissimum; reliqua segmenta brevissima, laevissima. *Coxae* nigrae; *trochanteres* et *femora* fusca, haec apice rufo-testacea; *tibiae* et *tarsi* rufo-testacea; *ungues* fusci. *Alae* obscure hyalinae.

Feminam cepi die 4. Julii mensis a. 1810 prope *Sickershausen.* De *mare* nihil constat.

Adnot. A praecedentibus ad sequentem speciem, forma corporis coacta et abdomine magis convexo viam monstrat.

6. Teleas *muscaeformis.*

T. alatus, niger, pubescens, opacus; antennarum clava parum incrassata, sexarticulata, abdomine ovato, convexo, segmentis quatuor basi punctatis opacis; tibiis tarsisque rufis. *Fem.*

Long. lin. 1. Statura crassa, brevis, muscam minutam referens. *Antennae* corpore paulo breviores, nigrae;

scapo elongato; *flagello* gracili, clava distincta quidem, tametsi non multum incrassata, ex articulis sex sublenticularibus contiguis constans. *Caput* thorace fere latius eidemque valde contiguum, nigrum, pubescens, opacum. *Oculi* magni, ovato-subrotundi. *Thorax* brevis at latus, gibboso-convexus, aequalis, niger, pubescens, opacus. *Scutellum* magnum, rotundatum, concolor. *Abdomen* thoracis longitudine, sessile, ovatum, obtusum, convexum, nigrum; segmentis quatuor anterioribus subaequalibus, basi punctulatis pubescentibus obscuris, margine postico tenui depresso laevi et nitido; reliquis segmentis retractis vix conspicuis. *Venter* convexiusculus, laevis, cum *pectore* et *pleuris* niger, nitidus. *Pedes* aequales, breviusculi, nigri, *tibiis* et *tarsis* rufis, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae; ramo stigmatico brevi ante mediam alam oriente.

Feminam cepi Augusto, Septembre et Octobre mensibus sub foliis dejectis arborum sylvestrium prope *Sickershausen*. *Marem* non observavi.

7. Teleas *solidus*.

T. alatus, ater; antennarum clava subsolida, triannulata, fusca; abdomine ovato, plano, subpetiolato, laevi; antennis pedibusque rufis. *Fem.*

Long. lin. 1. Species singularis, quae forte proprii generis. Ad genus sequens, *Prosacantham*, accedit, magis tamen adhuc *Teleadibus* propinqua videtur.

Antennae longitudine capitis cum thorace; *radicula* exserta, satis longa, rufa; *scapus* longitudine flagelli; clava non computata, cylindricus, fuscus, basi rufus; *pedicellus* obconicus, angustus; *flagelli* articulus primus pedicello duplo longior crassiorque, obconicus, secundus ad sextum usque breviores, subobconico-ovati, rufi; tum reliqui a septimo ad decimum usque transversi et tam arcte contigui, ut clavam fusiformem, ad speciem solidam, triannulatam exhibeant. *Caput* transversum, thoraci accumbens, cum *thorace scutello* et *metathorace* atrum, punctulatum, opacum. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, planiusculum, subpetiolatum, atrum; segmento petiolari e cylindrico conoideo, striato; secundo segmento maximo, laevissimo; reliquis brevibus, transversis, ciliatis. *Coxae* fuscae. *Pedes* rufi; *femoribus* subclavatis, clava fusca; *unguibus* nigris. *Alae* obscurae; ramo stigmatico e media costa, puncto atro ibidem notata, oriente.

Cepi *feminam* unam hujus speciei prope *Sickershau-*

sen, loco et tempore non indicatis. De *mare* confer speciem sequentem.

8. Teleas *fornicatus*.

T. alatus, ater, antennarum articulis septem exterioribus reliquis tenuioribus, subglobosis; scapo pedibusque rufis; abdomine ovato, subpetiolato, fornicato, basi striato. *Mas.*

Long. lin. $^3/_4$. *Antennae* hypostomati infero insertae, tredecimarticulatae; *radicula* cylindrica, exserta; *scapo* subcylindrico, incurvo, fronte altiore, *pedicello* et tribus *flagelli* anterioribus articulis obconicis, illo, quam quarto articulo, duplo fere breviori, quinto et sexto, i. e. secundo et tertio flagelli, decrescentibus, septem insequentibus praecedente dimidio fere tenuioribus discretis subglobosis, extremo oblongo obtuso, ut itaque antennae apice attenuatae evadant. *Caput* et *thorax* structurae solitae, nigra, pubescentia. *Abdomen* thorace brevius, truncato-obovatum, planiusculum, superne visum uno solo segmento, praeter petiolum, constans; *petiolus* brevissimus, vix conspicuus, cylindricus, substriatus; secundum segmentum maximum, solum superne conspicuum, basi margine prominulo arcuato et paulo posterius plica transversali divisum, a basi ad plicam hanc usque striatum, in parte autem postica, quae multo major, laevissimum, nitidissimumque, apice recta linea truncatum, lateribus ad perpendiculum fere deflexis, ventri cavum fere fornicatum concilians, carinula, apicem versus eminente et e reliquis segmentis abdominalibus maxime retractis reconditisque formata, instructum. *Pedes*, quales in reliquis hujus generis, *femoribus* aequalibus, non clavatis, compressiusculis praediti, rufi, *coxis* nigris. *Alae*, obscure hyalinae, ramulo stigmatico distincto recto, e media costa, ad ejus ortum paululum incrassata, prodeunte.

Cepi *marem* in sepibus humidis prope *Sickershausen*, ad ripas rivuli, die 29. Junii.

Adnot. Marem esse speciei praecedentis suspicor.

9. Teleas *hemipterus*.

T. subapterus, niger, subpubescens, geniculis tarsisque pallidis. *Fem.*

Long. lin. $^1/_2$. Statura *Teleadis phalaenarum*, cui praeter alas abbreviatas valde similis. *Antennae* corpore parum breviores, *clava* flagelli distincta, quinquearticulata.

Caput thorace latius, nigrum, subpubescens. *Thorax* subrotundus, antice convexus, niger, pubescens. *Scutellum* distinctum, parvum. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, obovatum, obtusum, planiusculum, laeviusculum et nitidulum. *Terebra* ut brevis apicula prominens. *Coxae* nigrae. *Pedes* nigro-picei; *tibiae* anticae fere totae, posteriores basi, et tarsi testacea; *ungues* fusci. *Alae* abdomine dimidio breviores, cuneiformes, apice rotundatae, enerves, albidae.

Cepi *feminam* die 13. Julii a. 1813 in Quercu prope *Sickershausen.* *Marem* non observavi.

Adnot. *Teleadi phalaenarum* varietatis loco adscribere non ausus sum, tametsi summa sit utriusque similitudo. Inter innumera autem, quae vidi *Teleadis, phalaenarum* exempla, ex ovis exclusa, ne unum quidem occurrebat alis ejusmodi imperfectis praeditum, quae tamen in hoc nostro completae, aequales, praeter exilitatem nullo vitio laborare videbantur. Accedit his denique *abdomen* laeviusculum, nitidulumque.

10. Teleas *pedestris.*

T. subapterus, niger, pubescens, pedibus rufis. *Fem.*

Long. vix lin. $^1/_2$. *Antennarum* clava distincta, quinquearticulata, coarctata. *Corpus* totum nigrum, pubescens. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, obovatum, obtusum, planum, laeve, vix striolarum baseos vestigiis notatum, structurae communis. *Pedes* rufi; *coxis* nigris; *unguibus* fuscis. *Alae* brevissimae, lineari-subspathulatae, halteriformes, albidae.

Cepi *feminas* duas die 6. et 9. Aprilis sub muscis prope *Sickershausen.* *Mas* dubius adhuc et forte alatus.

Adnot. Quemadmodum praecedens *Teleadis phalaenarum,* ita haec *Teleadis pumilionis* varietas aptera haberi possit. Sed obstabant, quo minus hoc statuerem, argumenta, in adnotatione ad *Teleadem hemipterum* jam exposita.

GENUS XXXI.
PROSACANTHA.

Nomen a πρός apud, prope, et ἄκανθα spina, ob scutellum in pluribus spinosum vel saltem acutum.

Teleadis spec. Latr. Gen. Cr. et Ins. Vol. IV. Scelionis specc. Latr. l. c. I. et Hist. nat.

Antennae fractae, hypostomati infero supra clypeum insertae, duodecim- vel tredecimarticulatae; *scapo* mediocri; *flagello* recurvo, apice paulo crassiori vel clavato. *Alae* enerves; stigmate nullo; ramulo stigmatico pone mediam costam oriente. *Prothorax* brevis, declivis. *Scutellum* porrectum, muticum vel spinosum. *Abdomen* planiusculum, petiolatum; petiolo brevi, angusto, vel subsessile; secundo tertioque segmento magnis, illo majore; extremis reconditis. *Terebra* anali, non exserta.

Mandibulae bifidae. *Palpi maxillares* triarticulati.

Habitus specierum hujus generis medius quasi inter *Teleades* praecedentes, et *Platygasteres* sequentes, a quibus utrisque *ramo stigmatico*, versus apicem alae egrediente, tum maxime *habitu* proprio, neutri illorum conveniente, distinguuntur. Scutellum spinosum iis cum *Platygasteribus* commune.

Caput latitudine thoracis; vertice et fronte latiusculis. *Antennae* hypostomati infero supra clypeum insertae, longae, duodecimarticulatae in *feminis*, tredecimarticulatae in *maribus: radicula* brevis, sed conspicua tamen et exserta; *scapus* crassiusculus, fronte brevior vel ad summum ejusdem altitudinis; *pedicellus* mediocris, vel brevis, obconicus; *flagellum* scapo triplo saltem longius, articulis inferioribus tenuioribus obconicis, extremis sensim decrescentibus, vel in clavam, parum incrassatam abeuntibus. *Oculi* rotundi, subprominuli. *Prothorax* angustus quidem et humilis, neque ad alas extensus, attamen antrorsum in collum perbrevem contractus. *Thoracis medii* dorsum antice tumidulum, convexum, subrotundum, neque in lobos discretum. *Scutellum* antice a thorace discretum, et ibidem subdepressum, postica versus productum, subadscendens, in aliis apice denticulis geminis armatum, aliis in spinam excurrens vel saltem acutum. *Metathorax* infra scutellum parum prominens, subovatus, truncatus, interdum dentibus lateralibus arma-

tus. *Abdomen* breve, ovatum vel suborbiculatum, dorso planiusculum vel parum convexum; primo segmento brevi, in petiolum distinctum contracto, vel saltem basi angustiori, secundo maximo, tum tertio minore; reliquis brevissimis transversis, maximam partem reconditis. *Venter* convexus, late scutatus. *Terebra* analis, retracta. *Pedes* longiusculi, *femoribus* (in quibusdam magis evidenter), apice incrassatis et subclavatis. *Alae* enerves; nervo subcostali costae parallelo et valde approximato, eidem in medio vel pone medium conjuncto et ex eodem loco ramum stigmaticum, in aliis brevem et rectum, in aliis paulo longiorem et areolam radialem subindicantem, emittente.

Superficies corporis, in speciebus cognitis nigri, saepe striolata et eam ob causam opaca. *Abdomen* magis nitet.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, vel corpus saepe aequantibus, *scapo* breviori, *flagello*que longiori, ex articulis subaequalibus, longiusculis obconicis vel cylindricis exstructo, praeditis; *abdomine* latiore, subspathulato, magis obtuso.

Adnot. Species, generi huic adscriptae, non convenientissimo typo conjunguntur; namque prior quoad alas *Calliceratibus* magis affinis videtur, reliquae autem *Platygasteribus*, praesertim scutelli indole, accedunt.

1. Prosacantha *longicornis.*

P. nigra, striolata; scutello bispinoso; geniculis et tarsis rufis. *Mas.*

Synon. *Teleas longicornis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 33?*

Scelio longicornis Latr. Gen. Cr. et Ins. I. tab. 12. fig. 9, 10?

Long. lin. 2/3. *Antennae* supra os insertae, filiformes, longitudine fere corporis, nigrae; *scapo* vix longitudine tertiae partis flagelli; *pedicello* brevi, obconico; *flagelli* articulis discretis, subcylindricis, aequalibus, extremo acuto. *Caput* latitudine thoracis, planiusculum, subtilissime striatum, albido-pubescens, nigrum; occiput concavum, laeve; frons plana, transversa. *Mandibulae* angustae, bifidae, rufae. *Palpi* prominuli, picei. *Thorax* brevis, convexus, distinctius pubescens, niger, striatus, striis in pleuris varie interruptis. *Scutellum* ovatum, convexiusculum, apice spinis duabus brevibus armatum. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, orbiculato-ovatum, planiusculum, nigrum, petiolatum; segmento petiolari longitudine tertiae partis ab-

dominis reliqui, latiusculo, striato; secundo segmento magno, campaniformi, subconvexo, etiam striato; reliquis segmentis brevibus, laevibus, nitidis. *Pedes* mediocres, *femoribus* subclavatis, nigri, *geniculis* et *tarsis* rufo-piceis, *unguibus* fuscis. *Alae* in disco obscurae; ramulo stigmatico pone medium sito, longiusculo, subincurvo.

Cepi *marem* unum die 30. Aprilis a. 1809 *Sickershusae* in horto. *Feminam* non vidi.

Adnot. De synonymo *Teleade longicorni* Latr., supra alato, valde dubito; pluribus notis tamen congruentibus, huc adnotavi. Marem esse *Scelionis rugosuli* Gen. Cr. I. tab. 12. fig. 11 et 12 contendit cl. vir, sed abdomen in figura citata triannulatum pingitur, et magnitudo vix dimidia adscribitur feminae, isti nuptae. Judicent alii, quibus videre plura et comparare licuerit hujus insecti exempla.

2. Prosacantha *spinosula.*

Pr. nigra, rugosula, scutello apice spinoso; femoribus clavatis; geniculis tarsisque pallidis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* fractae, nigrae; scapo frontem aequante; *flagelli* elongati articulis anterioribus angustis, subcylindricis, arcte contiguis, longitudine paululum decrescentibus, sex extremis subrotundis, clavam parum distinctam constituentibus. *Caput* thoracis latitudine, fronte subconvexa, nigrum, punctulatum. *Thorax* antice gibbus, convexus, integer, punctulato-rugulosus, pubescens, niger. *Scutellum* ovatum, convexum, punctulatum, nigrum, apice in spinam adscendentem satis longam transiens. *Metathorax* brevis, truncatus, postice utrinque unispinosus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, ovatum, convexiusculum, laeve, atrum, nitidum; primo segmento basi conico-angustato, planiusculo, striolato; secundo maximo, basi striolato, annulo transversali elevato notato; reliquis laevibus, nitidis. *Terebra* non exserta. *Pedes* satis longi et graciles, *femoribus tibiis*que apice clavato-incrassatis. *Coxae* nigrae. Reliqua pars *pedum* picea, *tibiis* basi et *tarsis* pallide testaceis. *Alae* obscure hyalinae; ramulo stigmatico pone mediam alam egrediente, brevi rectoque.

Mas differt a femina: *antennis* longitudine corporis, *flagelli* omnibus articulis cylindricis; *scutelli* spina tenuiore; *metathorace* inermi, *abdomine* suborbiculato, basin versus paulo minus angustato; *tarsis* obscurioribus.

Species prope *Sickershausen* haud rara. Cepi *mares* et *feminas*, Martio et Aprili mensibus, locis sabulosis in terra

et in humidis ad Salicum radices inter gramina; Septembre et Octobre autem sub foliis dejectis.

3. PROSACANTHA *dubia.*

Pr. nigra, rugosula; scutello mutico; pedibus piceis, femoribus clavatis; puncto stigmatis distincto medio. *Fem.*

Long. lin. ½. Structura fere praecedentis, sed duplo minor. *Antennae* extrorsum sensim incrassatae, fractae, nigrae, *scapo* brevi. Totum corpus nigrum, subrugosum, pubescens, opacum. *Capitis* et *thoracis* forma ut in praecedente, sed superficies minus rugulosa. *Scutellum* subadscendens, convexum, nigrum, ex ovato acutum, sed muticum. *Metathorax* truncatus, inermis, concolor. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, subsessile, dorso planiusculum, oblongum, acutum, nigrum, laeve. *Terebra* analis recondita. *Pedes* femoribus subclavatis, toti picei, tarsis pallidioribus. *Alae* obscure hyalinae, ramulo stigmatico brevi rectoque e media costa prodeunte, stigmati distincto crassiusculo innato.

Feminam unam cepi *Sickershusi*, die 7. Aprilis a. 1808. *Marem* non vidi.

GENUS XXXII.

PLATYGASTER Latr.

A πλατὺς, latus, et γαστὴρ, venter, ob abdomen postice dilatatum.

Platygaster Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 31. n. CCCCLXI. Spin. Classif. Diplol. in Ann. du Mus. VII. p. 151. n. 18. Scelionis spec. Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. Psili spec. Spin. Jur.

Antennae fractae, subcomplicatae, hypostomati infero supra clypeum insertae, undecimarticulatae (in paucis ad speciem, in uno revera decemarticulatae); scapo longo; flagello recurvo, subfiliformi, vel apice moniliformi-clavato. *Alae* enerves, ramo stigmatico nullo vel minutissimo, prope a basi sito. *Prothorax* brevis, rotundatus. *Scutellum* prominens, saepe acutum, vel in spinam excurrens. *Abdomen* petiolatum, subspathulatum, planum; petiolo brevi, subcylindrico; secundo segmento maximo. *Terebra* analis, non

exserta. *Mandibulae* bidentatae. *Palpi maxillares* et *labiales* biarticulati.

Species una alis caret.

Habitus. Antennae supra os insertae, angulato-complicatae, inflexae, plerisque undecimarticulatae, ubi explicantur satis longae; *radicula* brevis, exserta; *scapus* longitudine dimidii flagelli, crassus, compressus; *pedicellus* obconicus, tenuior; *flagelli* articuli vel omnes conico-cylindrici, subrotundative et distincti, tertio in quibusdam breviore et crassiore, vel quatuor anteriores tenuiores, inaequales, quatuor terminales subglobosi, discreti, clavam quadriarticulatam constituentes; primus flagelli articulus in aliis pedicello, et reliquis flagelli articulis longior, in aliis brevior, in quibusdam cum secundo tam arcte conjungitur, ut flagellum *septemarticulatum* videatur. *Platygasteri* denique *punctigero* (n. 15) antennae re vera *decemarticulatae. Caput* latitudine fere thoracis, rotundato-trigonum, paulo latius quam altius; *vertice* rotundato; *fronte* convexiuscula. *Oculi* parvi, subrotundi, laterales. *Prothorax* brevis, ad alas recurvatus, neque eas attingens, antice in collum brevissimum contractus, adeo ut cavitas occipitis thoraci contigua sit. *Thorax* proprie sic dictus brevis, subglobosus, antice convexo-tumidus, integer, aequalis. *Scutellum* basi discretum, retrorsum prominens, convexum, apice acutum vel in spinam longam decurvam excurrens. *Metathorax* brevis et angustus, sub scutello fere reconditus; in quibusdam spinula, vel binis sub scutello instructus. *Abdomen* petiolatum; petiolo brevi, cylindrico, in plurimis ruguloso, in una specie processu styliformi aucto; segmento secundo maximo, depresso; reliquis brevissimis, transversis, decrescentibus; anus vel obtusiusculus, vel conico-attenuatus. *Venter* modice convexus, a secundo segmento scutatus. *Terebra* analis retracta. *Pedes* graciles, *femoribus* et *tibiis* basi attenuatis, apice incrassatis et eam ob causam clavatis. *Alae* hyalinae, vel cinerascenti-hyalinae, punctis piligeris inspersae, omnino fere enerves soloque nervulo subcostali, costae parallelo et fere contiguo haud procul a basi desinente instructae; puncto junctionis minuto, ramulum stigmaticum nullum vel vix conspicuum emittente.

Color corporis niger, in abdomine, quod inde a petiolo laeve, nitidissimus. Punctura et pubescentia subtiles.

Mares a feminis vix, nisi *antennis* longioribus, et ubi hae apice clavatae, clava minus distincta, tum *abdomine* minore et magis rotundato differunt.

De vitae genere nihil constat. Insectum perfectum aestate in floribus, in fruticum foliis, et inter gramina legitur, autumno sub foliis dejectis; sed nusquam magna copia occurrit, neque unquam gregatim.

SECTIO I.

Antennarum flagello submoniliformi, apice non clavato.

Scutellum his plerisque muticum, obtusum vel acutum. *Metathorax* vero in quibusdam spinosus.

A. *Apteri.*

1. Platygaster *apterus.*

Pl. apterus, niger, flagelli articulo tertio gibbo; pedibus piceis.

Long. lin. 3/4. *Antennae* nigrae, apice submoniliformes, articulis anterioribus fere cylindricis, tertio breviore et extrorsum gibboso. *Corpus* structurae communis hujus generis, punctulato-rugosulum, opacum, nigrum, subpubescens. *Thorax* subquadratus. *Scutellum* ovato-conicum, acutiusculum, muticum, convexum. *Metathorax* inermis. *Abdomen* suborbiculatum, obtusum, brevissime petiolatum; secundo segmento antrorsum paulo angustiori, convexiusculo, laevissimo, annulo medio elevato notato; petiolo ruguloso. *Pedes* clavati, picei; *femorum tibiarum*que clavis obscurioribus; *tarsis* pallidis. *Alae* nullae omnino.

Cepi unam *feminam* hujus speciei die 27. Augusti a. 1812 in pratis prope *Sickershausen;* de *mare* nihil constat.

Adnot. Species dubia, *Prosacanthae spinosulae* quam maxime accedens, sed antennarum articulorum numero considerato et ob tertium flagelli articulum reliquis crassiorem, pro tempore huc referenda.

B. *Alati.*

2. Platygaster *nodicornis.*

Pl. ater, nitidus, antennis et pedibus rufo-testaceis; articulo secundo flagelli majori, globoso. *Mas.*

Synon. *Platygaster ruficornis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 32? (*Femina.*)

Scelio ruficornis Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p. 227? (*Femina.*)

Long. lin. 1. *Antennae* supra clypeum insertae, filiformes, testaceae; *scapo* longitudine dimidii flagelli; *pedicello* conico; *flagello* aequali, paulo obscuriori, articulo primo minuto, secundo globoso duplo majore, reliquis sex subcylindricis, aequalibus, discretis. *Corpus* totum laeviusculum, nigrum, nitidum, glabriusculum. *Scutellum* ovato-acutum, cinereo-pubescens. *Abdominis* obovati plani petiolus distinctus, longitudine circiter quartae partis segmenti secundi, subrugulosus, subpubescens. *Pedes* toti rufo-testacei. *Alae* obscure hyalinae.

Cepi *marem* die 6. Julii a. 1809 in gramine prope *Sickershausen. Femina* latet, nec vero dubito, esse eandem, quam Latreillius l. c. nomine *Platygasteris ruficornis* descripsit.

V a r i a t:

β. paulo *minor*, *antennis* obscurioribus. *Mas.*

Cepi cum praecedente iisdem in locis.

3. Platygaster *obscurus.*

Pl. ater, antennis pedibusque fusco-piceis, geniculis pallidioribus; flagelli articulo secundo majori, subgloboso. *Mas.*

Long. lin. ½. Praecedenti simillimus, sed satis distinctus. Duplo minor. *Antennae* ejusdem structurae, fusconigrae. Corpus nigrum, punctulatum, minus nitidum. *Scutellum* ovatum, convexo-gibbum, non acuminatum. *Abdominis* segmenta extrema subprominula, acuta. *Pedes* e fusco picei, *geniculis* et *tarsis* pallidioribus. *Alae* obscure hyalinae.

Cepi *marem* Majo et Julio mensibus in Chaerophyllo sylvestri pratorum prope *Sickershausen.* Feminam non vidi.

Adnot. Conferatur cum *Platygastere nigro* n. 10.

4. Platygaster *grandis.*

Pl. niger, obscurus, pubescens; antennarum flagello aequali, suboctoarticulato, fusco, scapo pedibusque rufis; abdomine abrupte petiolato laevi; scutello obtuso, gibbo. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1½. Maximus hujus generis, quem vidi. *Caput* latum, thoracem fere excedens. *Antennae* feminae breviusculae; *scapo* flagelli fere longitudine rufo; *flagelli* articulo primo obconico, fusco, secundo obconico tertioque rufis, reliquis nigris paulo crassioribus, quarto ad septimum usque transversis obconicis, extremo oblongo.

Thorax convexo-gibbus, niger, pubescens. *Scutellum* compresso-gibbum, obtusum. *Metathorax* muticus. *Abdomen* subspathulatum, nigrum, nitidissimum, subacutum; petiolo parum striolato brevi. *Pedes* rufi, *coxis* basi, *unguibus* apice nigris.

Mas differt a femina: *antennarum* flagello longiori, articulis omnibus subaequalibus, neque transversis; *scutello* minus compresso, sed gibbo tamen; abdomine magis obtuso.

Cepi *marem* in dumetis udis prope *Moenostockhemium* in *Franconia*, die 8. Octobris a. 1810 sub foliis dejectis; *feminam* die 9. Maji a. 1812 in stagnis prope *Grofs-Langheim*, Droserae rotundifoliae pilis glandulosis implicatam.

5. Platygaster *striolatus.*

Pl. niger, subobscurus, pubescens, antennarum flagello aequali octoarticulato fusco, scapo apice, geniculis tarsisque rufescentibus; abdomine cuneiformi-petiolato, basi striolato; scutello obtuso, gibbo. *Fem.*

Long. lin. 1. Similis praecedenti, sed satis differens *statura capite*que minoribus, *abdominis* forma et *sculptura*, *colore*que *pedum*. *Antennae* breves, *scapo* flagello vix longiore, nigro, apice obscure rufescente; *flagello* fusco, articulis primo et secundo distinctis, quo numerus octenarius clarior exterioribus ut in praecedente subtransversis obconicis paulo crassioribus, ultimo oblongo. *Caput* thorace paulo angustius, una cum *thorace* et *scutello* nigrum, punctulatum, pubescens, opacum. *Scutellum* gibbosum, obtusum. *Metathorax* muticus. *Abdomen* nigrum, cuneiformi-spathulatum; primo segmento secundoque basi cuneatim angustatis dorso planis, primo toto secundoque basi rimuloso-striolatis; parte reliqua secundi, et segmentis ulterioribus, iisque perbrevibus et retractis, laevissimis nitidissimisque. Anus acutus. *Terebra* recondita. *Coxae* nigrae; *trochanteres* rufo-picei; *femora* clavata, nigro-fusca, antica apice testacea; *tibiae* clavatae, anticae totae, posteriores basi testaceae; *tarsi* testacei. *Alae* hyalinae.

Cepi *feminam* die 9. Maji a. 1812 in dumetis prope *Sickershausen*. *Mas* non innotuit.

6. Platygaster *alienus.*

Pl. niger, antennarum flagello aequali suboctoarticulato fusco, scapo toto vel basi pedibusque testaceis, fe-

morum tibiarumque posticorum clavis obscurioribus; metathorace sub scutello unispinuloso. *Mas. Fem.*

Long. lin. ½. Statura *Platygasteris obscuri* (p. 300. n. 3). *Antennae* fere filiformes; *scapus* longitudine dimidii flagelli, testaceus; *pedicellus* conicus, fuscus; *flagellum* aequale, fuscum, articulis primo et secundo brevibus adeoque contiguis, ut vix discernantur et flagellum non nisi septem articulis constare videatur, reliquis articulis subcylindricis, aequalibus, discretis. *Caput* thorace paulo angustius, uti totum corpus nigrum, nitidulum, subpubescens. *Scutellum* gibbosum, adscendens, subconicum, obtusum, pubescens. *Metathorax* brevissimus, ruga sub scutello notatus, e cujus medio juxta scutelli apicem spinula brevissima adscendit. *Abdominis* subspathulati plani laevisque petiolus distinctus, longitudine circiter quartae partis segmenti secundi, subrugulosus, apice segmentoque secundo extrema basi saepe rufescens; anus obtusiusculus. *Terebra* latens. *Pedes* testacei; *coxae* nigrae; *femora* et *tibiae* clavata, clava fusca. *Alae* obscure hyalinae.

Mas nisi *antennis* pallidioribus, paulo longioribus, pilosulis, *abdomine*que magis obtuso non differt.

Frequens in sepibus prope *Sickershausen* Junio, Augusto et Octobre mensibus, triplici forsan generatione.

V a r i e t a s:

β. Antennarum scapo sola basi rufo; *pedibus* rufis, *femorum* clava *tibiis*que apice piceis. *Fem.*

Mas idem, *antennis* totis fusco-testaceis, pilosulis.

Frequentior adhuc, quam prior forma, in sepibus, in Chaerophylli sylvestris floribus, in quercetis cet. occurrebat. Die 24. Julii a. 1809 marem cum femina conjunctum cepi.

7. Platygaster *tristis.*

Pl. niger, obscurus, antennis totis pedibusque fuscis; flagello aequali suboctoarticulato; metathorace sub scutello unispinuloso. *Fem.*

Long. lin. ¾. A praecedente, cui flagelli primo secundoque articulo subconfluentibus et metathoracis spinula subscutellari convenit, differt evidenter: *statura* majore; corpore ob pubescentiam densiorem *opaco* minus nitido; *antennis* totis fuscis, *flagello* breviore, scapum vix una tertia parte superante; *pedibus* denique totis fuscis, geniculis et tarsis paulo pallidioribus.

A *Platygastere obscuro* (p. 300. n. 3) cui coloribus

accedit, *flagello* subaequali, *spina subscutellari* et corpore magis *opaco* differt. An *Femina* ejusdem?

Cepi mense Majo prope *Sickershausen* in sepibus. *Mas* dubius.

8. Platygaster *tuberosus*.

Pl. ater, antennarum flagello aequali fusco, scapo pedibusque rufis; metathorace sub scutello bispinoso. *Fem.*

Long. lin. 1. Structura praecedentium, et ante omnes *Platygasteris nodicornis* (p. 299. n. 2), cujus haec forte femina. Structura et proportio partium corporis eaedem. *Antennae* supra clypeum insertae; *scapo* longitudine dimidii flagelli; rufo testaceo; *flagello* testaceo-fusco, aequaliarticulis plerisque subcylindricis subaequalibus discretis. *Corpus* atrum, glabriusculum, nitidum. *Scutellum* ovato-conicum, gibbum, obtusum. *Metathorax* brevissimus, sub scutello rugulosus dentibusque duobus rectis sub scutello armatus. *Abdomen* subspathulatum, abrupte petiolatum, planum, atrum, laeve; petiolo angusto, teretiusculo, substriato, satis evidenti; ano acutiusculo. *Pedes* rufi, *coxis unguibus*que nigris. *Alae* obscure hyalinae.

Cepi *feminam* Majo et Septembre mensibus in dumetis et sepibus humidis prope *Sickershausen. Mas* dubius.

9. Platygaster *decurvatus*.

Pl. ater, antennarum flagello aequali fusco, scapo pedibusque piceo-rufis, femorum tibiarumque posticarum clavis fuscis; scutello spina brevi decurva terminato; metathorace inermi. *Mas.*

Long. lin. 1. *Antennarum scapus* validus, rufo-piceus, apice obscurior; *flagellum* fuscum, tenue, aequale, articulis extremis magis quam in reliquis elongatis. *Corpus* totum atrum, glabriusculum, nitidulum. *Scutellum* ex ovato conicum, gibbosum, apice in spinulam brevem decurvam abiens. *Metathorax* brevissimus, inermis, sub scutello rugulosus. *Abdomen* spathulatum, obtusum, planum, laeve; petiolo brevi ruguloso. *Pedes femoribus tibiis*que clavatis, piceo-rufi, *coxis* concoloribus. *Alae* cinerascenti-hyalinae.

Cepi *mares* duos, Julio mense exeunte, alterum in Citro medica horti, alterum in Quercu, prope *Sickershausen. Femina* ignota.

Conferatur autem *Platygaster affinis* n. 19 et *Psilus n.* 1. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 234, ad *Platygasterem scutellarem* n. 18 relatus.

10. Platygaster *spiniger.*

Pl. niger, tibiis basi et tarsis piceis; antennarum flagello subaequali; scutello papillaeformi; spina adscendente sub scutello. *Mas.*

Long. lin. ½. Species hujus generis omnes structura et coloribus persimiles, suis propriis characteribus tam bene distinguuntur, ut necesse non sit, plura in universum repetere. *Antennae* nigrae, vel nigro-fuscae, filiformes; *scapo* longitudine dimidii flagelli; *pedicello* conico; *flagelli* articulis subcylindricis, anticis paulo brevioribus. Corpus totum laeviusculum, nigrum, nitidulum, parum pubescens. *Scutellum* parvum, papillae ad instar erectum, spinaque a metathorace adscendente subrecurva tenui acutissima stipatum. *Abdomen* spathulatum, obtusum, planum, laeve; petiolo brevi, ruguloso, subtereti. *Pedes* nigri, vel nigro-fusci, solis *tibiis* basi et *tarsis* piceis, his *unguibus* fuscis. *Alae* fere hyalinae.

Mares Junio et Octobre mensibus in sepibus prope *Sickershausen* cepi. *Femina* non declarata.

11. Platygaster *pyramidalis.*

Pl. niger, antennarum flagello aequali fusco, scapo, pedibusque anticis rufis; scutello papillaeformi; tuberculo pyramidali erecto sub scutello. *Mas.*

Long. lin. ⅓, et paulo ultra, praecedente tamen manifesto minor. *Antennarum scapus* longitudine dimidii flagelli, rufus; *flagellum* filiforme, fuscum articulis subcylindricis, anterioribus brevioribus. Corpus nigrum, nitidulum. *Caput* thoracis latitudine. *Thorax* antice tumidulus. *Scutellum* papillae ad instar adscendens, breve, obtusum, muticum, subpubescens, vel etiam cano-tomentosulum. *Metathorax* brevissimus, sub scutello in tuberculum manifestum satisque conspicuum, erectum, pyramidale elevatus. *Abdomen* spathulatum, obtusum, planum, laeve, abrupte petiolatum; petiolo brevi ruguloso. *Coxae* nigrae. *Pedes antici* rufi, omnino concolores; *posteriores* nigri, vel nigro-fusci, *tibiis* basi et *tarsis* pallidis. *Alae* hyalinae.

Cepi marem die 27. Augusti a. 1812 in pratis horti *Sickershusani*. *Femina* non innotuit.

12. Platygaster *niger.*

Pl. niger, tarsis fuscis rufisve, antennarum flagello apice paulo crassiori; scutello metathoraceque inermibus; abdomine subsessili, acuminato. *Mas. Fem.*

Synon.

SYNON. *Psilus* n. 4. *Spin. Ins. Lig. Fasc. IV.* p. 235.

Long. lin. ½. Species exilis, sed satis superque distincta. Totus niger, laeviusculus et subnitens. *Antennae* nigrae; *scapo* longitudine dimidii flagelli; *flagello* quam in reliquis paulo validiori, articulis subcylindricis, extremis evidentius amplificatis, minime tamen clavam constituentibus. *Caput* et *thorax* structurae solitae, parum, pubescentes. *Scutellum* ovato-conicum, obtusum, gibbum, subpubescens. *Metathorax* brevissimus, sub scutello rugulosus et muticus. *Abdominis* ovati planiusculi laeviusculi primum segmentum in petiolum vix conspicuum striolatum conico-coangustatum; secundum magnum, dilatatum; hinc reliquis in acumen conicum, magis minusve prominulum, decrescentibus. Venter convexus, scutatus. *Terebra* statu quietis retracta. *Pedes* plurimorum nigri, vel nigro-fusci, solis *tarsis* pallidis. *Alae* obscure hyalinae.

Mas nisi *antennarum flagello* aequali filiformi, articulis omnibus longiusculis subcylindricis; *abdomine*que breviore, ovato minusque acuminato, non differt.

Cepi *mares* et *feminas*, Aprili et Majo mensibus, alterum in Chaerophylli sylvestris floribus, alterum in ripa rivuli horti, tum mense Augusto sub fungis aliisque in locis, prope *Sickershausen*. A cl. *Jurineo* accepit *Spinola* et l. c. descripsit.

Variat:

β. pedibus fuscis, *tibiis* anticis totis, posterioribus basi, *tarsis*que pallidioribus. *Mas. Fem.*

Promiscue cum praecedente prope *Sickershausen* legi.

13. PLATYGASTER *subulatus.*

Pl. niger, tibiis anticis totis, posterioribus basi tarsisque rufis; antennarum flagello filiformi; scutello et metathorace inermibus; abdomine subsessili, acuminato. *Fem.?*

Long. lin. 1. A praecedente, praesertim ejus varietate *β*, differt *statura* duplo majore, et colore *pedum* diverso. Structura partium omnino eadem, color niger, nitidulus. *Antennae* etiam nigrae; *flagello* aequali, articulis subcylindricis. *Scutellum* ovato-conicum, obtusum, gibbum, subpubescens, inerme. *Metathorax* inermis. *Abdomen* brevissime petiolatum, petiolo striolato; secundo segmento plano laevi; reliquis in acumen conicum decrescentibus. *Pedes* nigri, *femoribus tibiis*que clavatis; *femora* antica apice testacea; *tibiae* eaedem totae rufo-testaceae;

posteriores autem basi tantum; *tarsi* rufo-testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* hyalinae.

Cepi unum exemplum, sexus dubii quidem, sed probabiliter *feminei*, die 20. Junii *Sickershusae* in fenestris cubiculi.

Adnot. In praecedentis varietate *β femora antica* apice, *tibiae* eaedem totae, *posteriores* basi et *tarsi* pallidiora quidem, sed minime rufa; in hac autem specie color harum partium *laetus* et a nigredine reliqui pedis emicans.

SECTIO II.

Antennarum flagello apice clavato articulis quatuor postremis crassioribus, subglobosis.

Antennae ita complicatae sunt, ut primum anterior flagello pars scapo applicetur, tum clava, ad angulum fere rectum reflexa, pateat. *Scutellum* frequentius in his, quam in praecedentibus, spinosum. *Reliqua* structura corporis non differt. Singularis est stylus ille filiformis, in *Platygastero Boscii* a petiolo abdominis supra thoracem recurrens.

14. Platygaster *Boscii.*

Pl. ater, clava antennarum quadriarticulata; processu lineari petioli abdominis thoraci capitique incumbente. *Fem.*

Synon. *Psilus Boscii Jur. Hymen. p.* 318.

Long. lin. ½. Animalculum singulare, figura corporis quidem accedens *Platygasteribus subulato* et *nigro*, modo descriptis, sed processu abdominali ab omnibus Hymenopteris, quae mihi nota sunt, recedens. Corpus nigrum, laeviusculum, nitidum. *Antennae* nigrae; *scapo* dimidio flagello longiore; *flagelli* articulis anterioribus tenuibus, decrescentibus, quatuor extremis distincte crassioribus, subaequalibus, clavam constituentibus. *Caput* latitudine thoracis, subtrigonum; vertice concavo. *Thorax* in medio dorso secundum longitudinem canaliculatus. *Scutellum* depressum, muticum. *Metathorax* inermis. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, lanceolato-subulatum; laeve, brevissime petiolatum, planum; segmento secundo majore, reliquis in acumen decrescentibus; *petiolus* subrugosus, prope ab apice emittens *processum tenuem* linearem planum obtusum continuum seu ex uno soloque cor-

pore constantem, qui statim ab origine sua arcu antrorsum adscendens, ultra thoracem et ipsius capitis verticem extenditur, neque iis, dum abdomen extenditur, incumbit, sed libera pendet, vix percipiendo spatio ab iis distans. Sublato autem abdomine, quod crebro ab animalculo fieri solet, tum stylus hic, sulculo thoracis capitisque vertici concavo quasi immersus, non amplius cernitur, et apex, parum supra frontem prominens, cornu frontale existimari potest, praesertim cum animal hoc statu post mortem persistens et rigidum observetur. *Terebra* non prominet. Venter convexus est. *Pedes* femoribus tibiisque clavatis, piceo-fusci, *tarsis* anticis, *tibiis*que posticis basi pallidis. *Alae* hyalinae.

Cepi unam *feminam* die 1. Septembris a. 1810 locis editis sylvaticis prope *Sickershausen.* Mense Junio in plantis umbellatis prope *Genevam* legit *Jurine. Mas* latet.

Adnot. Qui usus sit processus tam insignis ab abdomine assurgentis, difficile dictu. Solidus enim est atque continuus, neque propria vi usquam movendus, nec pungit, multoque minus terebrae vagina a me inventa, quae quidem, ut in reliquis omnibus, analis et tota recondita.

15. Platygaster *punctiger.*

Pl. niger, opacus, antennarum flagello septemarticulato, clava fusiformi quadriarticulata; tibiis anticis totis, posterioribus basi piceo-rufis; scutello mutico. *Fem.?*

Long. lin. $^1/_2$. Statura haec species a reliquis hujus generis abludit, et *Teleadibus* propius accedere videtur, tametsi etiam ab isto genere satis, multoque magis, quam a *Platygasteribus* distet. *Caput* paulo crassius quam in reliquis, nigrum, opacum, subpubescens; vertice lato; fronte convexa. *Antennae* supra clypeum insertae, nigrae, decemarticulatae videntur; *scapo* longitudine fere flagelli; *pedicello* magno, ovato; *flagelli* articulo primo parvo tenui obconico, secundo et tertio brevissimis transversis at diametro paulo crescentibus, isto forte alterum minimum ad basin fovente, quarto, quinto et sexto transversis latioribus, cum septimo ovato-conico acuto clavam fusiformem pubescentem minus distinctam efficientibus. *Thorax* ovatus, aequalis, lineola obliqua ante singulam alam et duabus rectis dorso impressis, niger, opacus, subpubescens. *Scutellum* elevatum, obtusum, thoraci concolor. *Metathorax* ejusmodi, brevis, angustus, gibbo dorsali obsoleto.

Abdomen thorace paulo longius et angustius, oblongum, convexum (!), obtusum; primo segmento in petiolum brevem cylindricum inaequalem pubescentem contracto; reliquis vix discernendis, aterrimis, laevissimis, nitidissimis. *Terebra* non exserta. Venter convexus. *Pedes* fusco-nigri; *femora* fusiformia potius quam clavata dicenda, antica apice piceo-rufa; *tibiae* apice parum incrassatae, antice totae, posteriores basi piceo-rufae; *tarsi* subfusci. *Alae* hyalinae, texturae firmioris; nervo subcostali satis valido, brevi cum costa conjuncto ibidemque in punctum nigrum, quam in ulla alia hujus generis specie distinctius, abeunte (unde nomen).

Cepi *feminam* unam die 23. Junii a. 1812 prope *Sickershausen;* de *mare* nihil constat.

Adnot. Species genere forsan diversa. Secundum Classes Spinolianas *Eurytomae* generi accensenda esset, a cujus structura quidem in universum quam longissime abest.

16. Platygaster *forticornis.*

Pl. niger, antennarum flagello valido, clava quadriarticulata, scapo pedibusque rufis, scutello mutico. *Fem.*

Long. lin. 1. *Antennae* longitudine dimidii corporis; *scapo* dimidio flagello longiore, valido, compresso, rufo; *pedicello* obconico *flagello*que fuscis; hujus articulis primo et secundo subobconicis, pedicellum aequantibus, tertio et quarto parvis transversis, quinto, sexto et septimo subtransversis distinctioribus, crassioribus et validioribus quam in reliquis hujus sectionis, octavo denique his contiguo, minore, conico. Corpus structurae communis, nigrum, nitidulum, vix pubescens. *Caput* thorace paulo latius. *Thorax* antice tumidulus, rotundatus, aequalis. *Scutellum* longitudine metathoracis, conicum, obtusum, convexum, pubescens. *Metathorax* brevissimus, muticus, concolor. *Abdomen* planum, acutum, laeve, atrum, nitidissimum; petiolo, brevissimo, subrugoso, pubescente; secundo segmento reliquis majore; his in acumen breve coëuntibus. *Terebra* latens. *Pedes* cum *coxis* laete rufi, *unguibus* extremis fuscis. *Alae* obscurae.

Cepi *feminam* die 6. Octobris a. 1809 prope *Sickershausen*. *Mas* non innotuit.

17. Platygaster *muticus.*

Pl. niger, antennarum flagello tenui, clava quadriarticulata, scapo pedibusque rufis, femorum tibiarumque posticorum clavis fuscis; scutello mutico, acuto. *Mas.*

Synon. *Psilus n. 2. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 234? (Fem.)*

Long. lin. ½. A praecedente differt: *flagello* tenuiori, *femoribus tibiis*que posticis apice obscuris et statura duplo *minore;* a sequente: *scutello* mutico. Corpus totum nigrum, subopacum, parum pubescens. *Antennarum scapus* longitudine dimidii flagelli, rufus, validus; *flagelli* articuli quatuor anteriores breves, tenues, subobconici, fusci, quatuor posteriores crassiores, subglobosi, clavam discretam exhibentes, obscuriores. *Scutellum* ovato-conicum, acutiusculum, muticum, nigrum, pubescens. *Metathorax* brevissimus, truncatus. *Abdomen* spathulatum, in nostro (qui masculini sexus) apice rotundatum, planum, laeve, atrum, nitidum. *Pedes* rufi; *coxis* nigris; *femorum posticorum* et *tibiarum* ejusdem paris clavis fuscis; *unguibus* apice obscurioribus. *Alae* hyalinae.

Femina, secundum cl. *Spinolam*, differt: *ano* acuminato et *femoribus* omnibus nigris, his solis apicibus rufis.

Cepi *marem* Junio et Octobre mensibus in nemoribus prope *Sickershausen*. *Feminam* a cl. *Jurineo* sibi missam l. c. descripsit *Spinola*.

Variat:

β. long. lin. ⅓, *antennis* totis rufis *scutello*que magis acuto. *Mas.*

Cepi in pratis horti *Sicksrshusani* Majo et Junio mensibus.

Adnot. Distincta species videtur, sed ea solis notis indicatis dignoscenda.

18. Platygaster *scutellaris.*

Pl. niger, antennarum flagello tenui clava quadriarticulata, pedibus rufis; scutello spina elongata porrecta terminato. *Mas. Fem.*

Synon. *Psilus n. 1. Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p. 233? (Fide exempli, scapo antennarum nigro praediti.)*

Long. ⅔—1 lin. *Antennae* supra os insertae; *scapo* ongitudine plus tertiae partis flagelli; *pedicello* parvo, obconico, nigro; *flagelli* articulis primo et secundo elongatis, tertio et quarto minutis fuscis, quatuor extremis abrupte crassioribus, clavam subperfoliatam exhibentibus, nigris. *Corpus* totum structurae communis, nigrum, subopacum, parum pubescens. *Scutellum* conicum, *spina* recta tenui acuta postica versus prominula terminatum. *Me-*

tathorax brevis, inermis. *Abdomen* longitudine thoracis, basi in petiolum brevissimum rugulosum contractum, postica versus dilatatum, planum, laevissimum, atrum, ano acutiusculo (in femina). *Terebra* recondita. *Pedes* femoribus tibiisque clavatis, rufi, *coxis*, *tibiis* posticis apice et *unguibus* nigrescentibus. *Alae* hyalinae.

Mas feminae persimilis, *abdomine* apice magis rotundato differt.

Cepi Majo, Junio et Octobre mensibus sub muscis ad arborum radices locis sylvestribus prope *Sickershausen mares* et *feminas*. Feminam, a cl. Jurineo sibi traditam, l. c. *Spinola* descripsit.

V a r i a t:

β. paulo *minor*, *femorum* posticorum clava etiam fuscescente.

Cepi Mense Julio a. 1809 prope *Sickershausen*.

A d n o t. I. An *Platygasteris mutici* (p. 308. n. 17) sexus alter?

A d n o t. II. Citatus *Psilus n.* 1. Spinola l. c. *scapo testaceo* describitur. An species tertia scutello spinigero, quae forte rectius, quam sequens, cum *Platygastere decurvato* (p. 303. n. 9) comparanda?

19. Platygaster *affinis*.

Pl. niger, antennarum flagello tenui clava quadriarticulata, scapo, tibiis basi et tarsis testaceis; scutello spina brevi decurva terminato. *Fem.*

Long. lin. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$. Structura omnino praecedentis, sed distinctus: *statura* nonnihil inferiore; *antennarum scapo* testaceo; *scutelli* spina paulo breviori, decurva, nec recta prominente; *pedibus* nigris vel nigro-fuscis, *tibiis basi* et *tarsis* testaceis.

Cepi *feminam* die 1. Novembris a. 1809 sub foliis dejectis in sylvis prope *Sickershausen*.

Mas non declaratus. Conferantur *Platygasteres decurvatus* (p. 303. n. 9) et spiniger (p. 304. n. 10).

MONOGRAPHIA

CODRINORUM EUROPAEORUM.

FAMILIA IV.

CODRINI Dalm.

Forsök til upställning af Insect-Familien Pteromalini in Act. Holm. a. 1820. *I. p.* 132. *Idem tractatus, seorsim expressus, p.* 1. *nota.*

Proctotrupii Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 33 *(Genera quaedam). Nees ab Esenbeck in Nov. Act. Ac. Caes. Leop. Car. Nat. Cur. IX. p.* 300. *n. IV. (Ex parte.) Gravenh. Ichn. Europ. I. p.* 35.

Psilotes Fallén Nova Methodus Hymenoptera disponendi. Gravenh. Ichn. Europ. I. p. 62.

Antennae rectae, articulis quatuordecim ad sedecim. *Alae* rarius enerves, plerisque areola radiali et brachiali una vel binis distinctis. *Terebrae vagina tubulosa, articulata,* recondita, vel prominens et decurva.

Species paucae apterae.

Codrini a *Pteromalinis* secundae Sectionis distinguuntur: *antennis* non a scapo deflexis, quas *fractas* appellamus, sed *recta porrectis*, apiceve solo recurvis. Nota haec arbitraria magis videtur, quam natura duce inventa; sed acedit altera nota, a *terebra*, ani vagina cylindrica inclusa, derivata; altera etiam, ab *alarum* contextu haurienda. *Segmenta postrema abdominis* in plerisque in tubulum coëunt, oviductum sistentem, quo nuda terebrae seta involvitur. *Alae* his non enerves, sed incomplete areolatae, *areola radiali* tamen in omnibus completa.

Sed intercedit *Diapriae* genus, *Pteromalinis* sane affine antennis, terebra anali bivalvi retracta, alis enervibus diversum et solis *antennis recta porrectis Codrinis* confine. Quod ne *Pteromalinis* adjungeremus, obstitit *Belytarum* summa similitudo, quae quidem, alis magis completis instructae, *Diapriis* corpore simillimae inveniuntur, ex altera

parte autem *Cineto* praesertim genere praeeunte, *Codrinis* adeo connectuntur, ut, nisi omnes limites solvere placeat, divelli nequeant. Quid, quod in ipsis *Diapriarum* generis finibus alarum ad *Belytarum* alas transitum invenias.

Antennae igitur *rectae*, neque a scapo deflexae, *Pteromalinos* a *Codrinis* primo loco dirimunt; secundo autem loco et *terebra* et *alae* in uno solo genere a *Pteromalinis* secundae Sectionis non aberrantes.

Ex altera parte *Codrini* ad *Dryineos* accedunt. Hi autem, *Mutillariis* affines, terebrae loco *aculeo punctorio* gaudent, cum segmentis postremis abdominis, in tubulum contractis, Chryisididum more exserendo vel retrahendo.

Per *Codrinos* igitur ad *Hymenoptera aculeata* transimus; scilicet, seta illa punctoria, ovis viam aperiens, deficientibus denique vaginis, ovo canali inservientibus, alioque omnino partu ovorum alii vitae et morum generi imposito, *telum* fit feminae et hostem vulnerat, cum pridem ad larvam, invitam prolis hospitem, ovis impraegnandam, neque vero profligandam inserviret.

Antennae rectae, porrectae, thorace plerumque longiores, articulis quatuordecim ad sedecim compositae; *radicula* mediocri, exserta; *scapo* in aliis elongato et reliquis articulis multo longiore, in aliis pedicello vix longiore; *pedicello* obconico; *flagello* rarius apice incrassato, plerumque filiformi vel setaceo, articulis tum subcylindricis, in iis autem, qui flagello (feminarum saltem) apice incrassato gaudent, subrotundis vel ovalibus; numero in *feminis* quandoque uno minore, quam in maribus, quorum antennae in quibusdam moniliformes, articulis dissitis.

Labrum breve, rotundatum. *Mandibulae* vel validae dentatae, vel infirmiores subsimplices. *Maxillae stipite* toto et *malae* latere exteriori coriaceae; *mala* interne membranacea, rotundata, integra. *Mentum* obconicum, coriaceum, apice sinuato-acutum; *lingua* membranacea, apice dilatata, integra vel emarginata. *Palpi maxillares* labialibus manifesto longiores, *quadri-* vel (plerisque) *quinquearticulati*, filiformes, vel subsetacei; *labiales triarticulati*, clavati. *Alae* in uno genere (*Diapria*) nervo subcostali a basi fere costae conjuncto, ante mediam alam desinente, vix rami stigmatici rudimentum exserente, ideoque ante omnes *enerves* dicendae; in aliis ramo subcostali costae parallelo, ultra mediam alam protenso, ubi conjungitur stigma distinctum producente; areola radiali, plerumque par-

va, completa, areolis brachialibus solitaria vel geminis magis minusve manifestis atque limitatis, tum nervis quoque aliquibus imperfectis, areolas discoidales vel subcubitales quasi molientibus.

Habitus. Species hujus Familiae, dum *Diaprias* excipias, parvae quidem, nec vero exiles, graciles, debiles, longiusculae, *Ichneumonidum Braconoideorum* et *Alysioideorum* structurae propius accedentes. *Antennae* capite cum thorace saltem longiores, hypostomati infero, vel fronti mediae insertae. *Caput* latitudine tboracis, vel paulo latius, verticale, transversum, *os* versus angustius et subtriangulare; *frons* convexa, vel obtuse carinata; *vertex* latus, convexus, ocellis tribus in triangulum dispositis distinctis. *Oculi* laterales subrotundi, parvi, integri, parum prominuli. *Prothorax* brevis, ad latera magis minusve reflexus, neque alas fere attingens. *Thorax* in plerisque antice prominulis, ovatus, dorso integro, convexo; rarius brevis et suborbiculatus. *Scutellum* parvum, discretum. *Metathorax* longe ultra scutellum prominens, rugis areisve insculptus, apice angustior. *Abdomen* metathoracis apice excavato insertum, capite cum thorace vix unquam longius, in omnibus petiolatum, oblongum vel ovatum, acutum, dorso ventreque convexis, e segmentis quinque aut sex conspicuis constans; quorum primum vel repente in petiolum subcylindricum, saepe tomentosum transit, vel sensim attenuatum petiolum conicum planiusculum exhibet; secundum segmentum in omnibus *maximum*, subcampanulatum, laeve; reliqua segmenta transversalia, brevia, decrescentia. Extremum segmentum, vel duo ultima segmenta, in tubulum coëunt, aliis membranaceum, apice solo corneum, retractilem; aliis corneum, semper exsertum, decurvum, in utrisque autem, quantum observare licuit, terebrae setam nudam, cui tubulus abdominalis ipse oviductus loco est, includentem. Neque vero extra omnem dubitationem positum esse duco, setam illam punctoriam, quam simplicem dixi, vaginis suis, tenuissimis iis ac maxime debilibus, gaudere, quae vaginae ob summam teneritatem oculos effugerint. Pleurae in omnibus planae vel convexae, suturis duabus obliquis divisae. *Pedes* aequales, longiusculi; in aliis *femoribus tibiis*que distincte *clavatis* validiores; in aliis *graciles*, femoribus tibiisque angustis. *Tarsi* longi et tenues. *Alae* cuneiformes, plerisque corpore longiores, cuneiformes, pilosae vel glabrae et iridis coloribus ludentes; ubi areolae quaedam apparent, firmiores, stigmate obscuro

notatae, hyalinae vel obfuscatae, nullis, quod sciam, pictae. Paucarum specierum feminae apterae sunt.

Sexus differentia in *aliis* (terebra retractili praeditis), *antennis* indicatur, *marium* quidem longioribus et vario modo moniliformibus, *feminarum* autem brevioribus et apice magis minusve incrassatis vel clavatis; in *aliis* autem, quorum anus decurvato acumine prominet, *mares* acumine hoc deficiente, cujus loco genitalium forceps brevis et mobilis cernitur, et *antennis* uno articulo auctis produntur.

Metamorphosis horum insectorum, non rite quidem observata, sed absque dubio in aliorum insectorum larvis, parasitarum reliquorum more, procedens. *Diapriae*, gregarie in humidis locisque immundis latebrisque inveniuntur, unde vero simile videtur, eas *Tipulariarum terricolarum* larvis sobolem nutrire. Contra ea *Belytae* pleraeque, *Codri*, *Cineti*, rel. in fungis maxime, autumnali tempore, inveniuntur, ex quo concludo, *Tipulariarum fungivorarum* larvas, quibus fungi plerique, cum putrescant, scatent, ab iis ovorum partu impraegnari. Patet quoque ex his, quomodo eveniat, ut *Codrini* omnes vagina oviductus fortiori, et cum seta punctoria in usum vocanda, non indigeant; sunt enim Tipulariarum harum omnium larvae molles, segni corpore facilique opera tractandae.

SYNOPSIS

GENERUM CODRINORUM.

I. *Antennarum scapus* flagelli moniliformis articulis longior, saepe elongatus. *Psiloti.*

a. *Mandibulis* tridentatis; *antennis* tredecim- ad quindecimarticulatis; *alis* enervibus, vel subnervosis, areolae radialis oblongae vestigiis ante medium. Feminae quaedam apterae . . . . Gen. I. *Diapria* Latr.

b. *Mandibulis* edentulis rariusve bifidis; *antennis* sedecimarticulatis; *alis* areola radiali ovali postica brachialique una vel binis completis . . . . . Gen. II. *Belyta* Jur.

II. *Antennarum scapus* flagelli filiformis articulis brevior, vel parum longior. *Proctotrupini.*

A. *Abdominis* segmentis postremis in femina tubulum decurvum constituentibus Gen. V. *Codrus* Jur.

B. *Abdominis* apice non tubuloso.

a. *Petiolo abdominis* conico; *stigmate* indistincto; *areola radiali* oblongo-lanceolata . . . . Gen. IV. *Polyplanus* N. ab E.

b. *Petiolo abdominis* abrupte cylindraceo; *stigmate* distincto; *areola radiali* triangulari . . . . Gen. III. *Cinetus* Jur.

c. *Petiolo abdominis* abrupte cylindraceo; *stigmate* distincto; *areola radiali* lunata . . . . Gen. VI. *Euphorus* N. ab E.

d. *Petiolo abdominis* abrupte cylindraceo; *stigmate areolisque radiali* triangulari, *cubitalibus brachialibusque* distinctis . . . . . Gen. VIII. *Helorus* Latr.

T r i b u s I.

P s i l o t i.

Antennarum scapus reliquis articulis longior (porrectus tamen); *flagellum* clavatum, vel moniliforme. *Terebra* analis retracta, tubulo non prominulo. *Alae* enerves, vel nervis saltem debilioribus instructae; stigmate nullo.

Abdomen omnibus abrupte petiolatum. *Pedes* femoribus, tibiisve etiam, clavatis. Feminae quorundam apterae.

GENUS I.

D I A P R I A. Latr.

A *διαπρίω*, serra perscindo?

Diapria Latr. Précis des Charact. gen. des Ins. p. 110. *Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. Psilus Jur. Hymen. p.* 319. *tab.* 13. *Gen.* 48. *Panz. Krit. Rev. p.* 93. *Spin. Chalcidis spec. Fabr. Ichneumonis spec. Fabr. Vill. Rossi, Christ. Cyniphis spec. Geoffr. Schrank, Oliv.*

Antennae hypostomati infero insertae, tredecim-, quatuordecim- vel quindecimarticulatae; scapo longo, flagello apice crassiore vel clavato (in feminis), vel moniliformi (in maribus). *Alae* enerves, vel subenerves, stigmate nullo, ramoque stigmatico vel nullo vel ante medium areolam radialem elongatam moliente. *Thorax* antice productus. *Abdomen* abrupte petiolatum. *Terebra* retracta.

Mandibulae crassae, tridentatae. *Palpi maxillares* quinquearticulati in medio — *labiales* triarticulati apice crassiores.

Character naturalis.

Labrum breve, subtransversum. *Mandibulae* validae, extrorsum crassiores et dorso unisulcatae, introrsum dilatatae, apice oblique truncatae et acute tridentatae; dente terminali validiori et longiori incurvo, duobus interioribus magis approximatis brevioribus. *Maxillae* rotundatae, introrsum membranaceae. *Palpi maxillares* mala duplo longiores, quinquearticulati; primo articulo brevissimo, crassiori; secundo et tertio subaequalibus filiformibus, quarto

caeteris crassiori, quinto longiori, filiformi. *Lingua* brevis, membranacea, integra. *Palpi labiales* lingua paulo breviores, triarticulati, articulis brevibus, anterioribus duobus aequalibus, terminali majore, apice incrassato.

Habitus. Antennae supra clypeum insertae, divergentes, rectae, tredecim-, quatuordecim- vel quindecimarticulatae: *radicula* brevis, obconica, exserta; *scapus* longitudine circiter tertiae partis flagelli, vel brevior, clavatus; *pedicellus* brevis, obconicus; reliqui articuli pro sexu et in diversis speciebus varii, in *feminis* inferiores articuli obconici, tum reliqui sensim breviores, subrotundi, vel omnes subrotundi, tamen contigui, extremi denique vel sensim incrassati, vel tres quatuorve in clavam repente crescentes; *marium* flagellum filiforme, de quo infra. Corpus elongatum, angustum. *Caput* ratione reliqui corporis parvum, subglobosum, os versus parum contractum; vertice lato fronteque convexis. Ocelli distincti, in triangulum aequilaterum dispositi. *Oculi* parvi, subrotundi, laterales. *Thorax* ante alas conico-productus; *prothorace* transverso brevi et angusto, in collum minutum subito contracto; *thoracis* dorso aequali, antice saepe tomentoso. *Scutellum* distinctum, breve, muticum, segmento scutellari ad ejus latera depresso et subsulcato. *Metathorax* ovatus, convexus, ultra scutellum prominens, thorace medio angustior, in dorso saepe area oblonga insculptus, utplurimum tomentosus. *Abdomen* capite cum thorace plerumque paulo longius, vel ejusdem longitudinis, ovatum vel oblongum vel conicum, acutum, convexiusculum, laeve; *segmentum* primum, angustum, subcylindricum, vel conicum, teretiusculum, rugulosum, saepe tomentosum, petiolum sistit, reliquo abdomine quadruplo saltem breviorem; secundum segmentum maximum, subcampanulatum, basi angustiori subtruncatum; reliqua segmenta brevia, in apicem abdominis decrescentia. Venter convexus. *Terebra*, cum extremo segmento, seu anali, omnino retrahenda, mihi evalvis esse videbatur; bivalvem setaque media instructum cl. Latreillius eandem describit. *Pleurae* humiles. *Pectus* parvum, convexum. *Pedes* longiusculi, graciles quidem, sed *trochanteribus*, *femoribus tibiis*que in omnibus manifesto clavatis basique attenuatis insignes. *Alae* angustae, cuneiformes, apice rotundatae, tenues punctis piligeris inspersae, plerisque omnino enerves, nervo subcostali a basi costae conjuncto et ad unam fere tertiam costae partem cum eadem pergente, tum repente abrupto et puncti vel ramuli

stigmatici brevissima vestigia costae imprimente; paucis nervus radialis, areolam radialem elongatam angustam *) struens, et nervi brachiales, vel non conjuncti, vel areolam unam alteramve brachialem struentes, accedunt.

Feminae apterae thorace angusto distinguuntur.

Mares feminis *proceriores*, differunt a feminis ante omnia fabrica *antennarum*, quae magis elongatae, *flagello*que aequali moniliformi insignes sunt; hujus articuli omnes aequales, vel subclavati, vel globosi, pilosuli, in quibusdam pulchre verticillato-pilosi; tum vero et *abdomine* apice minus acuto, vel etiam obtuso.

Color corporis — praeter thoracem anticum, metathoracem et petiolum abdominis glabri et subtilissime punctati, in universum laevis — niger, rarius rufescens.

Metamorphosis et *vitae ratio* incognitae. Insecta subgregaria, locis humidis umbrosis immundis, sub foliis vel ramulis degentia, alis dorso arcte incumbentibus parcius utentia, sed ambulantia magis quam volitantia, in larvis *Tipulariarum terricolarum* sobolem gignere et educare videntur.

SECTIO I.

Copulati, i. e., quorum vel femina, vel uterque sexus cognitus est. *Feminae antennis* apicem versus crassioribus vel distincte clavatis; *mares* antennis moniliformibus.**)

1. Diapria *picipes*.

D. antennarum clava quadriarticulata; nigra, nitida, pedibus piceis. *Fem. alata. Mas* flagelli articulis oblongis, discretis, pilosulis pedibusque piceis.

Long. *feminae* lin. $^1/_2$ — $^2/_3$. *Maris* lin. 1 — $1^1/_8$.

Color totius corporis niger, nitens. *Antennae* distincte clavatae, nigro-fuscae, clava quadriarticulata. *Mandibulae* piceae. *Scutellum* obtusum et *petiolus abdominis* pubescenti-tomentosa. *Pedes* picei, nitidi.

Cepi *marem* cum *femina* copula conjunctum die 26. Julii a. 1809 in Sambuco nigra; tum feminam Octobre et Novembre mensibus, sub foliis aridis, marem Julio, Augusto et Septembre vario situ et loco prope *Sickershausen*.

Va-

---

*) Qua forma a *Belytarum* alis distinguuntur.

**) *Marium*, antennis pulcherrime moniliformibus et verticillato-pilosis insignium feminae pleraeque adhuc latent. Quas itaque masculini generis Diaprias in prima Sectione frustra quaesiveris, eas in secunda, precor, quaeras.

Varietates:

1. *Feminae.*

β. *Antennarum flagelli* articulis extremis parum crassioribus, ut antennae apice fere moniliformes appareant; *pedibus* magis testaceis, clava *femorum tibiarum*que fusca. Forte distincta species. Cepi Majo, Junio et Augusto mensibus prope *Sickershausen.*

2. *Maris.*

α. Long. lin. 1⅛. *Antennis* longitudine corporis, fuscis, verticillato-pilosis, *flagelli* articulis clavatis, *pedicello* pedibusque piceo-rufis; *femorum tibiarum*que clavis fuscis. Cepi in nemoribus prope *Sickershausen* die 11. Octobris a. 1812.

β. Long. lin. 1. *Antennis* corpore paulo brevioribus, *flagelli* articulis distinctis sed minus distantibus, primo articulo recto; *pedibus* totis fuscis, *tibiis* anticis basi et apice rufescentibus, posterioribus vix basi paulo pallidioribus. Cepi prope *Sickershausen* Junio mense.

Adnot. Marium hae et feminarum diversae formae totidem species esse videntur; sed characteres eruere certosque fines statuere non contigit.

2. Diapria *nigra.*

D. antennarum clava quadriarticulata; atra, nitida, tarsis pallidis. *Fem. alata.*

Mas. Antennis fuscis, corpore brevioribus, flagelli articulis subobconicis, pilosulis, minus dissitis.

Synon. *Psilus conicus Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 166. *n.* 1 (*excl. Syn.*). *Fide exempli, ad cl. Gravenhorst missi.* (*Mas.*)

Psilus n. 3. *Spin. l. c. Fasc. IV. p.* 234. (*Fem.*)?

Long. lin. ⅔. Species, praecedenti simillima habitu, sed utriusque sexus congrua structura haud difficile distinguenda. *Antennae feminae* clavam versus ita crassitie crescentes, ut clava multo minus, quam in *Diapria picipede*, distinguatur. *Corpus* totum nigrum est; *pedibus* piceonigris, solisque *tarsis* testaceis. *Alae* obscure hyalinae.

Maris antennae fuscae, *scapo* concolore; *flagelli* corpus aequantis validiorisque articulis obconicis, parum pilosis, minus discretis; primo extrorsum nonnihil emarginato.

Cepi *Marem* cum *femina* copula junctum die 26. Julii a. 1809. Caeterum uterque sexus omnium vulgatissimus prope *Sickershausen* sub muscis et herbis humilibus locis

suffocatis, Junio et Julio, rursusque Augusto et Septembre mensibus. In *Italia* cl. *Spinola* legit.

Adnot. *Psilus conicus* Spin. l. c., ipsius cl. *Spinolae* donum in collectionem *Gravenhorstianam* illatus, differt: *tibiis* aterioribus totis, posticis basi testaceis, *antennis* in medio fuscis; sed reliqua congruunt. *Chalcis conica* Fabr. non hujus loci, sed infra, *Diapriae conicae* nomine, exponenda.

3. Diapria *picicornis.*

D. antennarum clava triarticulata; nigra, nitida, antennis pedibusque rufo-piceis, clava antennarum fusca. *Fem. alata.*

Mas antennis corpore paulo brevioribus, validis, fuscis, scapo saepe apice, pedicello fere semper pedibusque piceo-rufis, femorum tibiarumque clavis plus minus fuscis; *flagelli* articulis parum pilosis, obconicis, rotundatis, modice discretis, primo extrorsum subemarginato.

Long. lin. $\frac{2}{3}$ — $\frac{3}{4}$. Haec quoque species, reliquis habitu generali persimilis, e colore *antennarum* et *pedum*, *clava* illarum triarticulata in *femina*, *flagello* corpore breviore in *masculis*, facile dignoscitur, ut multa addere, ne communia omnium repetam, jure verear. *Antennarum flagellum* validum, sed clava ratione flagelli infirmior. *Abdominis* petiolus crassior pauloque brevior, quam in duabus praecedentibus. *Pedes* fortiores, in *femina* toti e piceo rufi, saturati et concolores; in mare *clavae* femorum et tibiarum fuscae. *Alae* obscure hyalinae.

Habitat locis udis humidis, inter Juncos, et sero autumno sub foliis dejectis.

Cepi marem cum *femina* sociatum, neque vero copula conjunctum, Martio, tum Julio, Augusto et Octobre mensibus prope *Sickershausen.*

Adnot. Memoratu dignum, hac in specie marem femina non, ut in reliquis, esse proceriorem, sed ejusdem longitudinis et aliquando etiam paulo minorem.

4. Diapria *elegans.*

D. antennarum clava triarticulata; nigra, nitida, antennis pedibusque laete rufis, clava antennarum fusca. *Fem. alata.*

Mas antennis corpore longioribus pedibusque testaceis; flagelli articulis clavatis valde discretis, clava fusca pilosa; primo articulo non emarginato.

SYNON. (*Maris*) *Psilus elegans Jur. Hymen.* p. 319. *tab.* 13. *fig.* 48. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III.* p. 166. n. 2.

Diapria verticillata Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. III. p. 231. *Gen. Cr. et Ins. IV.* p. 37.

Long. fem. lin. 1., maris long. lin. 1¼. Statura praecedentis, sed paulo gracilior. *Antennae* feminae longitudine dimidii corporis, laete rufae; articulis *flagelli* brevibus, obconico-rotundatis, tribus extremis latioribus, fuscis, in clavam coëuntibus. *Corpus* nigrum, laeve. *Mandibulae* piceae. *Scutellum* acutiusculum, subtomentosum. *Metathorax* ovatus, area media valde distincta, infra scutellum tuberculo erecto pyramidali instructus. *Abdominis* petiolus satis distinctus, striatus, saepe tomentosus. Anus acutus. *Pedes* toti, cum *coxis*, laete rufi, concolores, solis *unguibus* fuscis. *Alae* cinerascenti-hyalinae, pilosae, omnino enerves, praeter nervi subcostalis brevis in punctum desinentis augmentum.

Mas femina paulo major, *abdomine* obtuso latiori, pretereaque maxime *antennis* distinguitur omnium elegantissimis, corpus nonnihil longitudine excedentibus, verticillato-pilosis, annulatis et remote moniliformibus; *scapus* ratione flagelli brevis, clavatus, totus testaceus; tum reliqui articuli omnes, cum *pedicello*, clavati, seu basi attenuati apice rotundato-incrassati, longitudine a basi ad apicem antennae, nec vero clavarum diametro crescentes, basi testacei et glabri, apice, ubi crassiores, fusci et pilis patentibus circum circa hirsuti, unde flagellum nudo oculo e testaceo fuscoque annulatum et verticillato-pilosum apparet.

Haud rara species, in nemorosis ad radices truncorum, ubi terram et herbas caute removeris, quandoque etiam in Quercu legenda. Cepi *mares* cum *feminis*, non copula quidem conjunctos, sed sociatos neque aliis sui generis intercurrentibus, locis supra memoratis prope *Sickershausen*, semel tantum Martio mense, tum maxime Junio, Julio, Augusto et Septembre mensibus. In *Gallia* primus legit cl. *Latreille;* in *Helvetia Jurine*, in *Liguria Spinola*, mecumque benevole communicavit.

5. DIAPRIA *suspecta.*

D. antennarum clava ovata triarticulata; nigra, tibiis basi rufescentibus, tarsis fuscis. *Fem. alata* (vel *aptera*).
Mas antennis validiusculis, corpore brevioribus, fla-

gelli fusci articulis ovatis, magis contiguis, parum pilosis; tibiis basi et tarsis distincte testaceis; alatus, vel *apterus*.

Long. fem. lin. $^1/_2$ — $^1/_3$, maris $^2/_3$ lin. Inter species, antennarum clava triarticulata instructas, *minor*, *pedum* nigredine a binis praecedentibus, *clava crassiori*, mariumque majori discrepantia a sequente distincta. *Statura* reliquorum eademque partium proportio. *Antennae* nigrae; *flagello* subfusco, clava *feminae* abrupta distinctissima. *Corpus* nigrum, subopacum; *prothorace*, *scutello petiolo*que *abdominis* tomentosis. Anus acutus. *Pedes* nigri; *tibiis* basi rufescentibus, *tarsis* fuscis. *Alae* obscure hyalinae, pilosae, enerves.

Mas femina paulo major, differt: *flagello* fusco, moniliformi, sed articulis minus, quam in reliquis, distantibus, subaequalibus praedito, et *tibiis* basi distincte testaceis, *tarsis* etiam non fuscis, sed testaceis. *Alae* ut in femina.

V a r i a t:

α. Paulo *major*, *clava antennarum* minus discreta, subovata. *Fem.*

β. *Minor*, *clava antennarum* distinctissima, ovata. *Fem.*

γ. *Aptera*, magnitudine varietatis *α*. *Mas* et *femina*.

Cepi mares et *feminas* varietatis majoris mense Aprilis in floribus Salicis auritae, Septembre et Octobre in terra humida nemorum prope *Sickershausen*.

Varietatis *β*. exempla feminea iisdem in locis, Majo, Septembre et Octobre mensibus, promiscue cum Varietate *α* legi.

Varietatis *γ*. *apterae* unum exemplum femineum die 26. Junii a. 1812 in horto *Sickershusano* inveni, alterum *masculini* sexus; iisdem in locis semel occurrebat, neque, quomodo differant a reliquis, nisi alarum defectu, intelligo.

6. Diapria *parvula*.

D. antennarum clava oblonga triarticulata; nigra, scapo antennarum pedibusque pallidis, tibiarum clava tarsisque fusco-piceis. *Fem. alata.*

Mas antennis gracilibus longitudine corporis, fuscis, flagelli articulis obconicis parum pubescentibus; pedibus fuscis, femoribus tibiisque basi distincte testaceis.

Long. *feminae* $^1/_3$, *maris* $^1/_2$ lin. Minima omnium et inter species, quibus clava flagelli triarticulata est, notis indicatis facilis distinctu. *Antennae* feminae mediocres; *scapo* testaceo; *flagelli* articulis inferioribus obconicis, sensim decrescentibus; antipenultimo et penultimo parum in-

crassatis et modice abbreviatis, quare clava oblonga, vel rectius basi cum flagelli articulis proximis subconfluens; extremus denique articulus maximus omnium est, globoso-ovatus. *Corpus* nigrum, *scutello* et *petiolo abdominis* tomentosis; anus acutus. *Pedes* fusco-testacei; *coxis* nigris; *femorum* clavis vix obscurioribus; *tibiarum* autem distincte fusco-piceis; *tarsis* subfuscis. *Alae* hyalinae, nervis, praeter subcostalem brevissimum costae contiguum, nullis.

Mas a maribus *Diapriae picicornis*, *nigrae*, *picipedis* et *suspectae antennis* gracilioribus differt, quarum *flagellum* ob articulos obconicos magis filiforme, quam moniliforme apparet. Accedit his *pedum* pictura distinctior.

Cepi *marem* et *feminam*, praecedentibus minus frequentes, Julio, Augusto et Septembre mensibus, in nemoribus prope *Sickershausen*, maximeque in quercu.

7. Diapria *conica* Latr.

D. antennis apicem versus incrassatis, clava subsexarticulata parum discreta, nigra, scapo pedibusque piceis, tibiis pallidioribus; abdomine conico-acuminato. *Fem.*

Mas antennis corpore longioribus fuscis, scapo pedibusque rufis; flagelli articulis elongato-cylindricis verticillato-pilosis, secundo basi extrorsum distincte emarginato, ano obtuso.

Synon. (*Feminae*). *Diapria conica Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 231. *n.* 2. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 37.

Psilus conicus Jur. Hymen. p. 319. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 166. *n.* 1.

Chalcis conica Fabr. Syst. Piez. p. 167. *n.* 33.

Ichneumon conicus Fabr. Syst. Ent. et Ent. syst. II. p. 188. *n.* 229. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 212. *n.* 251.

Cynips n. 33. *Geoffr. Hist. des Ins. II.*

Cynips Phragmitis Schrank. En. n. 647. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 76. *n.* 21?

Long. *feminae* lin. 1½, *maris* 1¾. *Antennae* feminae longitudine dimidii corporis, porrectae, validae; *scapo* crassiusculo, piceo, *pedicello* brevi, obconico; *flagello* moniliformi fusco, articulis anterioribus ovatis, exterioribus sex subglobosis et paulo crassioribus, clavam sensim increscentem constituentibus. Corpus elongatum, laeve, nigrum, nitidum. *Caput* subglobosum. *Thorax* antice et *metathorax* distincte prominentes. *Scutellum* parvum. *Abdomen* ca-

pite cum thorace paulo longius, oblongo-acuminatum, laevissimum; *petiolo* brevi, plerumque tomentoso; secundo segmento maximo, convexiusculo, reliquis in acumen conicum decrescentibus. Venter convexus. *Pedes* femoribus et tibiis valde clavatis, plerisque piceo-fusci, *tibiis* paulo pallidioribus, *tarsis* fuscis. *Alae* obscure hyalinae, pilosae, enerves, praeter nervulum subcostalem brevem, costae contiguum.

Mas Diapriae eleganti mari persimilis sed major, *abdominis petiolo* quam in femina distinctiore, reliquo abdomine ovali, obtuso *pedibus* rufis; *antennis* denique corpore longioribus a femina differt. A mare citato autem *antennis* ipsis non minus recedit. Hae validiores, fusco-piceae, *scapo* rufo, *flagello* concolore; articulis subaequalibus, cylindricis nec clavatis, discretis tamen, apicem versus pilis patentibus circumdati, primo paulo longiori extrorsum distincte emarginato, vel curvato; extremo acuto.

Variat femina:

β. *pedibus*, exceptis *coxis*, totis fere rufis.

Species, omnium vulgatissima, gregaria locis suffocatis, immundis, humidis, inter quisquilias degit, segnis, currendo latebras quaerens. *Mares* rariores inveniuntur, quam feminae. Cepi die 7. Septembris a. 1812, marem cum femina coëuntem in horto meo *Sickershusano*. Majo, Junio, Augusto, Septembre et Octobre mensibus apud nos occurrit. Feminam unam, communis pedum coloris, alteram varietatis β. misit cl. *Gravenhorst*, illam mense Majo in vallo *Gottingensi*, hanc Junio mense prope *Brunsvicum* in Ribe rubro captam. In *Daniae* nemoribus habitare *Fabricius* refert; in *Gallia Latreillius*, in *Liguria Spinola* legerunt. His omnibus autem non nisi de femina sermo est. *Marem* primus invenisse mihi videor.

Adnot. *Chalcis conica* Fabr. „femoribus" solis rufis describitur, alisque obscuris. Citat autem Latreillium, cujus species revera nostra est. An loco „femoribus" *tibiis* legendum? *Alas* ob pilos obscuros videri constat.

Ichneumon conicus Rossi. Faun. Etr. ed. Ill. II. p. 81. n. 795, cui „maculae alarum binae fuscae" tribuuntur, minime hujus loci esse potest. An *Cleonymi* species?

Cynips Phragmitis Schrank En. n. 647. Vill. Ent. Lin. III. p. 76. n. 21 cum signo interrogandi a cl. Latreillio ad *Diapriam conicam* citatur, nec multum obstat, quo minus varietati β conjungatur. Sed abdomen „postice attenuatum dicitur in caudam, semel articulatam, supra cy-

lindrico-teretem, subtus planam, apice leviter deflexam," quod fere magis *Codro* cuidam respondere videtur.

8. Diapria *cornuta*.

D. antennis apicem versus incrassatis subperfoliatis; tota nigra, nitidula; abdomine ovato-oblongo, acuto; fronte utrinque mucronata. *Fem.*

Synon. *Diapria cornuta Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 37.

Psilus cornutus Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXXIII. tab. 11. *Krit. Rev. p.* 93. *Jur. Hymen. p.* 317.

Long. lin. 2. Statura et structura corporis a praecedentibus multum aberrans. *Corpus* totum nigrum, immaculatum, pubescens. *Antennae* hypostomatis margini infero insertae, longitudine capitis cum thorace, tredecimarticulatae; *scapo* flagello multo breviore, obconico; *pedicello* cylindrico, subtus unidentato; *flagelli* articulis a primo ad nonum usque pateraeformibus, diametro sensim crescentibus, pilosulis, extremo articulo oblique ovato obtuso paulo longiore. *Caput* thoracis fere latitudine, vertice lato, rotundato; fronte supra aetennas in mucronulum brevem sublata, orbitaque utrinque prominula cincta; hypostomate maxime declivi. *Mandibulae* tridentatae, fuscae. *Prothorax* utrinque in angulum prominens. *Thorax* antice parum productus. *Scutellum* ut in reliquis. *Metathorax* ovatus, apice truncatus, dorso laeviusculus, ad petioli abdominis insertionem subbidentatus. *Abdomen* cum petiolo consideratum, longitudine thoracis cum capite, per se ovale, laeve, acutum, atrum, nitidum; *petiolo* angusto, subcylindrico, striolato, abdomine quadruplo fere breviore; secundo segmento maximo; reliquis in breve acumen decrescentibus. *Pedes* minus, quam in plerisque, clavati, nigri, concolores. *Alae* obscure hyalinae, nervis, praeter subcostalem abbreviatum, nullis.

Habitat in *Helvetia* (*Jurine*, *Panzer*); in *Liguria* (*Spinola*). Vidi exemplum, itinere laesum, quod olim amicus *Spinola* misit.

De mare conferas *Diapriam sericeicornem* n. 14, et *brunnipedem* n. 15.

Adnot. Icon Panzeri mala, os nimis rostriforme exhibet. *Pedes* in nostro magis fusci videbantur.

9. Diapria *dispar.*

D. antennarum clava triarticulata; nigra, nitida, pedibus totis antennisque rufis, clava nigra. *Fem. hemiptera. Mas* antennis clavatis, scapo pedibusque totis rufis.

Species, a reliquis cunctis discrepans, et forte proprii generis, maribus feminisque consimilibus, antennis clavatis praeditis, discrepantes, quos nisi copula junctos invenissem, vix unius speciei utrumque sexum habuissem.

Femina long. lin. 3/4, statura omnino *Psili antennarii* Jur., et nisi clava antennarum *triarticulata* non distinguenda, nigra, nitidula. *Antennae* validae, tredecimarticulatae, piceae; *radicula* brevissima; *scapo* longo, crasso, cylindrico; *pedicello* obconico, breviori; *flagello* decemarticulato, articulis septem anterioribus subglobosis multo minoribus, octavo et nono pateraeformibus latioribus, cum duodecimo ovato obtusiusculo clavam perfoliatam fuscam efformantibus. *Caput* magnitudine thoracis, supra os ad antennarum insertionem productum, nigrum, pubescens. *Thorax* subquadratus, postice declivis, lobo scutellari obsoleto niger, pubescens. *Metathorax* subnullus. *Abdomen* ovatum, brevissime petiolatum, planiusculum, obtusum, laeve, nigrum, nitidum. *Terebra* recondita. *Pedes* piceo-rufi; *femoribus tibiis*que clavatis, validis; *tarsis* tenuibus, *unguibus* nigricantibus. *Alae* minutissimae, incumbentes, lineares, obtusae, obscurae, omnino enerves.

Mas. long. lin. 1/2. *Antennae* decemarticulatae; *radicula* brevissima; *scapo* longitudine dimidii flagelli, crasso, subcompresso, testaceo; *pedicello* cum flagello infracto, obconico, tenui rufo-fusco; *flagelli* articulis primo et secundo fere filiformibus, longitudine decrescentibus, tertio et quarto subglobosis parvis, his rufo-fuscis, quinto, sexto et septimo nigris, clavam crassam perfoliatam constituentibus, quinto et sexto scilicet transversis, septimo ovato acuto. *Caput* atrum, nitidum. *Abdomen* subsessile; segmento secundo maximo, reliquis transversim linearibus, brevissimis; anus obtusus. *Pedes* toti testacei, *coxis trochanteribus*que brevibus. *Alae* obscurae, pilosae, nervo subcostali abbreviato costae conjuncto more congenerum; ramo stigmatico multo.

Cepi *marem* cum *femina* coitu conjunctum die 7. Junii a. 1808 locis humidis in gramine prope *Sickershausen;* marem alterum die 27. Septembris ejusdem anni locis udis sub fungo quodam inveni.

10. DIAPRIA *antennata.*

D. antennarum clava quadriarticulata; nigra, nitida, pedibus totis antennisque rufis, clava nigra. *Fem. aptera.*

SYNON. *Psilus antennatus Jur. Hymen. p.* 319. *tab.* 13.

Long. vix lin. 1. Corpus nigrum, totum pubescens. *Antennae* hypostomati infere insertae, validae, thorace breviores, quatuordecimarticulatae, pubescentes; *radicula* brevissima; *scapo* longitudine dimidii flagelli, obconico-clavato, compresso, crasso, recurvo, rufo; *pedicello* crasso, obovato, rufo; *flagelli* articulis septem anterioribus rufis, transversis, pateraeformibus, ad diametrum modice crescentibus, quatuor extremis arcte contiguis, clavam crassam ovatam nigram constituentibus, quorum tribus anterioribus pateraeformibus, extremo ovato obtuso minori et angustiori. *Caput* thorace latius, globoso-cubicum; vertice lato, subquadrato, convexiusculo; *oculis* parvis, magis anterioribus. *Thorax* angustus, oblongus, compressus, antice truncatus, pubescens. *Scutellum* parvum, satis distinctum, obtusum. *Metathorax* ovatus, convexus, aequalis, non areatus, pubescens. *Abdomen* capite cum thorace paulo longius, at vero duplo fere thorace latius, ovatum, atrum, magis nitidum, pubescens; *petiolo* distincto, gracili, lineari, dense pubescente, longitudine circiter metathoracis; secundo maximo, campanulato, convexo, basi retuso; reliquis parvis, in acumen coëuntibus. *Terebra* recondita. *Pectus* angustum. *Pedes* graciles, *femoribus tibiisque* parum clavatis, cum coxis rufo-testacei, *unguibus* fuscis. *Alae* omnino nullae.

Femina in *Helvetia* a cl. *Jurineo* lecta est. *Mas* latet.

Adnot. Praecedentis feminae adeo similis, ut eandem existimares, nisi *clavae* quadriarticulatae major vis et *alarum* penitus deficientium nota dissuaderent. Seorsim igitur tractavi speciem, a me non rite examinatam.

SECTIO II.

Mares, antennis magis vel minus moniliformibus instructi, quorum feminae latent.

Alae nonnullis enerves, et solo nervulo subcostali, costae contiguo, instructae, ut in praecedentibus, vel nervis magis distinctis accedentibus, alis *Belytarum* subsimiles.

11. Diapria *petiolaris*.

D. nigra, nitida, antennis filiformibus, flagelli articulis obconicis aequalibus; scapo, petiolo abdominis pedibusque totis rufo-testaceis. *Mas.*

Long. lin. 2/3. Statura gracilis, fere maris *Diapriae parvulae* (p. 324. n. 6), sed *petiolo abdominis discolore* ab omnibus cognitis distincta. *Antennae* corpore paulo breviores, tenues, articulis *flagelli* omnibus aequalibus, obconicis, parum pubescentibus, nigro-fuscis; *scapo* et *pedicello* laete rufo-testaceis, hoc articulo insequente nonnihil longiore, etiam obconico; reliquum flagellum nigrofuscum. *Caput* et *thorax* nigra, nitida. *Metathorax* structurae communis, fuscus. *Abdomen* breve, obovatum, laeve, atrum, nitidum; *petiolo* recto, cylindrico, distincto, villosulo, testaceo. *Pedes* toti, cum coxis, testacei, immaculati. *Alae* hyalinae, enerves, stigmateque nullo conspicuo.

Cepi unum *marem* die 20. Septembris a. 1812 in nemore prope *Sickershausen*. *Femina* non declarata.

12. Diapria *rufiscapa*.

D. atra, nitida, antennis filiformibus, flagelli nigri articulis vix longioribus quam latioribus, subcylindricis, discretis, nigris, primo, pedicello, scapo pedibusque rufotestaceis; abdominis petiolo brevi, concolore. *Mas.*

Long. lin. 1/2 Similis praecedenti, a qua caute, sed tuto distinguenda: *statura* minore, breviore; *antennis* paulo validioribus, articulis flagelli brevioribus, non obconicis, sed fere cylindricis; *petiolo abdominis* breviore, concolore; *alarum* stigmate punctiformi, distincto. *Corpus* atrum, laeve, nitidum. *Scapus* antennarum flagello multo brevior; *pedicellus* obconicus, et primus flagelli articulus rufo-testacei. *Abdominis petiolus* brevis, subconicus, niger, pubescens; reliquum abdomen obovatum, obtusum, laeve, atrum, nitidum. *Pedes* toti rufo-testacei, immaculati; *coxis* concoloribus. *Alae* hyalinae; nervus subcostalis non statim a basi costae conjunctus, sed spatio quodam ab ea distans, mox ad eam deflexus, punctum conjunctionis distinctum nigrum provocans; ramus stigmaticus nullus, vel inconspicuus.

Cepi unum *marem* in nemoribus prope *Sickershausen* die 27. Septembris a. 1812. *Feminam* non vidi.

13. Diapria *striolata*.

D. nigra, nitida, pedibus fuscis; antennis validis, filiformibus, articulis cylindricis; petiolo abdominis striato; metathorace bispinoso. *Mas.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Structura a communi forma deflectit, et ad species sequentes appropinquatur. *Caput* magis transversum, minus globosum; hypostomate brevi, lato, tuberculo supra clypeum aucto. *Antennae* longitudine corporis, validae, nigrae; *scapo* vix longitudine tertiae partis flagelli; *pedicello* brevi; subobconico; *flagello* duodecimarticulato, primo articulo longitudine pedicelli, subobconico, secundo multo longiore extrorsum nonnihil emarginato, reliquis cylindricis discretis, extremo longiore. *Thorax* ovatus, laevissimus, nitidus, ater. *Metathorax* brevis, truncatus, rugosus, niger, supra petiolum abdominis valide bispinosus. *Abdomen* obovatum, obtusum, planiusculum, laevissimum, nitidissimum, atrum; *petiolus* reliquo abdomine triplo brevior, planiusculus, linearis, striatus, subtomentosus. *Pedes* fusci, *femoribus tibiis*que clavatis, basi pallidioribus. *Alae* obscurae, basi pallidiores, pilosae; nervus subcostalis arcu ad costam deflectens; punctum conjunctionis distinctum, lineare, nigrum; ramus stigmaticus nullus.

Cepi unum *marem* prope *Sickershausen*, loco et tempore non notatis, neque circa *feminam* quicquam expertum est.

Adnot. Cum hac specie et praecedente alarum completior textura veluti prima incrementa capit, nervulo subcostali, a basi libero, ad costam arcu revertente et punctum stigmaticum loco conjunctionis struente.

14. Diapria *sericeicornis.*

D. nigra, nitida, antennis validis filiformibus, articulis cylindricis sericeo-pilosis; abdominis petiolo trisulco; metathorace bispinoso; fronte mucronulata; alis subnervosis. *Mas.*

Synon. *Psilus sericeicornis Spin. Ins. Lig. Fasc. IV. p.* 232. *n. LXXXII (Descriptio elegantissima!)*

Long. lin. 2. *Antennae* nigrae, filiformes, quatuordecimarticulatae; *radicula* brevissima, recondita; *scapus* brevis, cylindricus; *pedicellus* scapo brevior sed etiam cylindricus, glaber, *flagelli* articulus primus minimus, subglobosus, sericeo-villosus, reliqui omnes subaequales, cylindrici, basi abrupte coarctati, discreti, villosi, villis brevibus decumbentibus, extremo elongato, obtuso. *Corpus* totum nigrum, glabrum, nitidissimum. *Caput* vertice rotundato; hypostomate brevi declivi; fronte supra antennas in brevem mucronem prominula. *Thorax* laevigatus,

lineola media longitudinali antice impressus. *Scutellum* breve, subovatum, obtusum. *Metathorax* prominens, ovatus, apice truncatus, rugosus, ad petioli abdominalis insertionem spinulis duabus rectis porrectis armatus. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, ovato-oblongum, laevissimum, nigrum, nitidum; *petiolo* longitudine dimidii abdominis, angusto, sublineari, trisulco; segmento secundo maximo, campanulato; reliquis brevissimis; ano obtuso. *Pedes* elongati, nigri, pilosuli; *coxis* incrassatis, conicis, *trochanteribus, femoribus tibiis*que clavatis; *tibiis tarsis*que subvillosis, basi piceis. *Alae* hyalinae, pilosae; nervus subcostalis a costa distinctus, ubi costam ante medium attingit, stigma distinctum subquadratum producens: nervus brachialis unus, interior, cum nervo subcostali anastomosi ante stigma junctus, areolam unam brachialem perfectam circumscribit, ramulus stigmaticus brevissimus oblique retrorsum tendit.

Habitat in montibus *Orerii* rarus, in floribus umbellatis, media aestate (*Spinola* l. c.). Vidi unum exemplum masculini sexus, mihi a cl. *Spinola* a. 1809 missum, *Psili cornuti* Panz. nomine cum signo interrogandi adscripto.

Adnot. Vix dubium est quin *mas* sit *Diapriae cornutae* p. 327. n. 8., sed quoniam vir Cl. *Spinola* l. c. ut novam speciem tractat, suspicor, eum, observatione melius edoctum, diversum esse ab illius mare iudicasse, vel saltem dubitasse. Nostrum autem non est, ubi tanti viri dubitant, audaces litem dirimere. Conferas hac de re speciem sequentem.

15. Diapria *brunnipes.*

D. nigra, nitida, pedibus piceo-rufis; antennis crassis, subsetaceis; abdominis petiolo quadrisulcato, alis subnervosis. *Mas.*

Synon. *Psilus brunnipes Mus. Gravenh.*

Long. lin. $1\frac{1}{4}$. Statura omnino praecedentis, cujus forte varietas. *Caput*, quale in illo, depresso-cubicum; vertice suborbiculato, convexiusculo, lato; fronte pro insertione antennarum truncata, et earum originem margine supero recto, utrinque in angulum eminente, tegente. *Hypostoma* reclinatum, fere horizontale, tuberculatum, *clypeo* et *mandibulis* in rostrum breve, retrorsum spectans, conniventibus, ut speciem omnino exhibeat capitis *Diapriae cornutae* p. 327. n. 8. *Antennae* fronti truncatae insertae, corpore breviores, quindecimarticulatae;

scapo crassiori, cylindrico, duorum articulorum sequentium simul consideratorum longitudine, nigro; *pedicello* breviore et reliquis articulis fuscis, pubescentibus, discretis; extremis paulo tenuioribus. *Thorax* ovatus, antice ciliatus. *Scutellum* truncatum, laeve, marginatum. *Metathorax* subcylindricus, rugulosus, supra petiolum abdominis in dentes duos validos obtusos prominens. *Abdominis petiolus* longitudine tertiae partis abdominis, linearis, planiusculus, carinis tribus marginibusque elevatis in sulcos quatuor aequales distinctissimos divisus, ciliatus; abdomen reliquum *ovatum*, obtusum, planiusculum, laeve, apice praesertim ciliatum; secundo segmento linea impressa argutissima notato. *Pedes trochanteribus, femoribus tibiis*que clavatis, piceo-rufi; *coxis* obscurioribus. *Alae* latiusculae obscurae; villosae, stigmate, ramoque stigmatico vix ullis, sed nervis aliquot obsoletis brachialibus divergentibus, et puncto discoidali antico fusco notatae.

Vidi *marem* unum, a cl. *Gravenhorstio* prope *Gottingam* captum.

Adnot. Hunc quoque marem *Diapriae cornutae* censere licet.

16. Diapria *brachialis.*

D. nigra, nitida, pedibus fuscis, tibiis basi tarsisque rufescentibus; antennis filiformibus, flagelli articulis subcylindricis brevibus, primo extrorsum emarginato; abdominis petiolo gibbo; alis subnervosis. *Mas.*

Synon. *Diapriae spec. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 36 nota?*

Long. lin. 1. Statura duorum praecedentium, sed plus dimidio minor. *Antennae* quindecimarticulatae, nigrae, quoad structuram magis accedunt antennis *Diapriarum picicornis*, *nigrae* et horum affinium, sed validiores sunt, articulis *flagelli* minus discretis, cylindricis, pubescentibus; primo paulo longiori et extrorsum distincte emarginato. *Caput* structura duorum praecedentium, depresso-cubicum; vertice amplo, convexiusculo, suborbiculato; fronte ad insertionem antennarum truncata, capitis margine antico recto, utrinque ad oculos prominulo, superne adspicienti antennarum ortum obtegente; hypostomate adeo reclinato, ut situ fere horizontali versus pectus respiciat, tuberculato; *clypeo* et *mandibulis* in rostrum breve, retrorsum spectans, conniventibus. *Color* capitis, uti totius corporis, niger; superficies laeviuscula, subpubescens, tamen

nitida. *Thorax* ovatus, laevis. *Metathorax* satis productus, ovatus, laevis, inermis. *Abdomen* obovatum, laevissimum, nitidissimum; *petiolo* brevi, subovato, gibbo, basi truncato, postice parum contracto, ruguloso, pubescente. *Pedes* fusci; *coxis* nigris; *tibiis* basi *tarsis* totis rufescentibus. *Alae* subobscurae, pilosae; areola brachiali una completa baseos obconica, a qua nervus subcostalis ad costam tendens, brevique spatio cum eadem conjunctus, ulterius producitur, ramulumque stigmaticum brevissimum obliquum ante medium emittit.

Cepi *marem* unum in gramine prope *Sickershausen* die 3. Septembris a. 1812. *Femina* non innotuit.

17. DIAPRIA *radialis.*

D. nigra, nitida, pubescens, antennis pedibusque piceis; flagelli filiformis articulis cylindricis brevibus, primo aequali; petiolo abdominis cylindrico, striato; areolis alarum brachiali et radiali distinctis. *Mas.*

Long. lin. 1¼. Per gradus haec magis magisque ad *Belytas* appropinquatur, et satis similis videtur *Belytae striolatae*, in subsequentibus describendae. Sed character *Diapriarum* proprius adest, nec sinit ab his ad illas transferri. *Antennae* thorace paulo longiores, filiformes, hypostomati infero insertae, nec vero clypeo proximae; *scapus* solitae longitudinis, fuscus; *pedicellus* ovatus, saturate rufus; *flagellum* piceum, articulo primo reliquorum longitudine cylindrico aequali, secundo illo paulo crassiore, etiam cylindrico et reliquis, paulo longioribus sed ejusdem formae, discretis pubescentibus. *Caput* transversum; vertice lato, obtuso, laevissimo; hypostomate brevi, tuberculo notato. *Mandibulae* piceae; reliqua capitis nigra, nitida. Totum *corpus* atrum et nitens. *Thorax* ovatus, compressus, laevis, pubescens. *Metathorax* sub scutello foveola rectangula transversali insculptus, ovatus, rugulosus, truncatus, supra petiolum abdominis obsolete bidentatus. *Abdomen* structurae communis; *petiolus* reliquo abdomine circiter quatruplo brevior, subcylindricus, convexiusculus, basi marginatus, apice nonnihil dilatatus, striatus vel subtrisulcus, pubescens quidem, nec vero tomentosus; secundum segmentum ut reliqua, laevissimum, atrum, nitidissimum, basi lineola media impressum et utrinque subplicatum; anus obtusus. *Pedes* graciles, picei, *femorum tibiarumque* clavis mediocribus, paulo obscurioribus. *Alae* obscure hyalinae, pilosae; nervus subcostalis (cubitus)

costa multo validior, ante mediam alam costae conjunctus, in stigma lineare obliquum transit; nervus brachialis unus, obsoletus, postica versus evanescens; nervulus a stigmate recurrens, curvus, *areolam brachialem* imperfecte claudit; *areola radialis* lineari-lanceolata, elongata multoque longior quam in *Belytis*, proxime ad apicem alae procurrens, nervo, ex apice stigmatis orto, antrorsum nonnihil producto, prope apicem obsoletiori, limitata; nervus alter discoidalis alae interiora versus accedit, prope apicem nervi brachialis situs, antice posticeque abruptus.

Cepi *marem* hunc a. 1812 prope *Sickershausen* in nemoribus, die non citato. *Femina* me latet.

18. Diapria *nervosa.*

D. atra, nitida, pubescens, antennis filiformibus pedibusque rufis; flagelli articulis cylindricis, longiusculis, primo aequali; abdominis petiolo elongato sulcato; areolis alarum brachiali et radiali conspicuis. *Mas.*

Long. lin. 2. Praecedenti confinis, eademque *Belytarum* ei propinquitas. *Antennae* longitudine corporis, quatuordecimarticulatae, totae rufae; *scapus* mediocris; *pedicellus* et primus *flagelli* articulus breves, obconici; reliqui omnes cylindrici, elongati, aequales. *Caput*, *thorax* et *abdomen* atra, nitida, laevia, villis longis sparsis albidis vestita. *Caput* cubico-globosum; vertice lato, convexo; fronte ad insertionem antennarum producta. *Oculi* parvi, laterales. *Thorax* gibbus, antice declivis. *Metathorax* ovatus, laeviusculus, inermis. *Abdomen* obovatum, obtusum, laeve, glabrum; *petiolo* longitudine abdominis reliqui, cylindrico, sulcato, ciliato. *Pedes* toti rufi, immaculati. *Alae* cuneiformes, pubescentes, subobscurae; nervus subcostalis (cubitus), statim a basi discretus et paulo ante mediam alam costae conjunctus, cum eadem stigma (seu costae partem communem crassiorem), lineare nigrum exstruit, ex quo introrsum et antica versus ramulus brevissimus, apice bifidus indeque evanescens, descendit; retrorsum autem ab extremo stigmate ramulus alter obsoletior egressus, *areolae radialis* linearis, elongatae, vestigia vix discernenda describit; *areola brachialis* una, obsoleta, trigona, nervo arcuato postice clausa, cujus interius crus, margini alae interiori parallelum, ad apicem pergit; accedit nervus alter longitudinalis disci, difficile distinguendus.

Cepi unum *marem* die 18. Augusti a. 1810 in dumetis prope *Sickershausen*. *Femina* non innotuit.

GENUS II.

BELYTA Jur.

Derivatio nominis obscura, vel nulla forsan. An a βελίτης, sagittalis? Sed tum „Belita" scribi debuisset.

Belyta Jur. Hymen. p. 311. *tab.* 14. (*suppl.*) *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 37. *n. CCCCLXVIII* (*excluso genere Cineto*).

Antennae hypostomati infero prominulo insertae, sedecimarticulatae; *scapo* longo; *flagello* apicem versus moniliformi vel perfoliato. *Alae* areola radiali una, postica, oblonga, minuta; cubitali subindicata; brachialibus distinctis. *Thorax* antrorsum non productus. *Abdomen* abrupte petiolatum. *Terebra* subprominula.

Mandibulae tenues, acutae, integerrimae, rarius bifidae. *Lingua* inciso-cordata. *Palpi maxillares* elongati, quadriarticulati; *labiales* subclavati, triarticulati.

Character naturalis.

Labrum breve, rotundatum. *Mandibulae* angustae, falcatae, integerrimae, acutae; in una specie bifidae. *Maxillae* breves; mala subcoriacea, rotundata, ciliata. *Palpi maxillares* quadriarticulati, elongati, filiformes; articulo primo elongato, clavato; reliquis subaequalibus, cylindricis, tertio paulo breviore subcompresso, quarto acuto, parum longiori. *Labium: mentum* breve, aequale, corneum, acutum; *lingua* latior, membranacea; inciso-cordata. *Antennae* hypostomati infero, valde prominulo insertae, elongatae, porrectae, sedecimarticulatae, pubescentes; *radicula* brevis, subimmersa; *scapus* longitudine saltem capitis, porrectus, validus, cylindricus; *pedicellus* obconicus, brevis; *flagelli* articulus primus *vel* obconicus, pedicello major, et tum reliqui articuli omnes pateraeformes, diametro sensim crescentes, flagellum *perfoliatum*, apicem versus incrassatum construentes (*feminae*), vel primo, secundo et tertio pedicello paulo brevioribus, cylindricis, inter se aequalibus, tum reliquis omnibus, diametro aequali, longitudine decrescentibus, extremis tandem quatuor vel quinque subglobosis (*mares*).

Habitu species hujus generis ad *Diaprias* accedunt, sed charactere constanti facilique perceptu distinguendae sunt.

Ca-

Caput thoracis fere latitudine, rotundato-obtrigonum; vertice latiori quam longiori, convexo, ocellis tribus in triangulum positis praedito; fronte lata, convexa; hypostomate ad antennarum insertionem producto, vel etiam tuberculo aucto genae angustae, planiusculae. *Oculi* ovato-subrotundi, laterales. *Prothorax* brevis, subsemicircularis, antice in collum brevissimum cuspidatus. *Thorax medius* latior quam longior, depressiusculus, sulcis divisus et in lobos subaequales partitus. *Scutellum* parvum, muticum. *Metathorax* satis productus, ovatus, convexus, sub scutello saepe areatus, rugosus, vel spinulosus. *Abdomen* capite cum thorace longius et saepe latius, ovale vel ovatum, convexum; primo segmento angusto, petiolum sat longum exhibente; secundo maximo, campanulato, plerumque sulco notato, reliquis brevissimis, contractis; in femina anus acutus. Venter convexus. *Terebra* forma apiculae brevissimae exserta; in multis etiam tota recondita. *Pedes femoribus* apice subincrassatis, neque vero ut in *Diapriis* distincte clavatis; *tibiis* subaequalibus, spinula terminali solitaria brevi instructis; *tarsis* longis. *Alae* satis magnae, pubescentes, non pictae; *stigma* in media costa punctiforme, obsoletum, ubi nervus subcostalis, a basi costae parallelus et propinquus, isti conjungitur; *areola radialis* una, dimidiato-ovalis, minutissima, interdum incompleta; *areolae cubitales* duae (saepe obsoletissimae), nervo a stigmate recurrente non perfecte separatae, prima obliqua, secunda incompleta apicem alae occupante; *areolae brachiales* duae, vel solitaria eaque ampla; nervi recurrentes nulli.

Color corporis, saepe nitentis, ater, abdomine vel concolore, vel rufo; *pedes* plerisque rufescentes.

Mares a feminis distinguuntur: *antennis* longioribus, magis filiformibus, articulis cylindricis exstructis, nunquam moniliformibus vel perfoliatis et apice crassioribus; primo *flagelli* articulo extrorsum emarginato; tum *abdomine* paulo breviore et obtuso, neque acuto.

Metamorphosin subire videntur in larvis insectorum, maximeque *Tipulariarum fungicolarum*. Imago, autumnali tempore, satis frequens, et saepe gregaria, subfungis, foliis dejectis, et in graminibus et fruticibus, rarissime in floribus occurrit.

1. Belyta *petiolaris.*

B. atra, nitida; antennarum basi pedibusque rufis; petiolo longitudine abdominis, aequali, ruguloso; alis obscure hyalinis. *Fem.*

Long. lin. $2^1/_2$. *Antennae* corpore paulo breviores, *scapus* et *pedicellus* rufi, reliqui articuli fusco-nigri, anteriores subcylindrici, postremi subglobosi et paulo crassiores. *Corpus* totum nigrum, nitidum, pubescens. *Caput* latitudine thoracis, fronte convexa. *Mandibulae* piceae. *Thorax* (cum prothorace et metathorace) ovatus. *Metathorax* basi sub scutello rugosulus. *Abdomen* subovatum, atrum, nitidum; *petiolo* lineari, depresso, secundum longitudinem rugosulo, reliquum abdomen longitudine aequante; secundo segmento maximo, sulco longitudinali, postice abbreviato impresso; tertio brevi; reliquis omnino fere latentibus, vel potius cum quarto in breve acumen conicum confluentibus. *Terebra* brevis, vix exserta. *Pedes* laete testacei; *coxis* concoloribus; *unguibus* fuscis. *Alae* obscure hyalinae.

V a r i a t:

β antennis fuscis, basin versus rufis.

Cepi *feminam* Var. *α* et *β* die 1. Novembris a. 1808 sub foliis dejectis prope *Sickershausen.* De *mare* nihil constat.

Adnot. Petioli abdominalis longitudine satis distincta species.

2. Belyta *Boleti.*

B. atra, nitida, antennarum basi pedibusque rufis; petiolo abdomine triplo breviore, aequali, striato; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Synon. *Belyta species altera. Jur. Hymen. p.* 311?

Long. lin. $1^1/_2$ — 2. *Antennae* longitudine fere corporis, testaceae, apice fuscae; *flagelli* articulis anterioribus brevibus, cylindricis, extremis paulo crassioribus subglobosis. *Corpus* in universum atrum, nitidum, pubescens. *Caput* thoracis latitudine; fronte convexa; vertice haud admodum lato, convexo. *Thorax* (cum metathorace) ovatus, parum convexus. *Metathorax* prominulus, basi sub scutello rugosulus, inermis. *Abdomen* capite cum thorace paulo longius et latius, atrum, nitidum; *petiolo* longitudine tertiae partis abdominis reliqui, cylindrico, subdepresso, longitudinaliter ruguloso striato; secundo

segmento maximo, ovato, tres quartas partes totius abdominis efficiente, convexo, laevissimo, nitidissimo, sulco medio longitudinali, postice abbreviato, impresso; quatuor reliquis in conum parvum, quadriannulatum apice truncatum connatis. *Terebra* brevissima, vix conspicua. *Pedes* cum *coxis* rufo-testacei; *femoribus* apice subincrassatis; *tibiis* non clavatis. *Alae* corpore longiores, hyalinae, nitidae.

Mas femina paulo major, differt: *antennis* longioribus, articulis omnibus cylindricis, neque posterioribus reliquis multo brevioribus; tum *ano* obtuso.

Cepi die 16. Octobris a. 1810 gregariam, *mares* cum *feminis*, sub Boleto eduli Pers., agmine tardo poris fungi incumbentes; aliis etiam in locis exeunte Septembre et primo Octobre prope *Sickershausen* deprehendi.

3. Belyta *bisulca.*

B. atra, nitida, antennis basin versus pedibusque rufis, femoribus posticis basi subobscurioribus; petiolo longitudine dimidii abdominis, aequali bisulco; alis obscure hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$ — 2. A praecedente specie, cui valde similis, hisce imprimis notis distinguitur: *antennis* pallidioribus; *petiolo abdominis* paulo longiori, simulque crassiori, magis ruguloso, sulcis duobus mediis, non adeo profundis, inaequalibus impresso, nec lineis rectis parallelis striato; *coxis* denique *femoribus*que posticis basi fuscis, nec rufis concoloribus.

Reliqua omnino praecedentis. *Corpus* atrum, nitidum, subpubescens. *Antennae feminae* basin versus lato tractu testaceae, articulis subcylindricis, extremis brevioribus, ovatis, fuscis. *Metathorax* sub scutello rugosus, subinermis. *Pedes* testacei, solis *coxis posticis* basi *femoribus*que iisdem basi obscurioribus. *Ungues* fusci. *Alae* obscure hyalinae, subinfuscatae.

Mas differt a femina: *antennis* crassioribus, fere nigris, articulis *flagelli* cylindricis subaequalibus; *scapo*, *pedicello*, et primo flagelli articulo basi, solis, sed determinate, rufis; *metathorace* sub scutello spina recurva valida armato; *petiolo abdominis* paulo graciliori et laeviori, sulcis angustioribus; *femoribus* posticis concoloribus, rufis; *alis* obscurioribus.

Cepi *marem* et *feminam*, Septembre et Octobre mensibus in pratis prope *Sickershausen*.

V a r i a t:

β. Long. lin. 1⅛ *antennis* paulo tenuioribus *pedibus*que totis fere testaceis; *petiolo abdominis* breviore, sed evidenter bisulco. *Fem.*

Ab exemplis minoribus *Belytae Boleti petioli* abdominalis sulcis manifestis et *alis* obscuris, *antennis* etiam ratione corporis validioribus satis differt. An species propria?

Cepi unam *feminam*, autumno, prope *Sickershausen*, loco non indicato.

4. BELYTA *affinis.*

B. atra, nitida, antennis pedibusque piceo-testaceis, femoribus tibiisque basi et tarsis pallidioribus; petiolo longitudine dimidii abdominis subcylindrico, postice constricto, unisulcato; alis obscure hyalinis. *Mas.*

Long. lin. 1¼. Species altera, non minus cum difficultate, sed tuto tamen distinguenda. Similis *Belytae bisulcae* mari, a qua differt: *statura* minore; *antennis* pallidioribus, piceo-testaceis, *scapo* tamen et *pedicello* magis rufescentibus; *petiolo abdominis* paulo longiore, tenuiore, ante marginem posticum leniter constricto, dorso sulco obsoleto medio, lineisque duabus, una utriusque lateris, subtilissimis insculpto; *pedibus* obscurioribus; *coxis* piceis nec rufis.

Cepi unum *marem*, autumno a. 1812 prope *Sickershausen*. *Femina* non declarata est.

5. BELYTA *fuscicornis.*

B. atra, nitida, antennis fuscis, scapo obscuriori, pedibus piceo-fuscis, femoribus basi tibiis tarsisque testaceis; petiolo abdomine fere triplo breviore, rugoso, basi constricto; alis obscure hyalinis. *Mas.*

Long. lin. 1½. Differt a praecedente: *antennis* fuscis; *scapo* obscuriore (qua nota etiam ab omnibus praecedentibus discernitur); *abdominis petiolo* breviore, una tertia abdominis tamen longiore, multo magis inaequali et ruguloso, postice subcylindrico et obsolete unisulcato, prope basin abrupte constricto et hinc angusto; *pedibus* obscurioribus, piceo-fuscis, *trochanteribus femoribus*que basi, *tibiis tarsis*que totis, nec tibiis basi tantummodo, testaceis. Color reliqui corporis ater, nitidus. Structura universa a generali charactere non aberrat.

Cepi, cum praecedentibus prope *Sickershausen marem* autumno; *femina* latet.

6. Belyta *femoralis.*

B. atra, nitida, antennis fuscis, basi pallidis, pedibus piceo-testaceis, femoribus posticis apice late fuscis; petiolo longitudine abdominis, aequali, trisulco; alis hyalinis. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2½. A *Belyta petiolari*, cui soli propter staturam et longitudinem petioli abdominis comparanda, differt: *abdominis petiolo* distincte trisulco, et *pedibus* multo obscurioribus. Reliqua corporis utrisque congruunt maxime; sed *robustior* haec est, quam illa, et utroque sexu sibi ad amussim conveniens, ut de specifica dignitate disceptare vix liceat. *Alae* in ista nostra minus obscurae, sed fere hyalinae videbantur. *Femora* satis valida et subclavata.

Mas differt: *antennis* elongatis, totis rufo-fuscis et *petiolo abdominis* graciliori.

Cepi *marem* cum *femina* primo Octobris a. 1810 in sylvis prope *Sickershausen.*

7. Belyta *sanguinolenta.*

B. atra, nitidiuscula, antennis basi pedibusque rufis petiolo longitudine dimidii abdominis, lineari, ruguloso; segmento secundo basi sanguineo. *Mas.*

Long. lin. 1½ — 2. Structura praecedentium. *Antennae* dimidio corpore longiores, filiformes, validiusculae, nigro-fuscae; *scapo*, *pedicello* et *flagelli* primo articulo basi rufis; hoc, ut in omnibus *Belytis* maribus, basi extrorsum emarginato, reliquis articulis omnibus aequalibus, cylindricis. *Hypostoma* infra antennas acute prominens. *Mandibulae* et *palpi* picea. *Caput* et *thorax* atra, pubescentia cinerascente vestita ideoque subobscura. *Metathorax* prominens, nitidus, ater, area sub scutello scutiformi, laevi, carina retrorsum bifida divisa, hinc truncata. *Abdominis* petiolus depresso-cylindricus, basi marginatus et inde ab hoc margine versus insertionem constrictus, dorso rugulosus, sulculo medio explanato lineari-lanceolato ruguloso insculptus, niger; reliqua segmenta (ut in congeneribus) laevissima, atra, nitida; secundo maximo, basi late at indeterminate sanguineo, caeteris brevissimis; ano obtuso. *Pedes* toti laete rufi; *coxis* posticis solis basi fuscis, *femoribus posticis* saturatius rufis. *Alae* obscure hyalinae.

Cepi unum *marem*, autumno, prope *Sickershausen* in sylvis. *Femina* mihi non occurrebat.

8. Belyta *bicolor* Jur.

B. atra, nitida, antennis testaceo-fuscis basi, abdomine pedibusque totis piceo-rufis; petiolo dimidii abdominis longitudine, lineari, unisulcato. *Mas. Fem.*

Synon. *Belyta bicolor Jur. Hymen. p.* 311. *tab.* 14 (*Fem.*) *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 37.

Long. lin. 1½ — 2. Statura paulo gracilior est quam species pleraeque praecedentes. *Caput* thoracis latitudine, infra antennas tuberculo notatum, nigrum. *Antennae* (feminae) longitudine dimidii corporis vel paulo longiores, totae piceo-testaceae; *scapo* capite paulo longiore; *flagelli* primo articulo obconico, integro, articulis novem extremis ex ovato subglobosis (in icone Jurineana nimis pateraeformibus), brevibus, sensim subcrescentibus. *Mandibulae* et *palpi* rufa. *Thorax* ovatus, niger, pubescens. *Metathorax* sub scutello area plana, truncato-trigona, carina simplici divisa, laevi. *Petiolus* abdominis reliquo abdomine duplo brevior, linearis, basi marginatus, postice nonnihil contractus, dorso planiusculus, sulco medio integro subbipartito, lineaque utrinque juxta margines insculptus, niger, vel piceo-rufus; reliquum abdomen ovatum, planiusculum, laevissimum, nitidissimum, laete piceorufum; segmento secundo maximo, sulco medio, a basi ultra medium procurrente impressum; anus acutus. *Terebra* forma apiculi brevissimi prominens. *Pedes* cum *coxis* piceo-rufi, nitidi. *Alae* hyalinae.

Mas differt: *antennis* totis piceis, basi paulo dilutioribus; *flagelli* primo articulo basi emarginato, reliquis omnibus cylindricis breviusculis aequalibus; *abdominis* petiolo breviore, subrugoso et minus distincte sulcato, semper obscuriore; secundo segmento antrorsum conicoattenuato; ano obtusiusculo.

Variat (femina):

β. *Metathorace* cum *scutello* et *petiolo abdominis* e rufo-piceis, qui color fere proprius videtur feminae multoque frequentior nigredine illa, in maribus semper obvia.

Cepi *marem* cum *femina* junctum, sero autumno anni 1812 in sylvis prope *Sickershausen;* tum aliis in locis, eodem anni tempore, utrumque sexum seorsim legi. In *Helvetia* cl. *Jurine* primus invenit et pinxit l. c.

9. Belyta *rufopetiolata.*

B. atra, nitida, antennis fusco-testaceis basi, pedibusque totis rufis; petiolo abdomine triplo breviore, sub-

cylindrico, striato, piceo-rufo; (metathorace et) abdomine obscure piceis. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{3}$. *Antennae* (feminae) longitudine dimidii corporis, fusco-testaceae; *scapo* et *pedicello* testaceis; *flagello* submoniliformi. *Caput* latitudine thoracis nigrum, sub antennis productum. *Prothorax* niger. *Thorax medius*, cum *scutello*, *metathorace*, *pleuris* et *pectore* vel nigra, vel rufescenti-picea, colore impuro. *Abdominis* ovati, laevissimi, picei, vel piceo-nigri, *petiolo*, dimidia fere abdominis longitudine, angusto, subcylindrico, in medio nonnihil dilatato, planiusculo, striato, obsolete bisulco, dilute rufo-piceo; secundo segmento maximo, basi sulco medio parum distincto impresso, ano acuto. *Terebra* brevissima, prominula, basi rufescens, apice nigra. *Pedes* toti laete rufi. *Alae* fere hyalinae.

Mas differt: *antennis* fere ad apicem usque piceo-rufis, elongatis, *scapo*, et *pedicello* pallidioribus; *scutello, metathorace*, *abdomine*que obtuso magis picescentibus; *petiolo* abdominis paulo breviore.

Cepi *marem* cum *femina* die 25. Junii a. 1812 in Quercu nemoris prope *Sickershausen.*

10. Belyta *brevis.*

B. atra, nitida, antennis basi pedibusque rufis; abdomine nigro, petiolo abdomine quatruplo breviore, subcylindrico, basi marginato, hinc abrupte contracto. *Mas. Fem.*

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Antennae* nigro-fuscae; *scapo* cylindrico subtus et apice, *pedicello* et *flagelli* primo articulo basi piceis; novem posterioribus articulis subglobosis, paulo crassioribus. *Caput* structurae solitae, nigrum, pubescens; ore piceo. *Thorax* niger, pubescens. *Metathorax* postice utrinque unispinosus. *Abdomen* ovale, planum, acutum, atrum, nitidissimum; *petiolo* longitudine quartae partis abdominis, cylindrico, crassiusculo, longitudinaliter rugoso, prope basin (i. e. e regione metathoracis) margine angusto elevato cincto, et inde quasi truncato, relicto tenui processu seu isthmo brevissimo, quocum metathoraci inseritur. *Pedes* toti rufi, *unguibus* fuscis. *Alae* obscure hyalinae.

Mas, feminae simillimus, differt: *antennarum* articulis omnibus cylindricis, primo *flagelli* basi extrorsum emarginato; *abdomine* obtuso; *coxis* basi et *femorum* clavis reliquo pede paulo obscurioribus.

Cepi *marem* cum *feminis* aliquot in nemoribus prope *Sickershausen*, Septembre et Octobre mensibus.

11. Belyta *obscura*.

B. nigra, pubescens, antennis pedibusque fuscis, geniculis et tarsis testaceis; abdomine nigro; petiolo abdomine quatruplo breviore, subcylindrico, striato, basi marginato, hinc abrupte contracto. *Mas.*

Long. vix $1\frac{1}{4}$ lin. Structura omnino praecedentis, sed differt manifesto: *statura* minore; *antennis* fuscis, concoloribus, *flagelli* primo articulo basi minus conspicue emarginato, *colore* corporis obscuriore; *petiolo abdominis* subcylindrico quidem, sed in medio paulo latiore, distincte striato, neque rugoso; *pedibus* obscuris, piceo-fuscis, *coxis trochanteribus femoribus*que apice, *tibiis* basi latiore spatio et apice extremo, *tarsis* fere totis testaceis, *unguibus* fuscescentibus.

Cepi unum *marem* in nemoribus prope *Sickershausen*. *Femina* me latet.

12. Belyta *abdominalis*.

B. atra, subobscura, antennarum basi pedibusque rufis, abdomine piceo; petiolo abdomine plus quatruplo breviori, subcylindrico, ruguloso, basi marginato, hinc abrupte contracto. *Mas.*

Long. vix lin. $1\frac{1}{6}$. Structura duorum praecedentium. *Antennae* (maris) elongatae, articulis *flagelli* extremis cylindricis fuscis, anterioribus ejusdem formae testaceis. *Caput* et *thorax* atra, subpubescentia. *Metathorax* ovatus, truncatus, rugulosus, postice utrinque unispinosus. *Abdomen* ovale, planum, obtusum, laevissimum, totum piceum; *petiolo* vix unam quartam partem reliqui abdominis longitudine explente, subcylindrico, crasso, longitudinaliter ruguloso, haud procul ab insertione margine elevato distincto cincto, exinde detruncato et in processum multo tenuiorem brevissimum, cujus ope metathoraci adhaeret, abeunte. *Pedes* cum *coxis* rufi, *unguibus* fuscis. *Alae* obscure hyalinae.

Cepi unum *marem* locis umbrosis humidis nemoris cujusdam prope *Sickershausen* in gramine. *Femina* non nota est.

Adnot. I. A *Belyta bicolore* Jur., cui quoad colorem abdominis accedere videtur, longe distat: *statura* multo minori, et structura *petioli* abdominis, brevioris quidem, longe alia.

Adnot. II. *Belytae* tres praecedentes, *brevis obscura* et *abdominalis*, per se quidem notis suis facile distinguendae, *petioli* abdominalis forma conjunguntur, qui, brevior quam in reliquis *Belytis*, urnam, seu testam hortulanorum fere refert, oris limbo reflexo metathoracem spectantem eidemque stipite brevissimo, respectu reliqui petioli pertenui, interjecto adnexam.

13. Belyta *anomala.*

B. rufa, antennis apice, thoracis dorso scutelloque nigris; petiolo abdomine triplo breviore, obconico-cylindraceo. *Fem.*

Long. lin. 1⅛. *Antennae* et *alae Belytarum; mandibulae* differunt; *habitus* medius quasi inter *Cinetos* et *Ichneumonides genuinos. Antennae* longitudine capitis thoracisque, sedecimarticulatae, *scapo* longitudine circiter articulorum trium insequentium et cum iisdem rufo, *pedicello* et *flagelli* articulis primo cum secundo obconicis; pedicello paulo breviore, his inter se subaequalibus; reliquis articulis cunctis aequalibus, ex ovato cylindricis, fuscis, pubescentibus. *Caput* thorace paulo latius, transversum, laeve, pubescens, rufum; vertice latiusculo, rotundato; hypostomate ob antennas, paulo ultra clypei marginem insertas, brevissimo, tumidulo. *Mandibulae* tenues, bifidae, margine exteriori depresso acuto; rufae, apice nigrae. *Palpi* non exserti (!) *Oculi* ovati, *ocelli*que nigri. *Thorax* ovatus, laevissimus, nitidissimus, dorso glabro, *pleuris* et *pectore* pubescentibus; *prothorax* humilior, brevissimus, rufus; *medii thoracis* dorsum atrum. *Scutellum* magnum, obtusum, atrum. *Pleurae* et *pectus* rufa. *Metathorax* brevissimus, truncatus, rugulosus, inermis, rufus. *Abdomen* longitudine capitis thoracisque, ovatum, convexiusculum, rufum; *petiolo* longitudine unius tertiae reliqui abdominis, obconino-cylindraceo, ruguloso; secundo segmento maximo; reliquis brevissimis, transversis, decrescentibus, omnibus lanugine sparsa pubescentibus; ano acuto, nonnihil decurvo. *Pedes* graciles, cum *coxis* rufi, pubescentes. *Alae* hyalinae, pubescentes, ad arearum typum omnino reliquis hujus generis speciebus respondentes.

Cepi unam *feminam* a. 1812 in Sambuco nigra horti *Siekershusani.* De *mare* nihil constat.

Tribus II.
Proctotrupii.

Antennarum scapus reliquis articulis brevior, vel ad summum paulo longior; *flagellum* filiforme. *Terebra* analis vel retracta, vel cum segmento anali in tubulum prominentem conformata. *Alae* magis minusve nervosae; *areola radiali* triangulari rectilinea vel rarius semilunari, *brachiali*que una vel altera saltem distinctis; *areolae cubitales* in quibusdam delineatae; *stigma* saepe distinctum, rarius obsoletum.

Abdomen vel abrupte petiolatum, vel petiolo magis conico instructum. *Femora* rarius, tibiae nusquam clavatae. *Habitus* magis ad Ichneumones accedens, corporaque pro Familia majora. Apterae species nondum inventae sunt.

GENUS III.
CINETUS Jur.

Nomen incertae originis. An a κινήτης, motor?

Antennae fronti insertae, quindecim- vel sedecimarticulatae; scapo brevi; flagello filiformi, articulis cylindricis. *Alae* stigmate non expresso; areola radiali distincta, triangulari, acuta, parva; areola cubitali nulla; brachiali una, completa, nervo brachiali secundo indistincto. *Thorax* antice rotundatus. *Metathorax* brevis, spinosus. *Abdomen* abrupte petiolatum. *Terebra* non prominula.

Mandibulae tenues, bifidae. *Palpi maxillares* sexarticulati.

Character naturalis partium oris in paucis exemplis, quae ad manus erant, non penitus exhauriri potuit. Quae vidi, haec sunt: *Labrum* semicirculare. *Mandibulae* satis longae, sed angustae, arcuatae, apice bifidae, dentibus parvis obtusiusculis. *Palpi maxillares* praelongi, sexarticulati, articulis tribus anterioribus tenuissimis filiformibus, tribus posterioribus longioribus, paulo crassioribus et inter se aequalibus. *Lingua* integra videbatur. *Palpi labiales* brevissimi, lingua vix longiores, accurate examinari non potuerunt.

Reliqua huic characteri succurrentia sunt: *antennae* longae, filiformi-subsetaceae, protuberantiae frontis plano supero insertae, pro sexu quindecim- vel sedecimarticulatae; *scapo* articulis reliquis crassiori et longiori (praesertim in feminis), *pedicello* brevi, reliquis articulis (flagellaribus) omnibus subaequalibus, cylindricis, pubescentibus, extremo obtuso. *Alae* satis magnae, texturae firmioris, pilosae; *nervus subcostalis* (cubitus) a basi discretus, tum in medio margine cum costa conjunctus, *stigma* indicat minutum, non incrassatum; dein paulo divergens rursusque recta linea ad costam revertens, *areolam radialem* describit parvam, triangularem, aequicrurem, basi oblique antrorsum versa; *nervus brachialis* primus a basi versus marginem posticum excurrit, ante stigma anastomosi cum cubitu connexus, unde *areola brachialis* exterior completa, cuneiformis circumscribitur; *nervulus brevissimus*, e basi areolae radialis recurrens, nervi brachialis decursum ulteriorem non attingit, itaque *areolae cubitales nullae* adsunt, vel, si mavis, una, incompleta; *nervus brachialis secundus* valde indistinctus.

Habitus corporis medius inter *Belytas* et *Codros*, illis in quibusdam propior. *Caput* thorace angustius, circa os angustatum. *Thorax* ovatus, convexus; *prothorace* rotundato, ad collum formandum prominulo. *Scutellum* breve. *Metathorax* brevis, ovatus, postice bidentatus, in speciebus notis sub scutello spina armatus. *Abdomen petiolo* angusto, subcylindrico, striato, subvilloso, in quibusdam arcuato praeditum; reliqua ejus pars ovalis, vel oblonga, convexiuscula, secundo segmento maximo, reliquis transversalibus brevissimis; anus in femina acutus. *Terebra* cum extremo segmento retracta, nec prominula. Venter convexus. *Pedes* non validi, *femoribus* apice distincte clavatis. *Alae* corpus aequantes (saltem in speciebus paucis, quas cognovimus). *Color* corporis pubescentis niger, antennis pedibusque pallidis.

Mares vix differunt a feminis, nisi *antennis* sedecimarticulatis, quae in his quindecimarticulatae, et *ano* obtuso.

De *vitae genere*, *moribus* et *modo sobolis procreandae* nihil compertus sum. Insectum perfectum in sepibus et fruticibus rarius invenitur.

Adnot. *Cinetorum* genus, per se sane bono fundamento innixum, communia quaedam ostendit *Belytarum* et *Codrorum*. *Belytae* illi sunt *thorax*, *abdomen* et *pedes*,

Codri autem *antennae* et *alae*. *Palpi maxillares* sexarticulati *Cinetis* proprii habendi.

1. Cinetus *picipes*.

C. niger, pedibus rufo-piceis, femorum clava antennisque fuscis. *Fem.*

Long. lin. 2½. Corpus totum nigrum. Antennae fuscae; *scapo* brevi, crasso, nigro. *Caput* nigrum, parum pubescens; *palpi* pallidi; *mandibulae* piceae. *Thorax* ovatus, pubescens, niger, obscurior. *Metathorax* brevis, rugulosus, postice utrinque denticulo, et spina acuta adscendente, apice retrorsum inclinata, sub scutello armatus. *Abdomen* oblongum, atrum, laeve, nitidissimum; *petiolo* longitudine dimidii abdominis cylindrico, striato-ruguloso; segmento secundo maximo, campanulato, laevissimo; reliquis transversim linearibus; anus acutus. *Terebra* recondita. *Pedes* picei; *femoribus* clavatis, clava piceo-fusca. *Alae* longitudine corporis, obscurae, pilosae.

Cepi feminam die 7. Junii a. 1808 in sepibus prope *Sickershausen*. *Marem* non inveni.

2. Cinetus *Jurini*.

C. niger, antennis basi et pedibus rufis. *Mas.*

Long. lin. 2. An mas praecedentis? Sed differt, praeter staturam minorem: *scapo antennarum* apice rufo, *flagelli* primo, seu quarto antennarum articulo basi crasso, hinc extrorsum paulo excavato, et *pedibus* totis rufis, multo pallidioribus; *colore* denique nigro corporis magis nitente et pubescentia non adeo obscurato.

Cepi die 9. Julii a. 1809 in nemore prope *Sickershausen*. *Femina* non declarata.

Adnot. *Jurinei* Cinetum hunc dixi, non tanquam speciem, a clarissimo illo viro inventam vel ad me missam, sed in honorem nominis, cuique Entomologiae studioso in aeternum venerandi. Species Jurineana, cujus feminam unam, mares duos ante oculos habuisse refert, mihi nullis auxiliis solvenda, neque scio, num una sit praecedentium.

GENUS IV.
POLYPLANUS.

Nomen a πολὺς, multus, πλάνος, vagans, ob motum celerem hujus insecti.

Antennae fronti superae insertae, tredecimarticulatae; scapo articulo primo flagelli duplo breviore; flagello setaceo, articulis cylindricis. *Alae* stigmate non expresso; areola radiali distincta, oblongo-lanceolata, aperta; areolis cubitalibus duabus imperfectis; brachialibus duabus completis. *Thorax* antice rotundatus. *Metathorax* productus, muticus. *Abdomen* conico-petiolatum. *Terebra* recondita.

Mandibulae angustae, integrae. *Palpi maxillares* elongati, quinquearticulati.

Character naturalis.

Cum unum exemplum, quo usus sum, cultro destruere nefas haberem, characterem generis naturalem solis *palpis*, *antennis* et *alis* superstruxi, quibus pro tempore rei a me satis esse factum putabam. *Palpi maxillares* elongati, quinquearticulati, graciles; articulo primo brevissimo, secundo majore subcylindrico crassiore, tertio et quarto tenuioribus aequalibus subobconicis, quinto praecedentibus simul sumtis longitudine aequali filiformi apice paululum incrassato. *Palpi labiales* brevissimi, in nostro exemplo haud rite discernendi. *Antennae* fronti superae, in eodem fere plano horizontali cum vertice, protuberantiae mediocri insertae, validae, setaceae, tredecimarticulatae; *radicula* brevissima et angustissima; *scapus* articulo primo flagelli duplo brevior et crassior, cylindricus; *pedicellus* brevissimus, pateraeformis; *flagelli* articuli omnes elongati, cylindrici, aequales, primo paulo longiori, extremo obtuso. *Alae* oblongae, texturae firmioris, margine ciliatae, circa marginem interiorem enerves, caeterum distincte reticulatae, nervis crassiusculis. *Areolae brachiales* duae, quarum exterior obconica, interior rectangula breviorque. *Areolae discoidales* tres, earumque duae ante mediam alam parvae, exteriori minori quadrangulari postica versus angustiori, interiori subquadrata introrsum aperta; tertia denique his imposita, lineari tractu elongata, in medium marginem posticum excurrens. *Stigma* nullum, nisi costa, ultra alam mediam accedente nervo subcostali seu cubitu non-

nihil incrassata. *Areola radialis* una, oblongo-lanceolata, ante apicem alae desinens, aperta. *Areolae cubitales* duae, latae, incompletae, nervulo, e ramo radiali ad dimidiam earum latitudinem descendente, dein abrupto, pro parte sejunctae.

Habitus. Caput thorace paulo angustius, ab antennis os versus brevem pyramidem exhibens; *hypostomate* obconico, convexiusculo, lineolis duabus longitudinalibus, deorsum subdivergentibus, infra antennas punctisque duobus supra clypeum impressis notato; vertice lato, subquadrato, convexo. *Oculi* parvi, globosi, antici. *Thorax* ovatus, convexus, a latere compressus; *prothorace* humili, angusto, arcuato; *dorso medio* lineis duabus arcuatis obsoletis impresso. *Scutellum* parvum, oblongum, laeve, peninsulae ad instar depressione seu fossa lata, ferri equini facie, marginibusque elevatis cincta, amplexum, neque elevatum. *Metathorax* thoracis fere longitudine, convexus, rotundatus, declivis, rugulosus, dorso medio leviter unisulcus, a latere compressus. *Abdomen* thoracis longitudine, ovatum, convexum, laeve; primo segmento e basi tenui brevissima obconica in majus volumen dilatato, et cum secundo segmento eodemque illo multo majore partem maximam abdominis, campanae figura, constituente; reliquis segmentis brevibus, in acutum apicem decrescentibus. Venter subcarinatus. *Terebra* non conspicienda. *Pedes* mediocres; *femoribus* clavato-fusiformibus; *tibiis* aequalibus. *Alae* validiusculae, longitudine corporis. *Color* e nigro rufoque (in nostra specie) mixtus.

Neque de *sexus* differentia, neque circa *vitae genus* et *mores* quicquam constat.

1. Polyplanus *Sickershusanus.*

P. niger, pedibus secundoque segmento abdominis piceis. *Fem.*

Long. lin. 2—2½. Corpus nigrum, opacum, pubescens. *Antennae* longitudine corporis, fuscae, concolores. *Os* piceum. *Fossa*, scutellum muniens, subpicea. *Abdominis* segmentum secundum obscure piceo-rufescens, idemque basi, primum segmentum autem in postico margine, sulculo tenui notatum. *Pedes* dilute picei, *coxis* basi, *femorum* clavis et *tibiis* apice paulo saturatioris coloris, seu obscure piceis. *Alae* obscure hyalinae, facie glabrae, sed margine ciliatae.

Feminam cepi die 11. Augusti a. 1812 in nemore prope *Sickershausen*. *Mas* non obvenit.

G E N U S V.
C O D R U S Jur.

Nomen incertae originis. An a *κώθων*, campana, et *οὐρά*, cauda, ergo Codrus pro „Cothonurus," ob segmentum medium abdominis campanulatum? An potius Cothurus vel Cythurus, a *κόθουρος* vel *κύθουρος*, caudam occultans, vel cauda mutilatus?

Codrus Jur. Hymen. p. 308. n. XLVI. tab. 13. Gen. 46. Panz. Proctotrupes Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 38. n. CCCCLXIX. Spin. Germar. Eriodorus Walck. Bassi specc. Fabr. Ichneumonis spec. Fabr. Banchi sp. Fabr.

Antennae fronti mediae insertae, quatuordecimarticulatae, scapo primo flagelli articulo breviore; flagello filiformi vel subsetaceo, articulis cylindricis. *Alae* stigmate distincto, ovato; areola radiali distincta, triangulari, acuta, parva; areola cubitali et discoidali nulla; brachiali una, completa. *Thorax* antice et metathorax producta. *Abdomen* conico-petiolatum, segmentis analibus in tubulum decurvum, terebram vaginantem, attenuatis.

Mandibulae simplices, tenues. *Lingua* integra. *Palpi maxillares* quadriarticulati; *labiales* triarticulati.

Characteri naturali

haec adjicienda. *Labrum* conspicuum, semicirculare. *Mandibulae* corneae, e basi latiori conico-attenuatae, integerrimae, arcuatae, acutissimae. *Mala* brevis, submembranacea, rotundata. *Palpi maxillares* elongati, filiformes, quadriarticulati, articulis inferioribus brevioribus, terminali majori. *Mentum* breve, corneum, semicylindricum, apice acutum. *Lingua* brevis, membranacea, integra, ciliata. *Palpi* labiales maxillaribus multo breviores, lingua paulo longiores, triarticulati, articulis subaequalibus, extremo paulo crassiori. *Antennae* fronti mediae ante oculos insertae, rectae, porrectae, distantes, quatuordecimarticulatae, scabrae; *radicula* brevissima, et adeo immersa, ut deesse putes; *scapus* obconicus crassus, pedicello

manifeste longior; *pedicellus* omnium antennae articulorum brevissimus, obconicus; *flagelli* articuli cylindrici, apicem versus decrescentes, primus scapo dimidio longior *). extremus oblongus, mediis longior, acutus. *Alae* texturae firmioris, nitentes; *nervus subcostalis* (cubitus) costae parallelus, pone mediam alam stigmate crasso oblique ovato terminatur; *nervus radialis*, e basi stigmatis ortus, mox in angulum fractus, *areolam radialem* describit stigmati parallelam, anguste triangularem, acutam, ab apice alae remotam, perfecte clausam; *areola brachialis* una completa, obconica, magna, ex qua nervus brachialis secundus (primus enim deest, unde areolae hujus ambitus originem trahit), margini interiori parallelus ulterius pergit, et aream discoidalem ab anali et axillari separat; nervus a medio margine postico recurrens et ante mediam alam desinens, areolarum cubitalium vestigia prodit exoletissima.

Habitus isti generi proprius, primo intuitu distinguendus. *Corpus* elongatum, plerisque laeve. *Caput* latitudine thoracis vel paulo latius, transversum, verticale; vertice transverso, lato, planiusculo; fronte lata, in medio subcarinata; oris partibus sub hypostomate brevi prominulis. *Oculi* subglobosi, laterales. *Thorax*, toto suo ambitu magnus, longus, compressus, ante alas subquadratus, *prothorace* angusto ad latera reflexo neque alarum originem attingente limbatus, in dorso convexus, indivisus. *Scutellum* parvum, discretum, truncatum, saepe carinatum. *Metathorax* grandis, thorace et prothorace plerumque longior, convexus, ovatus, apice truncatus, carinatus, rugisque aliquot transversis arcuatis distinctus. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace vel brevius, oblongum, compressiusculum, dorso ventreque convexum, laeve, basi plerisque striolatum; segmento primo brevi, cuneiformi-angustato, planiusculo, angusto, secundo maximo, campanulato, plurimam partem abdominis explente, tertio et quarto brevibus, transversis, quinto longiori sed angustiori, conico, sexto in femina tubuloso, valde elongato, supra et subtus carinato, *terebrae* vaginam exhibente, ex qua ista ut brevis apicula nonnihil prominet. *Pedes* structurae communis, graciles, *coxis*, *trochanteribus*, *femoribus*; *tibiis tarsis*que longiusculis; postici paulo longiores, femoribusque cras-

*) Cum parvo pedicello saepe ita confluit, ut ambo unum efficere articulum videantur, quemadmodum etiam Jurineus pingi curavit.

crassioribus, fusiformibus distincti. *Alae* glabrae; in plerisque longitudine corporis vel paulo longiores, paucis corpore breviores, stigmate magno, nigro vel fusco distinctae, hyalinae, vel parum infuscatae, nunquam pictae.

Mas differt a femina: *antennis* apicem versus attenuatis, subsetaceis, longioribus et *abdomine* breviore, apice non in caudam attenuato, sed spinulis duabus brevibus aucto. Antennae, quod ad numerum articulorum in utroque sexu non differunt.

Metamorphosis in larvis *Tipulariarum fungicolarum* peragi videtur; namque exclusus mihi est *Codrus parvulus* e *Boleti circinantis* exemplo, larvis *Mycetophilae* cujusdam scatente. Imago, haud rara quidem, sed minime tamen frequens, ad terram et in fruticibus, herbis et floribus, locis humidis subumbrosis reperitur.

Adnot. Cl. *Jurine* non nisi mares observasse videtur.

1. Codrus *campanulator*.

C. ater, abdominis capite cum thorace brevioris segmento secundo pedibusque rufis; alis longitudine corporis. *Mas. Fem.*

Synon. *Proctotrupes campanulator Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 167. *Germ. Faun. Ins. Eur. Fasc. V. tab.* 16 (*exemplum, quod descriptioni Fabricianae typo erat*).

Bassus campanulator Fabr. Syst. Piez. p. 99. *n.* 25.

Ichneumon campanulator Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 227. *n.* 177.

Long. lin. 3—3½. *Caput* et thorax atra, immaculata; *antennae* nigrae; *mandibulae* et *palpi* picea. *Abdomen* longitudine thoracis, oblongum, laeve, nitidum; primo segmento angusto, brevi, conico-attenuato, planiusculo, striolato, nigro; secundo maximo, campanulato, rufo; tertio, quarto et quinto brevibus decrescentibus rufis, dorso nigris, anali tubuloso, deflexo, dimidii abdominis longitudine, rufo. *Coxae* nigrae. *Pedes* rufi; *femoribus* posticis crassioribus, paulo obscurioribus. *Tarsi* concolores. *Alae* longitudine corporis, cinerascenti-hyalinae, nervis et stigmate mediocri fuscis.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, magis setaceis; *abdomine* breviore, apice toto nigro, *ano* bifido.

Habitat Halae Saxonum, ubi Cl. *Hübner* legit et Fabricio describendum tradidit; idem autem exemplum nu-

perius cl. *Germar* l. c. pingi jussit (Fem.). In *Liguria* cl. *Spinola* legit mihique et Gravenhorstio meo misit, marem utrique nostrum. Prope *Sickershausen* a me non inventus est.

2. Codrus *gravidator* Jur.

C. ater, abdomine longitudine capitis cum thorace, basi pedibusque rufis; alis longitudine corporis. *Fem.*

Synon. *Codrus gravidator Jur. Hymen. p.* 309.

Banchus gravidator Fabr. Syst. Piez. p. 128. *n.* 10.

Ichneumon gravidator Lin. Syst. Nat. II. p. 936. *n.* 48. *Faun. Suec. n.* 1622. *Vill. Ent. Lin. III. p.* 172. *n.* 113. *Fabr. Syst. Ent. p.* 86. *Ent. Syst. II. p.* 174. *n.* 168.

Long. lin $3\frac{1}{2}$. Praecedenti adeo similis, ut varietatem forsan rectius iudices, sed sunt mihi exempla plura, et inter se congrua, et a reliquis *proportione abdominis* segmentoque *petiolari* etiam rufo, tum rubedine partium saturatiore discedentia, ut itaque, donec meliora edocear, propriae speciei loco recensere statuerem.

Statura praecedentem excedit. *Caput* et *thorax* nigra, nitida, parum pubescentia. *Mandibulae* piceae. *Antennae* longitudine fere corporis, fusco-nigrae. *Metathorax* area angusta lanceolata in dorso notatus. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, oblongum, convexum; segmento petiolari brevi, angusto, conico-attenuato, planiusculo, substriato, piceo-rufo; secundo maximo, campanulato, laevissimo, piceo-rufo; reliquis nigris, tertio et quarto brevissimis, transversis, quinto conico angusto apice rufo, sexto tubuloso, elongato, deflexo toto rufo. *Pedes* piceo-rufi; *coxis* nigris; *femoribus* leviter infuscatis. *Alae* fuscescenti-hyalinae, nervis et stigmate fuscis.

„*Habitat* in *Europae* hortis" effatum est Linnei, ab omnibus, qui post eum scripserunt, repetitum. Ego *feminam* in agris prope *Sickershausen*, Octobre mense, cepi; *marem* non vidi.

Adnot. Diagnosis Linneana: „niger, abdominis primo segmento ferrugineo abdomen dimidium obtegente" in nostrum prae caeteris convenit. Non mirum enim, primum segmentum abdominis, minimum id quidem et cum secundo arcte conjunctum, sub „primi" nomine a Linneo esse complexum. Idem quidem de sequente valeret, sed tum de alis solito brevioribus illum commemorare oblitum fuisse, minus probabile videtur.

3. Codrus *brevipennis* Latr.

C. ater, abdomine longitudine capitis cum thorace, basi pedibusque rufis; alis corpore brevioribus. *Fem.*

Synon. *Proctotrupes brevipennis Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 232. *Précis des charact. gen. des Ins. p.* 108. *Gen. Cr. et Ins. I. tab.* 13. *fig.* 1. *IV. p.* 38.

Eriodorus bimaculatus Walck. Faun. Paris. II. p. 47.

Long. lin. 3. Statura praecedentium. *Caput* thorace paulo angustius, nigrum; *ore* rufo; *antennis* dimidio corpore paulo longioribus, filiformibus, fusco-nigris. *Thorax* valde compressus, niger; *metathorace* ovato, dorso sulculo lanceolato leviter impresso. *Abdomen* longitudine capitis et thoracis, oblongum; primo segmento angusto, conico-attenuato, planiusculo, striolato, secundoque magno campanulato laevissimo piceo-rufis, hoc paulo ultra dimidium abdomen extenso; tum tertio cum quarto transversis, quinto conico satis conspicuis et in meis exemplis paulo amplioribus, quam eadem segmenta in praecedentibus speciebus observantur, coloris nigro-picei, in ventre antrorsum dilutioris; sexto denique in tubulum deflexum, subcylindricum, subtus et supra carinulatum, dimidia abdominis longitudine extenuato. *Pedes* piceo-rufi, *coxis* nigris. *Alae* paulo ultra medium abdomen protensae, arcte incumbentes, ratione corporis angustae, fuscescenti-hyalinae; nervis solitae dispositionis fuscis; stigmate distincto, obscure fusco.

Cepi *feminam* Septembre mense, in agris prope *Sickershausen.* Humi sub lapidibus degere in *Gallia* cl. *Latreille* refert. *Mas* mihi non notus.

Varietas:

β. Segmento primo *abdominis* secundoque basi nigro-piceis. *Fem.*

Alae breves, ut in *α.* Reliqua etiam omnia eadem.

Cepi *feminam* die 28. Julii a. 1809 in agris prope *Sickershausen,* post messem.

4. Codrus *emarciator.*

C. ater, abdomine longitudine capitis cum thorace pedibusque piceo-rufis; alis abbreviatis. *Fem.*

Synon. *Bassus emarciator Fabr. Syst. Piez. p.* 100. *n.* 30.

Ichneumon emarciator Fabr. Ent. syst. Suppl.

p. 227. n. 162 — 3. *Mus. Lesk. ed. Zschach.* n. 545. c. ic.

Long. lin. 2½. *Caput* atrum; *mandibulis* piceis; *antennis* dimidio corpore vix longioribus, filiformibus, fuscis. *Thorax* angustus, compressus, pro more antice posticeque productus, niger. *Metathorax* dorso subaequalis. *Abdomen* longitudine capitis cum thorace, vel paulo longius, oblongum, totum piceo-rufum, seu ferrugineum, laeve, nitens; segmento petiolari angusto, conico-attenuato, brevi, planiusculo, substriato; secundo maximo, campanulato, tertio et quarto transversis perbrevibus, quinto angusto conico cum sexto, omnino tubuloso, in tubum deflexum longitudine fere abdominis coëunte. *Pedes* toti ferruginei, *coxis* posticis nigro-fuscis. *Alae* dimidium abdomen vix attingentes, angustae, cuneiformes, nervis tamen solito modo dispositis, fusco-hyalinae; nervis fuscescentibus; stigmate crasso, ovato, ferrugineo-fusco.

Halae Saxonum invenit *Hübner*, *Fabricio*que tradidit; Leske autem primus hanc speciem invenisse videtur. Legi unam *feminam*, sero autumno a. 1806, in terra prope *Sickershausen*, neque postea mihi iisdem locis quaerenti occurrebat. De *mare* nihil mihi innotuit.

5. Codrus *pallipes* Jur.

C. ater, antennis aequalibus basi vel totis pedibusque totis testaceis; abdominis segmento secundo basi striolato; alis obscure hyalinis, stigmate fusco. *Mas. Fem.*

Femina antennis filiformibus, vel totis testaceis, vel piceo-fuscis nigrisve, scapo, vel anterioribus tantum articulis rufis.

Synon. *Codrus niger Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXXV. tab.* 9. *Jur. Hymen. p.* 309. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 38. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 168. *n.* 2.

Mas antennis longioribus, subsetaceis, totis fusco-testaceis testaceisve.

Synon. *Codrus pallipes Jur. Hymen. p.* 309. *tab.* 13. *gen.* 46. *Latr. Gen. Cr. et Ins. l. c.*

Long. lin. 2 — 2¾. *Corpus* atrum, nitidulum. *Os* et *antennae* piceo-testacea, harum articulis quibusdam anterioribus testaceis, vel tota antenna testacea, concolor, flagelli articulis omnibus cylindricis. *Metathorax* subrugosus, area dorsali angusta sublaevi notatus. *Abdomen* vix longitudine thoracis cum capite, ovale; *petiolo* conico, an-

gusto, planiusculo, striolato vel magis inordinate ruguloso, impressionibus duabus distinctioribus notato; secundo segmento maximo, campanulato, basi striis tribus majoribus, interjecta utrinque striola breviori et tenuiori impresso, vel in quibusdam basi minus regulari modo striato, reliqua parte laevissimo; segmenta reliqua ut in praecedentibus, scilicet tertio et quarto brevibus, transversis, quinto conico, sexto tubuloso dimidii abdominis longitudine. *Pedes* cum *coxis* pallide testacei, *tibiis* posticis apice et *tarsis* posticis majorem partem in quibusdam fuscis, in aliis etiam pallidis, totis reliquo pedi concoloribus. *Alae* longitudine corporis, lutescenti-hyalinae, nervis stigmateque ovato fuscis.

Mas, uti supra dictum, a femina differt: *antennis* vel fusco-testaceis, vel etiam testaceis, scapo obscuriore, et *abdominis* extremo segmento bilamellato.

Cepi *marem* et *feminam*, satis frequentes, Junio, tum maxime Septembre et Octobre mensibus locis udis nemorosis prope *Sickershausen;* in *Helvetia Jurineus* primus invenit; in agro *Arquatensi Italiae* (Liguriae) cl. *Spinola* legit. *Feminam* speciosae magnitudinis, antennis totis testaceis et iconi Jurineanae praeter terebram omnino convenientem, Collectio *Desmarestiana*, Parisiensis, exhibuit. Exemplum alterum, *feminei* sexus, *antennis* fere nigris, solo *scapo* piceo insigne, itaque *Codro nigro* Panzeri ad amussim respondens, Museum *Gravenhorstianum* suppeditavit.

Adnot. Vereor, ut duae hoc communi nomine a me commixtae sint species, scilicet:

α major, *antennis* in utroque sexu testaceis, qui verus *Codrus pallipes* Jur.

β minor, *antennis* marium fusco-testaceis, feminarum nigris vel fuscis, scapo solo piceo-testaceo, seu *Codrus niger* Panz.

Sed feminae, utrisque consimiles, antennis apice fuscis, basin versus rufis praeditae, vinculum utriusque speciei esse videntur.

6. Codrus *crenicornis.*

C. ater, antennis crassis concoloribus, extrorsum crenulatis, pedibus totis testaceis; abdominis segmento secundo basi striato; alis obscure hyalinis, stigmate fusco. *Fem.*

Long. lin. 2½. Corpus atrum, nitidum. *Antennae* di-

midio corpore breviores, ratione longitudinis crassae, subcylindricae, totae nigrae, articulis flagelli cylindricis brevibus, singulis tuberculo medio extrorsum prominente praeditis, quo *flagellum* extrorsum crenulatum apparet. *Thorax* niger; *metathorax* in dorso rugulosus. *Abdominis* ovalis, caput cum thorace aequantis, segmentum petiolare angustum, conico-attenuatum, planiusculum, satis longum, distincte subtiliterque striatum, opacum; segmentum secundum maximum, campanulatum, basi confertim striatum, reliqua parte laevissimum, atrum et nitidum; caetera segmenta ut in praecedentibus; sexto tubuloso, dimidium abdomen fere aequante. *Pedes* toti testacei. *Alae* longitudine corporis, cinerascenti-hyalinae, nervis et stigmate ovato-fuscis.

Cepi unam *feminam* die 25. Augusti a. 1811, in Pastinacca horti *Sickershusani*. *Mas* non declaratus.

Adnot. I. A reliquis sui generis *antennis* brevioribus, concoloribus, tuberculato-crenulatis distinguitur.

Adnot. II. *Codrus pallipes* et *Codrus crenicornis* a subsequentibus ex alis non hyalinis, sed magis minusve infuscatis dignoscuntur.

7. Codrus *longicornis.*

C. ater, antennis longitudine corporis, articulo primo flagelli pedibusque piceo-rufis; abdominis segmento secundo basi striolato; alis hyalinis, stigmate nigro. *Fem.*

Long. lin. 2½. Inter species, corpore nigro concolore et alis hyalinis insignes, statura major, totus ater, nitens. *Mandibulae* piceae. *Antennae* longitudine corporis, filiformes, nigrae, articulis elongatis, filiformi-cylindricis, *flagelli* primo articulo, basi praesertim, rectius forte pedicello solo, piceo. *Thorax* structurae communis. *Abdominis* oblongi segmentum petiolare angustum, conico-attenuatum, planiusculum, ruguloso-striatum; secundum pro more maximum, laevissimum, campanulatum, basi obsolete striatum; reliqua segmenta brevia, sextum in tubulum longitudine dimidii abdominis productum. *Pedes* piceo-rufi, vel ferruginei, *coxis* anterioribus concoloribus, posticis nigris. *Alae* longitudine corporis, hyalinae, purae, nitentes, nervis tenuibus stigmateque crasso ovato nigris.

Cepi unam *feminam* hujus speciei prope *Sickershausen*, nec loco nec tempore notatis. *Mas* dubius est.

8. Codrus *ater.*

C. ater, antennis corpore brevioribus basi pedibusque testaceis; abdominis segmento secundo basi substriato; alis hyalinis, stigmate nigro. *Mas. Fem.*

Long. lin. 2. *Antennae* filiformes, articulis cylindricis, solitae proportionis, nigrae, articulis tribus aut quatuor inferioribus (scilicet *scapo, pedicello*, et primo vel secundo etiam *flagelli* articulo) rufo-testaceis. *Os* piceum. *Corpus* atrum, laeve, nitidissimum. *Metathorax* ovatus, minute rugulosus. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, ovale, convexum; primo segmento brevi et angusto, conico-attenuato, planiusculo, striolato; secundo maximo, basi brevi spatio striatim impresso, caeterum cum reliquis laevissimo; tertio et quarto brevibus, transversis, quinto conico; sexto in tubulum deflexum, longitudine dimidii abdominis extenuato. *Pedes* testacei, *coxis* posticis nigris. *Alae* longitudine corporis vel paulo longiores, hyalinae, purae, nitidae; nervis tenuibus et stigmate crasso ovato nigris.

Mas differt a femina: *antennis* longioribus, apicem versus attenuatis, basi tamen constanter, ut in femina, eodemque ambitu, rufis, tum *abdomine* breviore et angustiore, ano bilamellato.

Habitat cum sequente in fungis, praesertim in Boletis, Tipulariarum *Mycetophilarum* larvas infestans. Cepi *marem* cum *femina* copula conjunctum die 19. Junii a. 1810 prope *Sickershausen.* Tum diversis temporibus, Maio in Pruno Pado, multoque frequentiorem Octobre in sylvis circa fungos.

8. Codrus *ligatus.*

C. ater, antennis corpore brevioribus validis, scapo piceo, pedibus testaceis, femoribus posticis apice distincte nigris; abdominis segmento secundo basi substriato; alis hyalinis, stigmate nigro. *Fem.*

Long. lin 2. Similis praecedenti, sed satis diversa species. *Antennae* corpore dimidio vix longiores, validae, subcylindricae, articulis cylindricis, nigris, solo *scapo*, seu brevi articulo crassiorique baseos, si radiculam non computaveris, piceo. *Corpus* atrum, nitidum, structura et sculptura omnino praecedentis. *Pedes* testacei, *coxis* posterioribus totis, *femoribus*que *posticis* apice descripto spatio nigris; *ungues* nigricantes. *Alae* hyalinae, purae, nitentes, nervis subtilibus stigmateque crasso ovato nigris.

Cepi hanc *feminam* in nemoribus prope *Sickershausen*, autumno. *Mas* ignotus.

10. Codrus *parvulus*.

C. ater, antennis corpore brevioribus; pedibus testaceis, abdominis brevissime petiolati secundo segmento basi trifoveolato; alis hyalinis, stigmate nigro. *Mas. Fem.*

Long. lin. 1½. Minimus omnium hujus generis, quot saltem species mihi notae sunt. *Antennae* dimidio corpore longiores, filiformes, nigrae, articulis duobus baseos, scilicet *scapo* crasso et brevi *pedicello*que in *femina* rufis, rarius concoloribus. *Os* piceum. *Corpus* atrum, nitidum. *Thorax* antice modice prominulus; *metathorax* brevis, rugulosus. *Abdomen* longitudine thoracis cum capite, ovale; primo segmento brevissimo, conico, plano, striolato; secundo maximo, undique laevissimo, basi foveolis tribus triquetris impresso; reliquis solito modo decrescentibus; sexto in tubulum dimidio abdomine longiorem protenso. *Pedes* testacei; *coxae* posteriores totae, *femora* postica plerisque apicem versus fusca; *ungues* fusci. *Alae* longitudine corporis vel paulo longiores, hyalinae, purae, nitidae; nervis tenuissimis fuscescentibus; stigmate crasso, ovato, nigro-fusco.

Mas differt a femina: *antennis* basi semper concoloribus, magis pubescentibus, nec tamen setaceis aut manifesto longioribus, *abdomine*que breviori angustiori ano bicuspide.

Femora maris frequentius apice obscura.

Varietates:

β. *Femina antennis* totis nigris ut in mare.

γ. Uterque sexus *femoribus* posticis concoloribus, vel apice magis minusque infuscatis.

Habitat in Fungis, praesertim in Boleto circinante, *Mycetophilarum* larvis infestato, gregarius; Septembre et Octobre mensibus in nemoribus prope *Sickershausen* frequens.

GENUS VI.

EUPHORUS.

εὔφορος, agilis, corpus bene movens, ob habitum corporis et motum elegantiorem.

Antennae fronti mediae insertae, septemdecimarticulatae; scapo brevi; flagello filiformi, apice moniliformi. *Alae* stigmate distincto, ovato, maximo; areola radiali minuta, lunata; areolis cubitalibus duabus, obsoletis. *Thorax* ova-

tus, antice gibbus. *Abdomen* abrupte petiolatum, planum. *Terebra* non exserta, neque segmento extremo tubuloso prominulo vaginata.

Character naturalis.

Cum duo tantum exempla hujus insecti ad manus essent, os dissecare verebar, et *antennarum* et *alarum* conformatione sola usus sum, ad genus hoc, jam his ipsis partibus solis satis superque distinctum, in systemate describendum.

Antennae fronti, paulo infra medium insertae, distantes, septemdecimarticulatae, filiformes, arcuato-recurvae, pubescentes; *radicula* brevissima, immersa, solo apice conspicua; *scapo* flagelli articulis inferioribus vix longiori, sed crassiori; *pedicello* scapo breviore, sed ejusdem fere crassitie, obconico-cylindraceo; *flagelli* articulis tribus antecedentibus tenuioribus; inferioribus obconico-cylindricis, contiguis; quinque extremis subglobosis, magis distinctis. *Alae* longitudine corporis, satis firmae texturae; *stigma* pone mediam alam situm, crassum, late ovatum; *areola radialis* parva, lunata, stigmati oblique applicata; *areolae cubitales* duae, nervis subtilissimis circumscriptae ideoque obsoletae, prima parva subquadrata, nervo infero non perfecte clausa, secunda maxima effusa alae marginem posticum non attingente posticeque aperta. *Areolae brachiales* duae; *discoidales* nullae.

Habitus corporis *Belytarum* fere, sed forma *petioli* abdominis gracilis, et *femora* minus clavata primo intuitu distinguunt, vel nullo alarum respectu habito. *Caput* thoracis latitudine; vertice lato, convexo; fronte subquadrata, planiuscula, in medio carinulata. *Oculi* magni, laterales ovati. *Prothorax* brevis et humilis. *Thorax* medius antice gibboso-prominens, convexus, subaequalis. *Scutellum* et *metathorax* brevia, hic truncatus, rugosus. *Abdomen* per se breve, ovatum, vel ex ovato suborbiculare, planiusculum; *petiolo* (longitudine reliqui abdominis), recto, lineari, vel potius cylindrico, superne planiusculo, angusto; secundo segmento maximo, plano; reliquis brevissimis; ano acuto. *Terebra* non prominet, neque extrema segmenta abdominis longius tubulosa, sed haec segmenta potius retracta penitusque occulta sunt. Venter planiusculus. *Pedes* graciles, aequales, *femoribus* non clavatis, neque incrassatis.

Mas ignotus, neque de *vita* et *moribus* quicquam innotuit. Imago media aestate in fruticibus sylvestribus inventa est.

1. Euphorus *pallicornis.*

E. ater, antennis et pedibus luteis. *Fem.*

Long. lin. 2. Structura in praecedentibus uberius exposita. *Corpus* laeve, glabriusculum, atrum, nitens. *Antennae* filiformes, corpore breviores, et *pedes* cum *coxis* lutea; *ungues* nigri. *Os* luteum, palpis prominulis. *Abdomen* cum petiolo, longitudine thoracis cum capite; petiolo rugosulo; segmento secundo subdepresso, laevissimo, nitidissimo; reliquis etiam laevibus. *Alae* longitudine corporis, hyalinae, nitidae; nervis pallide fuscis, subtilissimis; stigmate ratione corporis maximo, ovato-subrotundo, testaceo.

Cepi duas *feminas* prope *Sickershausen*, unam die 5. Julii a. 1808, alteram die 11. Julii a. 1809 in eadem sepe, locis humidis, neque postea rursus inveni.

GENUS VII.

HELORUS Latr.

Derivatio nominis incerta. Ab ἕλωρ, praeda, derivari nequid, cum sensus verbi non conveniat. An *Elurus* scribendum, ab ἔλω, includo, et οὐρά, cauda?

Helorus Latr. Hist. nat. des Cr. et des. Ins. XIII. p. 230. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 38. n. CCCCLXX. Jur. Hymen. p. 215. tab. 14. Sphex Panz. Faun. Germ. Psenis spec. Panz. krit. Rev. (tanquam loco non incommodo inter Psenes positus, sed generis proprii esse disertis verbis declaratus).

Antennae fronti mediae insertae, sedecimarticulatae; scapo primo flagelli articulo breviori; flagello filiformi. *Alae* stigmate distincto, magno; areola radiali triangulari, acuminata; areolis brachialibus et cubitalibus binis manifestis. *Thorax* ovatus, antice truncatus. *Abdomen* abrupte petiolatum, convexum. *Terebra* segmentoque anali non exsertis.

Mandibulae latae, tridentatae. *Lingua* subemarginata. *Palpi maxillares* quinquearticulati, *labiales* triarticulati.

Characteri naturali

haec addenda sunt. *Mandibulae* conspicuae, latae et crassae, subtriquetrae, apice oblique truncatae et distincte triden-

tatae, dentibus duobus interioribus minoribus, sibi invicem magis approximatis, terminali majori, magis acuminato, incurvo. *Maxillae* non examinatae sunt. *Palpi maxillares* labialibus longiores, filiformes, quinquearticulati. *Mentum* breve, corneum, apice tridentatum. *Lingua* membranacea, dilatata, subemarginata seu potius retusa. *Palpi labiales* breves, triarticulati. *Antennae* fronti magis superae quam mediae insertae, distantes, oculisque approximatae, breves, rectae, sedecimarticulatae; *pedicellus* brevissimus, vix conspicuus; *scapus* brevis, obovatus, reliqua antenna crassior; *pedicellus* brevissimus, pateraeformis vel abbreviato-obconicus; *flagelli* articuli omnes cylindraceo-obconici, crassitie aequales, primo longiori et scapum longitudine nonnihil superante, tum reliquis longitudine sensim decrescente brevioribus, extremis subcylindricis, terminali obtuso. *Alae* satis latae et texturae firmioris, pubescentes; *stigma* magnum, dimidiato-ovatum, pone mediam alam situm; *nervus subcostalis* seu cubitus, costae parallelus, cum stigmate conjunctus; *areola radialis* una, triangularis, ante apicem alae acute clausa, sub stigmate recta truncata et ex angulo interiori nervum recurrentem abbreviatum emittens; *areolae cubitales* duae, prima magna, subhexagona, in areolam brachialem exteriorem aliquando effusa, nervulo brevi e stigmate recurrente subdivisa, postice nervo, ex angulo areolae radialis egresso, maximam partem secreta a secunda areola, quae postica versus sensim dilatata, in marginem posticum effunditur; *areolae brachiales* duae, subaequales, obconicae; *areolae discoidales* duae, quarum exterior minor, areolae brachiali exteriori dimidiae imposita, subtriangularis, postice angustior, interior major, subquadrata; areola, his imposita, postice latior, in marginem posticum alae excurrit; angulus analis alae distincte emarginatus.

Habitus non minus, quam alarum textura, singularis. *Antennae* thorace vix longiores, graciles. *Caput* transversum; vertice lato, planiusculo, ocellis tribus distinctis in triangulum positis; fronte verticali, inter antennas prominula; hypostomate transverso. *Oculi* parvi, subrotundi laterales, et ob genas pone eos explanatas magis antici. *Prothorax* brevis, antice recta truncatus et capiti collo brevissimo conjunctus, angulis anticis prominentibus, postice arcuatus, lateribus ad alarum originem fere recurrens. *Thoracis medii* dorsum late ovatum, antice rotundatum, postice recta truncatum, convexum, aequale.

Scutellum breve, latiusculum, rotundatum. *Metathorax* reliquo thorace angustior, brevis, ovatus, convexus. *Abdomen* petiolatum; *petiolus* in specie una, quam hujus generis cognitam habemus, longus, crassus, basi ut in *Belytis* quibusdam truncatus et processu tenui brevissimo metathoraci adhaerens, hinc postica versus e cylindraceo conicus, margine postico elevato cinctus; secundum segmentum maximum, campanulatum, convexum; reliqua brevissima, lineari-transversa, anali obtuso. *Terebrae* nulla vestigia. Venter convexus. *Pedes* structurae communis, subaequales, postici paulo longiores; *femora* fusiformia; *tibiae* aequales, spinula terminali singula, tenui; *tarsi* quinquearticulati, articulis conicis, primo longiori. *Alae* supra descriptae sunt.

Alter sexus adhucdum latet, neque omnino extra omnem dubitationis aleam positum videtur, utrum *femina* a nobis descripta an potius *masculini* sexus exemplum.

Metamorphosis, vitae genus et *mores* non magis explorata sunt, quam ista de sexu disquisitio.

1. Helorus *ater* Jur.

H. ater, pubescens, pedibus anticis, tibiis tarsisque posterioribus rufis.

Synon. *Helorus ater Jur. Hymen. p.* 215. *tab.* 14.
Helorus anomalipes Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p. 230. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 39.
Sphex anomalipes Panz. Faun. Germ. Fasc. LII. tab. 23 *et Fasc. C. tab.* 18.
Psen anomalipes Panz. Krit. Rev. p. 110.

Long. lin. 2½. Corpus totum atrum, nitidum, in capite et thorace pilis raris adspersum. *Antennae* totae nigrae, thorace breviores. *Abdomen* cum petiolo suo thorace cum capite longius, ovatum, pubescens, praesertim circa margines segmentorum; *petiolus* dimidio abdomine longior, conoideus, in dorso subcarinatus striatusque; reliqua segmenta laevia. *Pedes* antici laete rufi, coxis nigris; posticorum *coxae, trochanteres* et *femora* nigra, *tibiae* rufae. *Tarsi* omnes pallidiores. *Tegulae* alarum rufae. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate nigris.

Habitat in *Gallia* (*Latreille*); in *Helvetia* (Jurine); *Norimbergae* (*Panzer*); *Berolini* (*Klug*). Exemplum unum prope *Sickershausen* captum, casu periit, cum in eo essem, ut oris partes cultro examinandas dissecarem.

APPENDIX.

MONOGRAPHIA DRYINEORUM EUROPAEORUM.

DRYINEI.

Proctotrupii Div. II. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 39.
Mutillariarum et Typhiarum specc. Latr.

Antennae hypostomati infero supra clypeum insertae, rectae, vel fractae, articulis undecim vel tredecim. *Alae*, ubi adsunt, areolis brachialibus duabus completis (uni generi deficientibus), stigmate, areolaque radiali incompleta. *Aculeus punctorius. Thorax* elongatus, distincte bi- vel tripartitus.

Dryini revera non hujus loci sunt et ab Ichneumonum natura et moribus alieni; sed quoniam a plerisque, et praesertim a *Latreillio* et *Dalmano*, viris praestantissimis, inter *Codrinos* seu *Proctotrupios* relati, vulgo inter eosdem recensentur, *Appendicis* loco addere placuit genera illa, quae *Dryineorum* nomine communi salutari posse arbritor.

Insecta, inter omnia Hymenoptera maxime singularia sunt hi Dryinei, parvi quidem, sed agiles, mobiles, pedibusque saepe anticis raptoriis praediti. *Antennae* supra os insertae, undecimarticulatae, vel tredecimarticulatae, breves, vel parum elongatae; *scapo* longo; *flagello* aequali, filiformi, recto, vel a scapo deflexo. *Caput* depressum, horizontale, fronte cum vertice et hypostomate confluente, convexa. *Mandibulae* prominulae, acutae, plerumque dentatae. *Maxillae* et *lingua* integrae. *Palpi maxillares* quinque- vel sexarticulati; *labiales* bi-, tri- vel quadriarticulati. *Oculi* laterales, parvi, vel mediocres. *Prothorax* magnus, saepe attenuatus. *Metathorax* etiam magnus, truncatus. *Thorax medius* his paulo brevior, distinctus. Hae tres partes vel contiguae, vel (in *feminis* apteris), isthmis angustis conjunctae et itaque magis distantes. *Abdominis* oblongi vel ovati, subsessilis vel brevi petiolo inserti, convexi, mobilis, segmenta aequalia, transversa; anus acutus, decurvus, *aculeo punctorio* in feminis armato. *Pedes* validi, in aliis longiusculi, in aliis ratione corporis breves; *coxae* crassae, conicae, posticae longiores; *femora* vel e basi crassa apicem versus pyriformi-attenuata (obclavata), vel clavato-compressa et tunc breviora; *tibiae* subclavatae, validae; *tarsi* longi, antici vel reliquis paulo longiores tantum, vel (in femina) raptorii, articulis primo et

extremo longis, isto biunguiculato, unguiculo interiori elongato reflexo, articulum saepe adaequante. *Alae*, ubi adsunt, magis minusve explicatae; perfectiores satis magnae; *nervus subcubitalis* in media fere costa, vel magis postica versus, stigma satis conspicuum format, ex quo *ramus radialis* curvus egrediens, *areolam radialem* oblongam, magis minusve incompletam, circumscribit; *areolae brachiales* duae, completae, angustae, basin alae occupant; reliqua pars alae omnino nervis caret. In aliis alae *imperfectae*, abdomine breviores, nervis indistinctis, vel etiam enerves inveniuntur. Aliae denique species *ne vestigio quidem alarum* praeditae sunt. *Color* corporis niger, vel rufo mixtus, nunquam metallicus.

Mares differunt a feminis: *antennis* longioribus, magis filiformibus et pubescentibus; *abdomine* inermi; *tarsis* anticis, ubi feminae raptoriis gaudent, infirmibus simplicibusque, tum vero *statura* minore.

Sexus uterque in multis incognitus, uno alterove saltem observato; latent etiam omnia, quae ad historiam naturalem penitiorem spectant, nec ulla species inventa, de qua ubi, vel quibus modis, victum quaerat vel sobolem educat, certa observatione constet. Parasitarum more vivere si supponis, id non ad Ichneumonum regulam intelligas necesse est, cum terebra, ad ova aliis insectis inserenda idonea, careant, sed *Mutillariarum* ad instar in Hymenopterum aliorum domicilio et eorum penu collecto vesci. *Pedes* raptorii feminarum forte eo inserviunt, ut his animalibus adhaerentes, ab illis non facile depellantur, sed per latebras eorum ad penetralia usque, ubi ova cum prole hospitum promiscua ponenda sint, deportentur.

Haec itaque Familia media quasi est inter *Terebrantes* parasitantes, et *Mutillarias*, ab alieno acervo nutritas.

SYNOPSIS

GENERUM DRYINEORUM.

A. *Tarsi antici feminarum raptorii.*

a. *Prothorace* subquadrato, transverso . . . . Gen. I. *Dryinus* Dalm.
b. *Prothorace* elongato, et in feminis, quae plerisque apterae, a thorace strangulo discreto . . . . Gen. II. *Gonatopus* Ljungh.

B. *Tarsi antici feminarum* structurae communis.

a. *Prothorace* brevi; *antennis* undecimarticulatis . . . . . Gen. III. *Aphelopus* Dalm.
b. *Prothorace* ovato, producto; *antennis* tredecimarticulatis. Species quaedam apterae . . . . Gen. IV. *Omalus* Jur.

GENUS I.

DRYINUS Latr.

A δρύϊνος quercinus, sylvestris.

Dryinus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 39. n. CCCCLXXI. Hist. nat des Cr. et des Ins. XIII. p. 228. Dalm. Anal. entom. p. 7. specc. Drynus Lam. Anim. sans vert. IV. p. 130. Gonatopus Dalm. Bethyli spec. Fabr.?

Antennae undecimarticulatae; scapo longo; articulis flagelli posterioribus brevioribus et in feminis paulo crassioribus. *Prothorax* subquadratus, transversus. *Tarsi* feminarum antici raptorii. *Mandibulae* tri- vel quadridentatae.

Character naturalis.

Clypeus porrectus. *Labrum* breve, transversale, reconditum. *Mandibulae* corneae, prominulae, angustae, incurvae, acutae, introrsum bi- vel tridentatae. *Mala* membranacea, rotundata, integra. *Palpi maxillares* filiformes, elongati, graciles, quinquearticulati, articulis filiformibus, subaequalibus, primo articulo brevissimo. *Mentum* breve, corneum, apice tridentatum; *lingua* membranacea, paulo dilatata, rotundata, integra. *Palpi labiales* breves, triarticulati vel biarticulati, articulo extremo paulo crassiori subclavato. *Antennae* supra clypeum insertae, capite duplo ad summum longiores, undecimarticulatae; *radicula* brevis, obconica, conspicua; *scapus* flagello crassior, at duplo saltem brevior, obconicus, subincurvus; *pedicellus* brevissimus, obconicus; *flagellum* subfiliforme, recurvum, articulis subcylindricis contiguis facile tamen distinguendis, anterioribus subaequalibus longioribus, posterioribus in femina paulo crassioribus et brevioribus. *Alae* ut in charactere generali describuntur.

Habitus. Statura parva, raro aliquot linearum longiori corpore. *Caput* magnum, dilatatum, fronte verticeque continuis, modice convexis. *Oculi* ovati, prominuli, satis magni. *Ocelli* minuti, in vertice trianguli forma dispositi, in quibusdam vix discernendi. *Thorax* ovatus; *prothorace* brevi, ovato, vel transverse quadrato, postice linea recta a thorace medio discreto. *Scutellum* breve, distinctum, obtusum. *Metathorax* brevis, truncato-declivis, saepe reticu-

lato-areatus. *Abdomen* ovatum, vel oblongum, petiolo brevissimo angusto metathoraci affixum. *Aculeus* feminae punctorius. *Pedes* elongati; *coxae* magnae, conicae; *femora* ovato-conica, apice attenuata (obclavata); *tibiae* basi tenues, apice incrassatae, spinula brevi terminali armatae. *Tarsi* antici feminae raptorii, elongati, primo et quinto articulo elongatis, tribus intermediis brevissimis, terminali unguibus geminis praedito, quorum interior longior, totum fere articulum longitudine aequans, reflectendus, cum suo articulo quasi forceps res comprehensas tenet; exterior unguis brevior est et recta prominet. *Tarsi postici* structurae communis et simplices. *Alae*, uti in charactere generali descriptae sunt, *areolis brachialibus* duabus, linearibus vel conicis, subaequalibus; *stigmate* distincto, crassiusculo; *areola radiali* oblonga, non perfecte clausa; caeterum omnino enerves, non coloratae, glabriusculae.

Mas differt: *Statura* minore; *antennarum flagello* magis elongato, pubescente, articulis omnibus cylindricis, subaequalibus, nec terminalibus brevioribus; *abdomine* inermi.

Metamorphosis et *vitae ratio* latent. Cl. *Dalmanus* suspicatur, Dryinos victu uti parasitico. Quippe cum feminarum tantum sint pedes raptorii, nequaquam eos ad capiendam praedam, esui adhibendam, inservire arbitratur, sed quibus se retineant ad ea animalcula, quibus inserere ova sua gestiant. Quae nostra hac de re sententia est, supra explicavimus. Imago, rara ea quidem et nusquam terrarum frequens, in arborum et fruticum sylvestrium foliis sedens, motuve cito et agili ambulans invenitur.

1. Dryinus *ephippiger* Dalm.

Dr. laevis, flavus; metathorace nigro, scabro. *Fem.*

Synon. *Dryinus ephippiger Dalm. Anal. entom. p. 9. n. 1.*

Gonatopus ephippiger Dalm. in Act. Holm. a. 1818. *I. p.* 81. *n.* 5.

(Long. lin. 1½.) Parvus, vix magnitudine *Bethyli* (*Omali*) *hemipteri*, totus flavo-luteus, solis *oculis* et *metathorace* nigris. *Antennae* luteae, vix pubescentes; *scapo* longo, cylindrico; *pedicello* brevi obconico; *flagelli* articulis quatuor inferioribus linearibus, tribus sequentibus crassioribus et paulo brevioribus, terminali acuminato. *Caput* quam in reliquis minus latum, postice parum emarginatum, glabrum, laeve, luteum; *oculis* subovatis, nigris; *mandibulis palpis*que pallidis, illis summo apice fuscis. *Prothorax* an-

gustus, subquadratus, apice rotundatus, luteus, glaber, laevissimus, nitidus. *Thorax* subtus et antice laete luteus, sub metathorace ante basin pedum utrinque puncto nigro. *Metathorax* niger, scaber, convexus, postice declivis, obsolete cancellatus, areola apicali angusta. *Abdomen* luteum, glaberrimum, basi apiceque angustatum, segmentis quinque; petiolo vix ullo. *Pedes* flavi, immaculati, forma ut in reliquis hujus generis, videlicet *femoribus* ante medium incrassatis, versus apicem attenuatis, *tarsis*que anticis raptoriis. *Alae* pallidae, hyalinae, nervis stigmateque flavissimis, directione omnino ut in reliquis hujus generis.

In *Vestrogothia* rarissime sibi obvium *Dalmanus* l. c. descripsit. *Mas* ignotus.

Ipse hanc speciem non observavi.

2. Dryinus *dorsalis.*

Dr. niger, antennarum basi, prothorace pedibusque rufis; stigmate fusco. *Fem.*

Synon. *Dryinus collaris Var. β. major Dalm. Anal. entom. p.* 9.

Bethylus dorsalis Fabr. Syst. Piez. p. 238. *n.* 8?

Long. lin. 2. *Antennae* supra clypeum insertae; *scapo* satis longo, flagello crassiori, cylindrico, luteo; *pedicello* brevi *flagelli*que primo, vel etiam secundo et tertio articulo etiam rufis, his satis distinctis cylindricis, terminalibus paulo brevioribus et crassioribus nigris. *Caput* crassum, transversum, thorace latius, nigrum, punctulatum; fronte convexiuscula. *Oculi* magni, ovati, laterales. *Mandibulae* et *palpi* pallida, illae apice fuscae. *Prothorax* distinctus, ovatus, laevis, rufus, margine antico nigricante. *Thoracis medii* dorsum convexum, breve, laeve, ante alas rufum, litura utriusque lateris nigricante; postice cum scutello brevi nigrum. *Metathorax* prominens, ovatus, subrugosus, niger, nitidus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, acutum, convexum, laeve, atrum, nitidissimum; segmentis aequalibus, primo in petiolum brevissimum attenuato. *Pedes* cum coxis pallide lutei; sed *femora* antica extus basin versus, postica vero apice nigricantia, *tibiae* etiam posticae apice infuscatae. *Femora* antica lata, ovato-oblonga, compressa, posteriora obclavata, elongata; *tibiae* anticae subclavatae, ante apicem spinula elongata armatae; *tarsi* antici quinquearticulati, primo articulo longo cylindrico, secundo, tertio, quarto brevissimis hirtis, quinto longissimo, ad apicem contracto et quasi biarticulato, ibi-

demque ungue acuto elongato acuto reflexo, longitudine partis inferioris articuli, armato; *ungues* fusci, breves, curvi. *Tarsi posteriores* elongati, filiformes, articulo primo longo, mediis decrescentibus, quinto his longiori, subclavato, fusco; *ungues* structurae communis. *Alae* hyalinae, disco infuscatae, nervis pallide fuscis, ad regulam generis dispositis; stigmate parvo, fusco.

Cepi *feminam* die 9. Junii a. 1811 *Sickershusae* in fossula humida ad viam publicam inter Montiam fontanam Lin. In *Smolandia Boheman* legit (*Dalman* l. c.); *Kiliae Fabricius*? *Mas* non innotuit.

3. DRYINUS *collaris* Dalm.

Dr. niger, antennis, pedibus, stigmateque testaceis, prothorace rufescente. *Fem.*

SYNON. *Dryinus collaris Dalm. Anal. entom. p.* 9. *n.* 2.

Gonatopus collaris Dalm. in Act. Holm. a. 1818. *I. p.* 82. *n.* 7.

Inter minores hujus generis (long. lin. 1 — 1¼). *Antennae* longitudine fere capitis cum thorace, tenues, saturate testaceae, concolores; *scapo* longiori; *pedicello* brevi; reliquis articulis cylindricis, subaequalibus, terminalibus crassioribus. *Caput* prothorace latius, glabrum, laeve, nitidum, nigrum, *mandibulis palpis*que flavescentibus. *Prothorax* capite multo angustior, subquadratus, antice rotundatus, laevis, rufescens, margine antico infuscato. *Thorax* vix latitudine capitis, niger, nitidus. *Metathorax* niger, punctulatus, subtiliter cancellatus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, nigrum, nitidissimum, ano piceo. *Pedes* structurae communis hujus generis, quales in praecedente specie describuntur, cum *coxis* pallide testacei; *femoribus* basi valde incrassatis, inferne attenuatis, posticis apice piceis. *Alae* hyalinae, nervis et stigmate flavescentibus.

In *Vestrogothia* cl. *Dalman* legit. *Mas* ignotus. Vidi unum exemplum femineum.

Adnot. A praecedente, cui affinis, manifeste differt: *statura* duplo minore, *capite* laevi, vel subtilissime tantum punctulato; *antennis* totis testaceis; *pedibus* concoloribus; *stigmate* flavo, nec fusco.

4. DRYINUS *flavicornis* Dalm.

Dr. niger, nitidus, fronte albo-sericea, ore albo; antennis (feminae) thorace brevioribus apice crassioribus et pedibus testaceis; metathorace leviter cancellato. *Mas. Fem.*

SYNON. *Dryinus flavicornis* Dalm. *Anal. entom.* p. 10. n. 3.

Gonatopus flavicornis Dalm. in *Act. Holm.* a. 1818. *I.* p. 83. n. 8.

Long. lin. 1½—2. *Antennae* supra os insertae, capite vix triplo longiores, tenues, flavo-testaceae, glabrae; *scapo* reliquis articulis multo longiori et crassiori, cylindrico, latere antico albido; *pedicello* parvo, obconico; *flagelli* articulis subaequalibus, cylindricis, terminalibus sensim paulo brevioribus et crassioribus, extremo ovali. *Caput* crassum, transversum, thorace latius, nigrum, nitidum, subtilissime confertissimeque punctulatum; fronte convexa; hypostomate pubescentia tenui albo-sericea vestito; carinula frontali ante ocellos angusta longitudinali. *Oculi* laterales magni, ovati. *Palpi maxillares* elongati, filiformes, flavi, articulis tenuibus, aequalibus, solo primo brevissimo. *Mandibulae* albidae, tridentatae, dentibus fuscis. *Prothorax* brevis, ovatus, niger, punctulatus. *Thorax* medius brevis cum *scutello* niger, nitidus. *Metathorax* prominens, declivis, niger, sub scutello et ad latera punctulato - scaber, in disco posteriore vero areola distincta obovata cancellata insculptus. *Abdomen* longitudine thoracis, subsessile, ovatum, laevissimum, atrum, nitidissimum, structurae solitae generis. *Pedes* testacei; *coxis*, *trochanteribus*, *femorum*que anticorum facie anteriori albidis; *femoribus posticis* apice extus fuscis; *tarsis* puncto nigro terminatis. *Pedes* antici feminae raptorii; *femoribus* latis, ovato-oblongis, compressis; *tibiis* subclavatis, ante apicem spinula elongata armatis; *tarsorum* articulo primo elongato cylindrico, tribus mediis brevissimis hirtis, quinto longissimo, circa apicem constricto et ungue valido elongato acuto reflectendo, longitudine partis inferioris articuli, armato, *unguibus* praeter illum brevibus, structurae solitae, fuscis. *Pedes posteriores femoribus* obclavatis elongatis; *tibiis* subclavatis; *tarsis* longis, filiformibus, articulo primo longissimo, secundo breviori, tertio et quarto hoc etiam brevioribus, quinto longiori, crassiori, obscuriori. *Alae* hyalinae, nervis stigmateque flavis.

Mas differt a femina: *statura* duplo fere minore; *antennis* paulo longioribus, filiformibus, pubescentibus, subciliatis; *abdomine* breviore, magis obtuso.

Cepi *feminam* die 25. Junii a. 1809 in trunco salicis putrescente prope *Sickershausen*. *Marem* cum *femina* in

plantis et fruticibus, praesertim Pomonae, passim occurrere *Dalmanus* l. c. refert.

V a r i e t a s:

β. Dimidio fere minor; *antennis* fusco-testaceis; *pedibus* testaceis, *femoribus* posticis nigris; *stigmate* alarum fusco. *Fem.*

Distincta species videtur, mihi non visa. Carinula frontalis vix conspicua.

In *Vestrogothia* cl. *Boheman* legit (*Dalman* l. c.).

5. Dryinus *longicornis* Dalm.

Dr. niger, nitidus; fronte albo-sericea, antennis gracilibus thoracis longitudine pedibusque testaceis, ore scapoque albis; metathorace non cancellato. *Fem.*

Synon. *Dryinus longicornis Dalm. Anal. entom. p.* 10. *n.* 4.

Magnitudo, habitus et summa affinitas *Dryini* flavicornis, sed omnino distinctus *antennarum* et *metathoracis* structura, magis etiam glaber. *Antennae* longitudine capitis cum thorace, filiformes, glabrae; *scapo* crassiori, subcylindrico, albo; *pedicello* brevi, obconico, flavo; *flagelli* articulis primo secundoque teretibus, angustis, scapo multo longioribus et duplo tenuioribus, in quibusdam fusco-testaceis; reliquis articulis longitudine et crassitudine inter se aequalibus, testaceis, concoloribus, anterioribus paulo brevioribus, extremo etiam lineari neque ovali. *Caput* thorace latius, subtilissime punctulatum, nigrum, nitidum, antice albo-sericeum, ante ocellos impressum, minimeque ut in *Dryino flavicorni* carinatum. Margo oralis lutescens. *Palpi* et *mandibulae* alba; harum dentes apice fusci. *Prothorax* brevis, ovatus, subtransversus, subtilissime punctulatus, niger. *Thorax* medius niger, punctulatus, nitidus. *Metathorax* niger, undique punctulato-scaber, areola postica nulla distincta, neque superficie cancellata. *Abdomen* ovatum, laeve, nigrum, nitidissimum. *Pedes* structurae omnino ejusdem ac in *Dryino flavicorni*, sed paulo graciliores, pallide testacei; *coxis* posticis basi fuscescentibus. *Alae* albo-hyalinae, nervis stigmateque pallide flavis.

Cepi prope *Sickershausen* cum praecedente, mense Junio. In *Smolandia Boheman*, in *Vestrogothia Dalman* legerunt. *Mas* latet.

6. Dryinus *ruficornis* Dalm.

Dr. niger, nitidus, glaber, mandibulis pedibusque lutescentibus; antennis longioribus fusco-rufescentibus, scapo pedicelloque testaceis; metathorace non cancellato. *Fem.*

SYNON. *Dryinus ruficornis Dalm. Anal. entom.* p. 11. n. 5.

Gonatopus ruficornis Dalm. in Act. Holm. a. 1818. I. p. 83. n. 9.

Nimis affinis *Dryino longicorni* sed duplo minor, et distinctus *prothorace*, uti videtur, magis angustato et *colore* diverso, magis saturato.

Antennae longitudine capitis cum thorace, tenues; *scapo* crassiori, tereti, *pedicello*que brevi flavis; reliquis articulis fusco-rufescentibus glabris, tertio quartoque scapo longioribus, caeteris sensim decrescentibus, terminali lineari. *Caput* nitidum, nigrum, oculo armato subtilissime parcius punctulatum; fronte convexa, minime carinulata et inferius vix sericeo-pubescente, concolore. *Palpi* et *mandibulae* lutescentes, hae basi apiceque infuscatae. *Prothorax* angustatus, subquadratus, niger, subtiliter punctulatus. *Thorax medius* niger, nitidus. *Metathorax* concolor, convexior, punctatissimus, tenuiter pubescens, haud cancellatus. *Abdomen* nigrum, nitidum. *Pedes*, cum *coxis*, rufo-testacei, immaculati. *Alae* hyalinae, nervis stigmateque flavescentibus.

In *Vestrogothia feminam* cl. *Dalman* legit. *Mas* non innotuit.

7. DRYINUS *frontalis* Dalm.

Dr. niger, nitidus, fronte clypeove, mandibulis pedibusque rufo-testaceis; antennis longioribus nigris, scapo luteo; metathorace retuso. *Fem.*

SYNON. *Dryinus frontalis Dalm. Anal. entom.* p. 11. n. 6.

Gonatopus frontalis Dalm. in Act. Holm. a. 1818. I. p. 84. n. 10.

Differt a *Dryino ruficorni statura* minore, *clypeo* saltem semper rufo; et *metathorace* breviori, retuso.

Antennae longitudine thoracis cum capite, tenues, pubescentes, nigrae, solo *scapo* luteo. *Mandibulae* et *palpi* flavescentes. *Frons* albo-pilosula, macula magna lutea inter et supra antennas, ad os usque descendente. *Caput*, *thorax* et *abdomen* nigri coloris. *Metathorax* niger, conferte punctatus, non cancellatus, valde retusus. *Pedes* cum *coxis* lutei, immaculati. *Alae* nervis stigmateque lutescentibus.

V a r i e t a s:

β. *Capite* nigro, solo *clypeo* rufo-testaceo; *antennis* nigris, *scapo* fusco-testaceo. *Fem.*

Non differt, nisi *antennis* nigris *scapo* obscuriore, et defectu maculae frontalis.

In *Smolandia* et *Vestrogothia* cl. *Dalman* legit *feminam* utriusque varietatis. *Mas* non cognitus.

8. Dryinus *basalis* Dalm.

Dr. niger, nitidus, mandibulis pedibusque flavo-testaceis; antennis longioribus; crassiusculis, nigris, scapo pedicelloque flavo-testaceis. *Fem.*

Synon. *Dryinus basalis Dalm. Anal. entom. p.* 11. *n.* 7.

Gonatopus basalis Dalm. in Act. Holm. a. 1818. *I. p.* 84. *n.* 11.

Etiam haec species *Dryino ruficorni* affinis, sed major; *antennarum flagello* fere duplo crassiori quam in illo, toto nigro, minime rufescente, *scapo* paulo longiore; *stigmate* alarum angustiore.

Antennae corpore breviores; *scapo* crassiusculo, cylindrico, flavo; *pedicello* tenui, pallido; reliquis articulis nigris, concoloribus, antennae apicem versus sensim crassioribus, breviter pubescentibus. *Caput* thorace manifeste latius, nigrum, subtiliter punctulatum, callo parvo supra os inter antennas; *frons* nigra, immaculata, tenuiter albo-pubescens; *mandibulae* lutescentes; *palpi* flavissimi. *Thorax* niger, nitidus, punctulatus. *Metathorax* niger, retusus, punctulatus, non areolatus. *Abdomen* nigrum, nitidum. *Pedes* structurae solitae, pallide lutescentes, immaculati. *Alae* nervis testaceis, stigmateque concolore, quam in congeneribus multo angustiore.

In *Smolandia* a cl. *Boheman* lectus et *Dalmano* communicatus est. *Mas* ignotus.

Speciem hanc, a me non visam, Dalmani fide adduco.

9. Dryinus *brevicornis* Dalm.

Dr. niger, capite subtilissime cicatricoso; ore pedibusque rufo-piceis; antennis crassis, brevibus, nigris, scapo piceo; metathoracis area ampla; stigmate fusco. *Mas. Fem.*

Synon. *Dryinus brevicornis Dalm. Anal. entom. p.* 12. *n.* 8.

Gonatopus brevicornis Dalm. in Act. Holm. a. 1818. *I. p.* 85. *n.* 12.

Long. lin. 1¼ — 1½. Differt a praecedentibus et sequentibus: *antennis* brevioribus et crassioribus; *metathoracis* area postica ampliori; *stigmate* valido.

Antennae vix ultra dimidium thoracem pertingentes, nigrae, basi (scapo cum pedicello) piceae; *scapus* reliquis articulis longior, obconicus; *pedicellus* brevis, obconicus; *flagelli* articulus primus longior, cylindricus, reliqui evidenter crassiores, ultimus conoideus, apice subacuminatus. *Caput* thorace manifesto latius, nigrum; fronte subtilissime cicatricosa (coriacea), canalicula tenui longitudinali insculpta; regione oris albo-sericea. *Mandibulae* lutescentes, basi piceae; *palpi* testacei. *Thorax* niger, nitidus. *Metathorax* concolor, punctatissimus, basi cancellatus, apice retusus, cicatriculosus, subaequalis propter areolam terminalem maximam totum fere apicem occupantem. *Abdomen* thoracis longitudine, ovatum, subsessile, laeve, nitidissimum, glabrum, nigrum. *Pedes* cum *coxis* rufo-picei, *femoribus* posterioribus nigro-piceis, nigrisve, vel saltem saturatioribus. *Alae* hyalinae, nonnihil infuscatae; nervis pallide fuscescentibus; stigmate magno, nigro-fusco.

Mas differt a femina: *antennis* concoloribus, nigris, crassiusculis, breviter articulatis; *pedibus* nigro-piceis, *geniculis tarsis*que testaceis.

Antennae thorace cum capite breviores, totae nigrae, pubescentes; *scapo* subcylindrico, reliquis articulis longiore; *pedicello* brevi, obconico; reliquis subcylindricis, diametro sua vix duplo longioribus, primo *flagelli* caeteris fere breviori, extremo elongato, acuminato. *Caput* thorace latius, subcoriaceum; *mandibulis* apice lutescentibus. *Thorax* cum *metathorace* ut in antecedentibus expositum est. *Pedes* nigro-picei, *tibiis* anticis *geniculis tarsis*que omnibus testaceis. *Alae* stigmate nigro-fusco.

Cepi *feminam*, mense Junio a. 1809 in Quercu nemoris prope *Sickershausen.* In *Vestrogothia* et in *Smolandia* b. *Dalman* legit.

Mas, a *Dalmano* in *Suecia* inventus et feminae isti l. c. tributus, diversae speciei esse videtur. *Antennae* enim in maribus longiores, huic femineis breviores adscribuntur, quod solum sufficit ad dubia movenda.

10. Dryinus *brachycerus* Dalm.

Dr. niger, ore albicante, pedibus pallide testaceis, femoribus fusco-piceis; antennis (feminae) thorace brevioribus, crassiusculis, totis nigris; metathorace subretuso, areola obovata, angusta. *Mas. Fem.*

Synon. *Dryinus brachycerus Dalm. Anal. entom. p.* 12. *n.* 9.

Magnitudine fere *Dryini brevicornis*, cui affinis, sed

omnino distinctus. Differt et *colore*, et *capite* laevigato, haud coriaceo; *metathorace* minus retuso, in cujus apice areola discoidalis parva, nec totum apicem occupans, ut in illo; differt quoque *alarum stigmate* flavo.

Antennae nigrae, concolores; *scapo* breviusculo; *flagello* thorace manifeste breviore, crassiusculo, praesertim versus apicem, articulis mediis diametro suo vix longioribus, extremo conico. *Caput* nigrum, parum nitidum, non nisi oculo acute armato subtiliter punctulatum. *Mandibulae* et *palpi* albicantes, vix flavescentes. *Thorax* niger, nitidus, immaculatus; *prothorace* brevi. *Metathorax* dorso obsolete strigosus, apice declivis, areola parva, obovata, disco postico angustiore. *Abdomen* longitudine thoracis, nigrum, nitidum. *Pedes* pallide flavo-testacei, *coxis* concoloribus, solis *femoribus* fusco-piceis. *Alae* albae, hyalinae, stigmate flavo.

Mas niger, nitidus, *ore* albicante, *pedibus* sordide testaceis, *femoribus* nigro-piceis; *metathorace* subretuso, areola apicali obovata; *antennis* longitudine thoracis, crassiusculis.

SYNON. *Dryinus brachycerus mas. Dalm. Anal. entom. l. c. Gonatopus pubicornis Dalm. in Act. Holm. a.* 1818. *p.* 87. *n.* 15.

Marem hunc esse *Dryinum brachycerotem* l. c. *Dalmanus* ex analogia conjicit. Convenit cum femina *magnitudine*, *habitu* et *coloribus* corporis, differt vero *stigmate alarum* non flavo sed nigro. *Antennae* totae nigrae, distincte sed breviter pubescentes, crassiores, quam in maribus reliquis hujus generis, thoracis apicem vix attingentes; articulis omnibus, praeter *pedicellum* breviorem, cylindraceis, subaequalibus. *Caput* nigrum, immaculatum, subtilissime punctulatum, albo-pubescens; *mandibulis palpis*que albidis. *Metathorax* ut in femina areolatus. *Abdomen* thorace brevius, ovatum, nigrum, nitidissimum. *Pedes coxis femoribus*que nigro-piceis, *tibiis tarsis*que sordide testaceis. *Alae* hyalinae, nervis stigmateque fusco-piceis, obscuris.

Marem et *feminam* in *Smolandia* legit cl. *Boheman*; in *Vestrogothia* ipse *Dalmanus* feminam invenit. In Germania, quod sciam, nondum observata est haec species.

11. DRYINUS *fuscicornis* Dalm.

Dr. niger, ore pedibusque testaceis, femoribus basi piceis; antennis nigris, pubescentibus; alarum nervis stigmateque fuscis. *Mas.*

Synon. *Dryinus fuscicornis Dalm. Anal. entom.* p. 13. n. 10.
Gonatopus fuscicornis Dalm. in Act. Holm. a. 1818. *I. p.* 87. *n.* 14.

Mediae magnitudinis in hoc genere, vel *Evaniae minutae* (1⅓ lin.). *Antennae* capite cum thorace manifesto longiores, nigrae, lineares, valde pubescentes; *scapus* crassiusculus, basi interdum piceus; *pedicellus* parvus, obconicus; *flagelli* articulus primus scapo fere duplo longior, tenuior, cylindricus, reliqui articuli ejusdem formae et fere longitudinis, apicalis attenuatus. *Caput* nigrum, nitidum, *mandibulis palpis*que flavis. *Prothorax* brevis, antice rotundatus, niger, nitidus. *Thorax* niger. *Metathorax* thoraci concolor, punctatissimus, convexus, apice declivis, haud cancellatus. *Pedes* obscure testacei; *femoribus* basi piceis; *coxis* concoloribus. *Alae* hyalinae; nervis stigmateque fuscis, obscuris.

In *Vestrogothia Dalmanus* legit *marem*. *Femina* non nota est.

Adnot. Dalmanus l. c. dubium esse fatetur, num propria species habendus sit mas iste, an feminae cuidam, in antecedentibus descriptae, sit adsociandus.

12. Dryinus *tenuicornis* Dalm.

Dr. niger, ore pedibusque sordide testaceis; antennis longis et gracilibus; metathorace declivi, vix cancellato. *Mas.*

Synon. *Dryinus tenuicornis Dalm. Anal. entom.* p. 13. n. 11.

Magnitudo et forma *Dryini frontalis,* cujus marem esse *Dalmanus* l. c. suspicatur. Differt tamen *pedibus* multo obscurioribus et *alarum* stigmate fusco. *Antennae* longitudine thoracis cum capite, graciles, nigrae, pubescentes; *scapus* mediocris, cylindricus, subtus plus minus flavescens; *pedicellus* brevis, obconicus; *flagelli* primus articulus secundo fere brevior, reliqui articuli subaequales, lineares, diametro triplo vel quatruplo longiores, apicalis attenuatus. *Caput* thorace latius, nitidum, subtiliter punctatum, versus os albo-pubescens. *Mandibulae* et *palpi* flavescentes. *Thorax* niger, nitidus; *prothorace* brevi; *metathorace* declivi, punctato-scabro, vix nisi obsolete areolato. *Abdomen* breve, nigrum, nitidum. *Pedes* sordide testacei; *femoribus* obscurioribus; *tibiis anticis tarsis*que

omnibus pallidioribus. *Alae* nervis flavicantibus, stigmate fusco-piceo.

Habitat in *Vestrogothia* et in *Smolandia* (*Dalman* l. c.) *Femina* incerta.

GENUS II.

GONATOPUS Ljungh.

Nomen a γόνυ, genu, et ποῦς, pes, ob pedes anticos raptorios, quasi in plura genua fractos.

Gonatopus Ljungh. in Web. et Mohr. Beitr. II. p. 161. *Dalm. Act. Holm. a.* 1818 *I. Dryini specc. Latr. Methoca Latr. Mutillae spec. Jur.*

Antennae undecim- vel tredecimarticulatae; scapo vel satis longo, vel brevi et vix pedicello longiore; articulis flagelli posterioribus paulo brevioribus et in femina crassioribus. *Prothorax* elongatus, et in femina cum thorace compresso strangulo conjunctus. *Tarsi* antici raptorii. *Mandibulae* bi- vel quadridentatae.

Feminae pleraeque apterae.

Character naturalis, e partibus oris hauriendus, quantum scio non manifesto differt a genere praecedente. *Methocis* quidem cl. *Latreille palpos maxillares* sexarticulatos tribuit, labiales quadriarticulatos, *mandibulas*que bidentatas, cum *Dryini* contra ea *palpis maxillaribus* quinquearticulatis, *labialibus* tri- vel biarticulatis *mandibulis*que quadridentatis ab eo describantur. Sed accurata oris partium dissectione edoctus sum, eas species, quas *Methocas* veras Latreilleanas esse cognovi, *palpis maxillaribus* omnino haud aliter, quam Dryinos, quinquearticulatis et *labialibus triarticulatis* instrui. *Antennnae* articulorum numero paulo excedunt *Dryinorum* antennas.

Pedes raptorii, a plerisque neglecti, causa fuerunt, ut species omnino congeneres divellerentur.

Habitus proprius species hujus generis quam maxime distinguit. *Caput* thorace antico multo latius, transversale; *fronte late depressa* vel excavata; oculis lateralibus magnis, ovalibus, transverse positis ob frontis cavum ad latera prominulis. *Thorax* elongatus, compressus, angustus; *prothorace* semper, in aliis etiam *thorace medio a metathorace* strangulo seu isthmo quasi sejunctis, quo fit ut truncus in

universum modo binodis, modo trinodis appareat. *Scutellum* nullum distinctum. *Abdomen* convexum, aequale, subsessile, segmentis aequalibus, ano in femina acuto, aculeo punctorio armato. *Pedes antici* raptorii, *trochanteribus femoribus*que validioribus, *tarsis* elongatis, articulis in speciebus diversis proportione et figura variis; *pedes posteriores* graciles; *femoribus* obclavatis; *tibiis* aequalibus; *tarsis* structurae communis. *Alae* feminis, quas ipse examinavi, nullae. *Color* corporis niger, vel fuscus, rufove varius. *Statura* mediocris.

Mas alatus, dissimilis: *Antennae* elongatae. *Prothorax* oblongus, elongatus, a thorace medio nullo strangulo discretus. *Thorax medius* latior, brevis, antice rotundatus, cum *metathorace* postice producto ovato continuus. *Scutellum* parvum, distinctum. *Abdomen* obtusum. *Pedes* antici non raptorii. *Alae* structurae Dryinorum consimili; nervo radiali e basi retrorsum ramulum brevem emittente, et nervis duobus ab areolis brachialibus per discum alae versus marginem posticum procurrentibus; stigmate crasso elongato.

De *methamorphosi* et *vitae genere* nihil expertum est. Insecta completa in terra et sub lapidibus errant, motu celeri. Alata rarissima in frondibus arborum inveniuntur.

Adnot. *Gonatopus* genus revera *Dryino* Latreilleano respondet, sed idem quoque *Methocae* generi. Quos *Dryinos* appellamus, hos omnes clarissimo Generum Crustaceorum et Insectorum scriptori, cum opus suum immortale ederet, ignotos fuisse patet. Sed quoniam *Dryinorum* nomine b. *Dalmanus* species plurimas bene exposuit, *Gonatopodis* autem singularis structura a *Ljunghio* prius est intellecta, quam Latreillius eam in *Dryino* suo cognosceret, neglecta tum quoque Methocarum simili forma, Ljunghianum hoc nomen restituimus.

1. Gonatopus *formicarius* Ljungh.

G. trunco trinodi, fuscus; antennarum basi pedibusque pallidis abdomine atro; alis nullis. *Fem.*

Synon. *Gonatopus formicarius Ljungh in Web. et Mohr. Beitr. z. Naturgesch. II. p.* 161.

Long. lin. 1. *Antennae* supra mandibulas insertae, fractae, filiformes, graciles; *scapo* longo, pallido; reliquis (11) longitudine nec latitudine decrescentibus, fuscis. *Caput* transversum, thorace multo latius, fuscum, ore rufo; fronte late excavata; *oculis* lateralibus, magnis, oblongis,

transversis, prominentibus. *Thorax* elongatus, triarticulatus, fuscus; *prothorace* obovato, subgibbo, lateribus in medio sinuato-impressis; *thorace medio* brevi, angustiori, subovato, antice angustato; *metathorace* duorum antecedentium articulorum magnitudine, ovato, gibbo, cui pedes quatuor posteriores inserti. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, laeve, atrum, nitidum; segmentis arcte contiguis; ano acuto. *Pedes antici* sterno antico (i. e. prothoraci) inserti, longitudine corporis; *coxae* conicae, elongatae, pallidae; *trochanteres* elongato-subclavati, incurvi, graciles, pallidi; *femora* incrassata, lanceolata, fusca, apice albida; *tibiae* graciles, pallide fuscae; *tarsorum* articuli duo anteriores elongati, incrassati, subcylindrici; extremi tenuissimi, albidi, inflectendi, inermes, ungue tenui terminati. *Pedes posteriores* tenues; *femoribus* basi incrassatis ibidemque et *geniculis* fuscis; *coxis trochanteribus*que solitae structurae, fuscis; *tibiis* et *tarsis* pallidis, *unguibus* nigris. *Alae* nullae, neque vestigia earum ulla.

V a r i e t a t e s:

β. *Isthmis* seu strangulis *thoracis* testaceis. *Fem.*

γ. *Prothorace*, praesertim dorso, rufescente; strangulo antico pallido.

Synon. *Dryinus lunatus Spin. in litt.*

Habitat Var. α. in *Smolandia Sueciae* (*Ljungh* l. c.). *Var. β.* die 6. Augusti a. 1808 a me capta prope *Sickershausen* in denso gramine ad lapidem. *Varietatem γ.* ex *Italia* ad me transmisit cl. *Spinola, Dryini lunati* Latr. nomine inscripto. *Mas* non innotuit.

2. Gonatopus *lunatus* Klug.

G. thorace trinodi, niger, antennarum basi, prothoracis dorso, abdominis fascia ad basin pedibusque rufis; alis nullis. *Fem.*

Synon. *Gonatopus lunatus Klug. in Web. et Mohr. Beytr. z. Naturgesch. II. p. 164. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 40. nota.*

Statura omnino praecedentis, sed distinctissima species. *Corpus* nigrum, nitidum. *Antennae* nigrae, *scapo* brevi rufo. *Thorax* niger, trinodis quidem, sed strangulis locisve constrictis crassioribus multoque validioribus; *prothorace* in dorso determinate rufo. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, laevissimum, atrum, nitidum; primo segmento fascia lunata rufa notata; ano acuto. *Pedes antici* ut in praecedente. *Femora* basi fusca. *Alae* nullae.

Habitat *Berolini* (*Klug*). *Feminam* vidi, a cl. Klugio ad me missam. *Mas* non declaratus.

Adnot. Quae *Latreilleus*, vir clarissimus, l. c. de *Dryini* specie *aptera*, a *Klugio* sibi tradita, refert, ex aliqua parte ad hanc, ex altera autem ad *Gonatopodis formicarii* varietatem *γ*. spectare videntur.

3. Gonatopus *mutillarius*.

G. thorace trinodi, rufus, antennarum apice, capite, abdomine femoribusque basi nigris; alis nullis. *Fem.*

Synon. *Mutilla formicaria Jur. Hymen. p.* 266. *tab.* 13.

Methoca ichneumonides Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII. p. 269.

Long. lin. $2\frac{1}{2}$. Statura omnino praecedentium, sed major. *Antennae* longitudine dimidii thoracis, tredecimarticulatae; *scapo* obconico, reliquis articulis crassiori; sed flagelli articulis parum longiore, rufo; *pedicello* brevi, obconico, rufo; *flagelli* articulis cylindricis, vel subobconicis; anterioribus paulo longioribus rufis. posterioribus sex vel septem sensim brevioribus, sed vix crassioribus nigris. *Caput* thorace latius nigrum; fronte inter oculos lata, excavata; vertice transversali, ocellis tribus in triangulum positis praedito. *Oculi* laterales, oblongi. *Os* rufum. *Thorax* elongatus, compressus, distincte triarticulatus, rufus, punctulatus, pubescens, strangulis cylindricis. *Prothorax* crassior, obovatus, convexus, reliquis articulis major et latior. *Thorax medius* et *metathorax* subovales, prothorace angustiores, inter se aequales, isthmo breviori sejuncti. *Abdomen* thoracis longitudine, sed latius, ovatum, acuminatum, convexum, laeve, atrum, nitidum, pubescens; petiolus brevis, tenuis, abrupte in limbum expansus. *Pedes* longi, singula paria singulis thoracis articulis inserta. *Coxae* conicae et *trochanteres* rufa; *femora* fusiformia, basi nigra, apice rufa, antica crassiora; *tibiae* subclavatae et *tarsi* rufa; tibiae *posticae* apice et *ungues* nigra. *Tarsi* antici elongati, apice albidi, inflectendi. *Alae* nullae.

Habitat in *Helvetia* (Jurine). Vidi unum exemplum femineum. *Mas* non occurrebat.

4. Gonatopus *pedestris* Dalm.

G. thorace binodi, ater, antennarum basi pedibusque testaceis. *Mas. Fem.*

Synon. *Gonatopus pedestris Dalm. in Act. Holm. a.* 1818. *I. p.* 86. *n.* 13. *Fem.*

Dryi-

Dryinus formicarius Dalm. Anal. ent. p. 14. *n.* 12. *Fem.* (*excl. Synon. Ljungh. in Web. et Mohr. Beitr.*) *Latr. Gen. Cr. et Ins. I. tab.* 12. *fig.* 6 *et IV. p.* 40. *Hist. nat. des Cr. et des Ins. XIII, p.* 228? *Mas?*

Long. lin. 2. *Antennae* capite cum thorace breviores, graciles, fusco-testaceae; *scapo pedicello*que brevibus crassioribus, flavescentibus; tertio articulo, seu primo *flagelli* octoarticulati, longitudine duorum praecedentium simul sumtorum, gracillimo, terminalibus paulo crassioribus. *Caput* thorace duplo fere latius, laeve, nigrum, nitidum, glabrum; limbo *oris mandibulis*que flavis; postice late et profunde emarginatum; fronte supera valde depressa; subtus crassiusculum, convexum, nigrum. *Oculi* laterales, magni, ovales, valde prominentes. *Thorax* perangustus, teretiusculus, bipartitus; *prothorax* ovato-subglobosus, compresso-emarginatus, postice in tuberculi speciem elevatus, subtruncatus, niger, nitidissimus. *Thorax medius* cum metathorace conflatus, teretiusculus, subdepressus, minus nitidus, apice opacus. *Scutellum* indistinctum. *Abdomen* longitudine thoracis, capite fere latius, nigrum nitidum. *Pedes* omnes pallide testacei; *femoribus* obclavatis, clava nigro-fusca; *coxis* posticorum concoloribus. *Tarsi* antici raptorii, ut in *Gonatopode formicario* formati. *Alarum* nulla vestigia.

? *Mas* alatus; *antennis* longitudine thoracis; *prothorace* subcylindrico, vel subconico, angusto, elongato, sed nullo strangulo discreto; *thorace* medio brevi; *scutello* distincto; *metathorace* ovato, convexo; *abdomine* obtuso; *pedibus* pallidis, *tarsis* anticis non raptoriis. *Alae* obscure hyalinae, nervorum decursu, qualis in charactere habituali expositus est.

Habitat in *Vestrogothia* rarius (Dalman l. c.) in *Gallia?* (Latreille). Vidi unum exemplum, sexus feminei.

Adnot. *Dryinus* ille *formicarius* Latr. a reliquis hujus generis nimis differt, ut vix ulli specie quadam veri attribui possit. Exemplum mutilum se primum vidisse et adumbrasse ipse Latreilleus l. c. fatetur, neque omnino constat, utrum ea exempla, quibus postea in corrigendo charactere generico usus est, ejusdem speciei, an alius cujusdam fuerint. Ob mensuram additam iconi *Gonatopodi pedestri* adsociavimus, nam, nisi ad magnitudinem respexeris, nihil obstat, quo minus et *Gonatopodis nigriventris* vel *thoracici* marem esse censeas.

5. Gonatopus *nigriventris.*

G. thorace binodi, niger, antennarum basi, hypostomate, prothorace pedibusque rufis, femoribus anticis basi fuscis; alis nullis. *Fem.*

Long. lin. 1⅛. Statura praecedentis, sed duplo fere minor. *Antennae* vix longitudine capitis cum thorace, crassiusculae, nigrae, *scapo* et *pedicello* brevibus, crassis, rufis. *Caput* thorace latius, nigrum, superne late excavatum, oculis lateralibus distantibus; regio *oris* cum *mandibulis* et *palpis* rufa. *Thorax* oblongus, in medio strangulo brevi crassoque disjunctus; pars anterior, seu *prothorax*, rufus; pars posterior, seu *metathorax*, cum *scutello* conflatus, niger. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, laeve, atrum, immaculatum. *Pedes* structurae omnino praecedentis, rufi, *coxis* et *trochanteribus* concoloribus, solis *femoribus* anticis, quae etiam crassiora sunt, basi fuscis. *Tarsi* antici elongati, raptorii. *Alae* nullae.

Cepi *feminam* unam hujus speciei in terra nuda nemoris prope *Sickershausen* die 8. Julii a. 1813. De *mare* nihil compertum est.

6. Gonatopus *erythrocephalus.*

G. thorace binodi, capite, antennarum basi pedibusque totis rufis; thorace medio vel toto ferrugineo, abdomine atro; alis nullis. *Fem.*

α. *Thorace* toto obscure ferrugineo.

Synon. *Methoca formicaria Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p.* 268. *Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 119.

β. *Thorace* nigro, isthmo macula rufa notato.

Long. lin. 1¼. Praecedente angustior et gracilior. *Antennae* longitudine capitis cum thorace, graciles, fuscae, *scapo pedicello*que rufis. *Caput* thorace duplo latius, crassum, excavatum, laeve, laete rufum, nitidum. *Thorax* strangulo medio in duas partes subaequales oblongas divisus, angustus, in varietate *α.* totus obscure ferrugineus, in varietate *β.* niger, regione stranguli macula indeterminata rufa tincta. *Abdomen* ovatum, nigrum, laeve, nitidum, longitudine thoracis. *Pedes*, cum *coxis*, pallide rufi, vel lutei, *tarsis* anticis raptoriis. *Alae* nullae.

Habitat in *Gallia* (Var. *α.*) fide *Latreillei.* Varietatem *β.* mense Octobre a. 1814 prope *Sickershausen* in terra sabulosa legi. *Mas* latet.

✝ 7. GONATOPUS *thoracicus.*

G. thorace binodi, niger, antennis basi, thorace, pedibusque rufis; alis nullis. *Fem.*

SYNON. *Methoca mutillaria Latr. Gen. Cr. et Ins. I. tab. 13. fig. 7.*

Methoca ichneumonides Var. Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 119.

Species mihi non nota, et forte praecedentis varietas, sed, quoad iconem, major, long. lin. 2, *abdomine* angustiori, oblongo, capitis vix longitudine, quae a Latreillio l. c. nigra vel nigro-fusca perhibentur, *thorace pedibusque* pallide rufis.

Habitat in *Gallia* (Latreille). *Mas* non innotuit.

GENUS III.

APHELOPUS Dalm.

ἀφελὴς, simplex, et ποῦς, pes, ob tarsos feminarum anticos simplices, nec raptorios.

Dryini Sect. 2. Aphelopus Dalm. Anal. entom. p. 8 et 14. Gonatopodis specc. Dalm. in Act. Holm. a. 1818. I. p. 82.

Antennae undecimarticulatae; scapo brevissimo, pedicello aequali; flagello apice (in femina) subincrassato. *Prothorax* subtransversus, antice rotundatus. *Tarsi* antici non raptorii. *Alae* areolis brachialibus nullis vel obsoletissimis.

Mandibulae tri- vel quadridentatae.

Character naturalis in partibus oris non accuratius disquisitus.

Habitus Dryini generis, sed characteribus pluribus iisque distinctissimis recedens. *Antennae* os versus insertae, articulis undecim compositae, breves, rectae; *scapo* brevissimo, crasso, nodiformi; *pedicello* scapi longitudine, at paulo tenuiore; reliquis articulis longioribus, tenuioribus, cylindricis, subaequalibus; terminalibus in femina brevioribus et paulo crassioribus. *Caput* latum; fronte convexa, reclinata. *Oculi* laterales, magni, ovati. *Ocelli* tres, vertici planiusculo impositi. *Prothorax* cum *thorace* latio-

res quam longiores. *Scutellum* parvum; parum distinctum. *Metathorax* declivis, brevis, obtusus. *Abdomen* brevissime petiolatum, ovatum vel oblongum, laeve, convexum, aculeo punctorio in femina armatum; segmentis aequalibus, transversalibus. *Pedes* longiusculi, *femoribus* fusiformibus neque obclavatis; *tarsis* anticis aequalibus, neque unguibus elongatis armatis, neque prehensilibus. *Alae* cuneiformes; nervo subcostali costae propinquo, paulo ultra mediam alam in stigma crassum abeunte; ramo radiali, e stigmate orto, areolam radialem parvam ovalem incompletam describente; nervis brachialibus vel nullis omnino, vel obsoletissimis. *Color* niger. Apterae species hucusque non inventae sunt.

Mares differunt a feminis: *antennarum flagello* longiori, articulis posterioribus non brevioribus, neque crassioribus, sed potius tenuioribus.

Reliqua, quae ad generis historiam spectant, latent.

1. Aphelopus *melaleucus.*

A. niger, capite antice pedibusque albis, antennis aequalibus. *Fem.?*

Synon. *Dryinus melaleucus Dalm. Anal. entom. p.* 14. *n.* 13.

Gonatopus melaleucus Dalm. in Act. Holm. a. 1818. *I. p.* 82. *n.* 6.

Long. lin. 1, vel paulo longior. *Antennae* capite cum thorace breviores, filiformes, nigrae, vel albae, brevissima pube inspersae, articulis omnibus, cum *scapo* et *pedicello*, subaequalibus, distinctis, brevibus, terminalibus paulo crassioribus. *Caput* thorace latius, magnum, laeve; antice niveum, *palpis mandibulis*que albis; postice et subtus nigrum, macula verticis magna, subtrigona, nigra. *Oculi* magni, nigri. *Thorax* niger. *Metathorax* concolor, convexus, declivis, subtiliter sed conferte punctatus areola media apicis laevi. *Pedes anteriores* cum *coxis* toti albi; *postici* nigricantes, *tarsis* solis albis, apice obscurioribus. *Alis* hyalinis, nervis stigmateque fuscis.

Varietas:

β. Niger, capite antice, antennis pedibusque omnibus albis. *Fem.*

Magnitudo et habitus omnino praecedentis, sed *antennae* albae, articulis tantum a tertio ad sextum fuscescentibus. *Caput* ut in illo, antice album, postice nigrum, maculaque etiam nigra trigona verticis coronatum. *Pedes* cum

coxis omnes albi, immaculati. *Alarum* nervi subcostalis et radialis albi, sed stigma nigro-fuscum.

Habitat in *Vestrogothia* rarior (*Dalman* l. c.), Varietatem *β* e *Smolandia* misit cl. *Boheman.* Eandem prope *Sickershausen* cepi.

Adnot. Quam varietatem *β* adfert Dalmanus, *feminam* existimo, illum autem, quem primo loco posuit, *marem.*

2. Aphelopus *atratus.*

A. niger, pedibus anterioribus pallidis; antennis apice attenuatis. *Mas.*

Synon. *Dryinus atratus Dalm. Anal. ent. p.* 15. *n.* 14.

Magnitudo fere et *habitus* praecedentis. *Antennae* longitudine capitis cum thorace, nigrae, immaculatae, mediae fronti juxta oculos insertae; *scapus* brevissimus, nodiformis; *pedicellus* magnitudine et forma scapi; articulus antennae quartus et quintus his paulo longiores, obconici; reliqui elongati, cylindrici, tenuiores. *Caput* transversum, nigrum, plerumque immaculatum, sublaeve, sed inter antennas in fronte subtuberculatum; *os* piceum; *palpi* albi. *Thorax* totus niger, laevis, glaber. *Scutellum* politum. *Metathorax* subtilissime exasperatus, apice areolatus. *Abdomen* breve, nigrum, nitidum. *Pedes anteriores* pallide flavescentes, *femoribus* anticis in medio, mediis totis piceis; *pedes postici* toti nigro-picei; *femora* omnia in medio paulo crassiora, nec vero obclavata. *Alae* hyalinae, nitidae, nervo subcostali stigmateque crasso fusco-piceis; nervorum brachialium vestigiis obsoletis, vix detegendis.

Varietas:

*β. Clypeo mandibulis*que albis. *Mas.*

Habitat in *Vestrogothia*, rarior (*Dalman* l. c.). Varietatem *β* in *Smolandia* cl. *Boheman* invenit. *Femina* non nota est.

Adnot. De specie a me non visa judicium suspendo. Cl. *Dalman Aphelopodem atratum Aphelopodis melaleuci* marem suspicatur; hujus autem utrumque sexum jam cognitum esse censeo, uti supra demonstravi.

GENUS IV.
OMALUS Jur.

Rectius Homalus scribendum, ab ὁμαλὸς, planus, aequus.

Omalus Jur. Hymen. p. 300. *n. XLIII. tab.* 5 *et* 13. *Gen.* 43. *Bethylus Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 40. *n. CCCCLXXII. Bethyli specc. Fabr. Ill. Spin. Ceraphron Panz. Krit. Rev. p.* 135. *Tiphiae specc. Panz. Faun. Germ.*

Antennae tredecimarticulatae; scapo elongato; flagelli articulis subaequalibus brevibus. *Prothorax* ovatus, rotundatus, prominens. *Metathorax* latus, truncatus. *Pedes* breves; femoribus crassis, tarsis anticis non raptoriis. *Alae* vel areolis brachialibus radialique distinctis, vel subenerves; vel abbreviatae, vel nullae.

Mandibulae interne magis minusve dentatae. *Palpi maxillares* elongati, sexarticulati; *labiales* tri- vel quadriarticulati.

Character naturalis.

Clypeus brevis, transversus, rotundatus. *Mandibulae* validae, basi hiatum relinquentes; aliis apice bifidae, dente supero acuto, interiori rotundato, aliis oblique truncatae, tri- vel quadridentatae, aliis subedentulae. *Mala* rotundata, integra. *Palpi maxillares* filiformes, sexarticulati, articulis duobus primis brevibus, mediis obconicis, extremo oblongo, paulo longiori. *Mentum* breve, corneum; *labium* membranaceum, dilatatum, integrum. *Palpi labiales* breves, quadriarticulati (secundum Latreilleum in quibusdam triarticulati), breves, filiformes; articulo primo breviori, reliquis subaequalibus, terminali acuto.

Antennae supra clypeum insertae, tredecimarticulatae, maribus quatuordecimarticulatae, fractae; *radicula* exserta, brevissima; *scapus* longitudine dimidiae vel tertiae partis flagelli, obconicus, flagello crassior; *pedicellus* obconicus; *flagellum* aequale, recurvum, articulis subaequalibus, brevibus, modo anterioribus subobconicis, posterioribus cylindraceis, modo anterioribus subglobosis brevioribus, terminalibus cylindricis longioribus, modo omnibus cylindricis, nec longitudine nec latitudine diversis.

Alae, ubi perfectae, corpus aequantes, oblongo-cuneiformes, pilosulae; *areolae brachiales* duae, obconicae, ad unam tertiam partem alae protensae, latitudine aequales, sed

exterior longior; *nervus subcostalis* a basi costae contiguus, tum arcu angusto stigma petens, in media alae costa situm, modo distinctum, modo lineare et vix discernendum; *ramus radialis*, e stigmate ortus, modice incurvus, *areolam radialem* oblongam, sed incompletam, circumscribit. Haec alarum completissima textura. In aliis alae subenerves stigmateque nullo praeditae, arearum brachialium incompletarum vestigia relinquunt; in aliis alae brevissimae, incompletae, nervoso-striatae, metathoraci incumbunt; aliis nullae omnino sunt alae.

Habitus. Caput thorace in plerisque latius, ex orbiculato subquadratum; fronte verticeque confluentibus, plano-convexis; hypostomate brevissimo, retuso; *mandibulis* prominentibus. *Oculi* parvi, laterales, immersi, orbiculati, paulo ultra antennarum originem inserti. Ocelli nulli. *Antennae* breves, thorace nunquam longiores. *Prothorax* magnus, longior quam latior, planiusculus, antice rotundatus, postice truncatus. *Pars media* thoracis brevissima, solo fere scutello constans semicirculari, obtuso, rotundato. *Metathorax* prothorace in plerisque longior, in alatis postice parum angustior, in hemipteris apterisque subrectangulus, basi scutellum amplectens, apice truncatus; dorsum ejus thoracis reliqui altitudine, vel laeve vel striolatum. *Abdomen* longitudine thoracis vel eodem longius, oblongum, convexum, laeve; segmentis aequalibus; primo basi in brevissimi petioli speciem contracto, sexto (in femina) paulo longiori, conico, septimo perbrevi, fere tubuloso. *Aculeus* punctorius feminae subulatus, prominulus, brevis. *Pedes* ratione corporis breves et validi; *coxae* conicae, breves, crassae; *femora* ovalia, compressa; *tibiae* breves, clavatae; *tarsi* graciles, apice attenuati, quinque-articulati, ungue crassiusculo, unguiculis geminis incurvis. *Alae*, ubi adsunt, modo hyalinae, modo infuscatae. *Color* corporis niger, vel rufus fuscusve.

Mares a feminis differunt: *antennis* longioribus, *scapo* breviori praeditis, apice in quibusdam attenuatis; *abdomine* breviori et obtuso. Num alati mares feminis apteris socientur, an secus, non liquet.

De *metamorphosi vita*que nihil traditum est, neque ipse quidquam expertus sum. Insectum perfectum aestate et autumno in nuda terra sub plantis humilibus deprehenditur, tardum, sed cautum, et ubi hostem sentit, cito se recondens. Alati quoque magis currunt, quam volant.

1. **Omalus** *fuscicornis* Jur.

O. alatus, niger, antennarum flagello, tibiis et tarsis testaceis. *Fem.*

Synon. *Omalus fuscicornis Jur. Hymen.* p. 301. *tab.* 13. *Gen.* 43.

Bethylus fuscicornis Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 41. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III.* p. 168.

Long. lin. $1^3/_4$ — 2. *Antennae* capite vix duplo longiores; *scapo* crasso, extrorsum curvo, obconico, nigro; *flagello* aequali, recurvo, fusco-testaceo, articulis inferioribus, cum *pedicello*, brevioribus, obconicis, exterioribus sensim longioribus et paulo crassioribus, cylindricis, magis discretis, extremo oblongo, acuto. *Corpus* totum atrum, laeve, nitidum. *Caput* thorace medio paulo latius, horizontale, orbiculato-quadratum; fronte convexa; *oculis* parvis, orbiculatis, nonnihil prominulis. *Mandibulae* piceae, bidentatae, interne dilatatae. *Prothorax* cylindraceo-conicus, antice subtruncatus angulis rotundatis, postice truncatus, laevis. *Thorax medius* brevis, transversalis, aequalis. *Scutellum* breve, semicirculare. *Metathorax* prothorace major, ovato-conicus, apice obtusus, in dorso striolatus. *Abdomen* longitudine et latitudine thoracis, oblongum, convexum, basi apiceque acutum, laeve, concolor. *Coxae* trochanteres, et *femora* fusiformia, nigra; *tibiae* et *tarsi* testacea. *Alae* cinerascenti-hyalinae, pubescentes; nervis stigmateque crassiusculo nigris; areolis brachialibus et radiali distinctis. *Tegulae* testaceae.

Habitat in *Helvetia* (*Jurine*); in *Liguria* rarus (Spinola). Septembre et Octobre mensibus prope *Sickershausen* passim occurrebat. *Mas* non declaratus.

2. **Omalus** *nigricornis.*

O. alatus, niger, tibiis tarsisque piceis. *Fem.*

Long. lin. $1^1/_4$ vix. Similis praecedenti, sed differt: *statura* duplo fere minore; *antennis* totis nigris, articulis terminalibus reliquos longitudine non excedentibus; *pedibus* obscurioribus, et *alarum* nervis minus conspicuis. Totum *corpus* laeve, atrum, nitidum; solae *tibiae* et *tarsi* e fusco rufa, *tibiae* apice paulo obscuriores. *Alae* albidae, nervis pallide fuscis, stigmate distincto, sed parvo.

Feminam unam prope *Sickershausen* in horto cepi, tempore non notato. *Mas* latet.

3. Omalus *formicarius* Jur.

O. alatus, niger, antennis medio, tibiis tarsisque pallidis, stigmate obsoleto. *Mas. Fem.*

Synon. *Omalus formicarius Jur. Hymen. p.* 301.
Ceraphron formicarius Panz. Faun. Germ. Fasc. XCVII. tab. 16. *Krit. Rev. p.* 135.
Bethylus formicarius Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p. 41.

Long. lin. $1\frac{1}{2}$. *Antennae* capite longiores; *scapo* obconico, recurvo, nigro; *pedicello* brevi, obconico, crassiusculo et *flagelli* articulis inferioribus luteis, terminalibus nigris, his omnibus obconicis, inferioribus autem paulo brevioribus et tenuioribus. *Caput* latitudine thoracis, horizontale, convexum, orbiculato-quadratum vel subpentagonum, laeve, atrum, opacum. *Oculi* parvi, immersi. *Mandibulae* pallidae, obsolete dentatae. *Thorax* totus ater, laevis; *prothorax* ovatus, antice rotundato-angustior; *metathorax* ex ovato-subquadratus, latus, truncatus, substriatus. *Scutellum* ovatum, obtusum, laeve. *Abdomen* longitudine et latitudine thoracis, ovatum, atrum, nitidum; primo segmento in petiolum satis manifestum coangustato; ano acuto, aculeo punctorio armato. *Pedes* breves; *coxae*, *trochanteres* et *femora* nigra, haec lanceolato-clavata; *tibiae* apice incrassatae et tarsi lutea, vel pallide testacea. *Alae* hyalinae, durae, iridis coloribus micantes; nervis subtilibus quidem, sed distinctis, fuscescentibus, areolam mediastinam angustissimam, areolas duas brachiales elongatas obconicas longitudine inaequales, et areolam radialem ovalem incompletam describentibus; stigmatis vestigiis vix ullis.

Variat femina:

β. *tibiis* posterioribus fuscis, apice testaceis.

Mas feminae Varietatis β simillimus. *Antennae* subsetaceae; *scapo* et *pedicello* subaequalibus, brevibus, crassioribus, valde contiguis; articulis quatuor sequentibus (anterioribus *flagelli*) obconicis longioribus, rufis, tum quinto flagelli, seu octavo totius antennae, subovato, obscuriori, reliquis globosis nigris. *Caput* orbiculato-obovatum, paulo angustius quam in femina, neque orbiculato-pentagonum. *Abdomen* brevius. *Pedes* nigri; *tibiae* anticae totae testaceae, posteriores apice testaceae basi fuscae; *tarsi* testacei. *Alae* ut in femina.

Habitat *Norimbergae*, in plantis humilibus, graminibus, etiam in variis fruticibus, v. c. Salice, Rosa, inter Aphides

(*Panzer*). Ego Augusto et Octobre mensibus prope *Sickershausen* in horti plantis et in terra minime rarum observavi.

Varietas β, quae fors propria species existimanda, Augusto mense in sylvis ad terram deprehensa est.

Adnot. Errat Jurineus, cum *Ceraphronem formicarium* Panz. *cenopteri* marem facit. Feminei enim generis est, quem cl. Panzerus delineandum curavit, modo abdomine vi quadam subdepresso, quo factum est, ut postrema segmenta, caeteris angustiora, breviori spatio promineant.

4. Omalus *cenopterus* Jur.

O. alatus, niger, antennis basi pedibusque fusco-testaceis; alis subenervibus, opacis. *Mas. Fem.*

Synon. *Omalus cenopterus Jur. Hymen. p.* 301. (*excl. mare*).

Ceraphron cenopterus Panz. Krit. Rev. p. 135.

Tiphia cenoptera Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXXI. tab. 14.

Bethylus cenopterus Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. XIII. p. 229. *Gen. Cr. et Ins. IV. p* 41. *Spin. Ins. Lig. Fasc. III. p.* 169.

Long. lin. 1. Statura omnino *Omali fuscicornis* Jur. (p. 392. n. 1), sed duplo minor. *Antennae* capite duplo fere longiores; *scapo* crasso, recurvo, obconico, testaceo vel fusco-testaceo; reliquis articulis subaequalibus, obconicis, tribus vel quatuor inferioribus paulo tenuioribus, piceis testaceisve, reliquis sensim parumper crassioribus, cylindricis, nigris. *Corpus* atrum, laeve, nitidum. *Caput* latitudine medii thoracis, horizontale, orbiculato-subquadratum, laeve, atrum; *oculis* parvis; *mandibulis* piceis, inermibus. *Prothorax* conicus, antice posticeque truncatus. *Thorax medius* transversalis, brevis. *Scutellum* semicirculare, parvum. *Metathorax* prothorace longior et latior, cylindraceo-conicus, truncatus, dorso striolatus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovato-oblongum, acutum, brevissime petiolatum, convexum, laeve; segmentis aequalibus. *Pedes* breves, *femoribus* crassis, *tibiis* apice incrassatis, toti, cum *coxis*, fusci, vel e fusco testacei. *Alae* longitudine corporis, texturae satis solidae, infuscatae, fere omnino enerves, solis uno alterove nervulo prope basin areolam brachialem, vel mediastinam (a nervo subcostali ad costam tendente delineatam), quasi inchoantibus; reliqua maximaque alae parte tota enervi, neque stigmate, neque ramuli stigmatici vestigiis instructa.

Mas differt a femina: *statura* minore; *antennis* longioribus, totis nigris; *pedibus* nigro-fuscis, *tibiis* anticis, *tarsis*que anterioribus piceis. Reliqua omnino ut in femina.

Variat femina:

*pedibus antennarum*que basi vel fuscis, vel e fusco magis minusve testaceis, tum alis modo totis fuscescentibus et opacis, modo e fusco subhyalinis, dilutioribus.

Habitat *Norimbergae*, ubi primus cl. *Sturm* invenit, *Panzerus* l. c. descripsit. In *Gallia Latreilleus*, in *Liguria Spinola* observavit. Prope *Sickershausen* ad terram nemorum et hortorum tam *mares* quam *feminas* ipse cepi Augusto, Septembre et Octobre mensibus.

5. Omalus *hemipterus* Jur.

O. alis brevissimis, ater, antennis, tibiis tarsisque pallidis. *Fem.*

Synon. *Omalus hemipterus Jur. Hymen. p.* 301.
Ceraphron hemipterus Panz. Krit. Rev. p. 135.
Bethylus hemipterus Fabr. Syst. Piez. p. 238. *n.* 6. *Latr. Gen. Cr. et Ins. IV. p.* 41.
Tiphia hemiptera Fabr. Ent. syst. suppl. p. 254. *n.* 1 — 2. *Panz. Faun. Germ. Fasc. LXXVII. tab.* 14.

Long. lin. 1½—1¾. *Antennae* capite paulo longiores, testaceae vel lutescentes; *scapo* longo, recurvo, obconico; *pedicello* obconico; reliquis articulis subaequalibus, brevibus, cylindricis, nec terminalibus crassioribus. Corpus nigrum vel atrum, nitidum, laeve. *Caput* thorace paulo latius, suborbiculatum, fere latius quam longius; *oculi* parvi; *mandibulae* piceae, subedentulae. *Prothorax* et *metathorax* subaequales, magni; *thoracis medii* loco fere solum scutellum breve, transversale, rotundatum; *prothorax* ovalis, antice rotundatus; *metathorax* subrectangulus, dorso planiusculus, obtusus, subtilissime punctulatus. *Abdomen* longitudine thoracis, ovatum, basi apiceque acutum, convexum, ad segmentorum margines praesertim pubescens. *Aculeus* brevissimus, prominulus. *Pedes* breves, validi, *femoribus* brevibus, clavatis, *tibiis* apice modice incrassatis; *coxae, trochanteres* et *femora* fusca; *tibiae* et *tarsi* lutescentes, vel testacei coloris. *Alarum* rudimenta brevissima, metathoraci incumbentia, neque eum excedentia, sed potius in plerisque metathorace breviora, spathulata, plana, albida, venis aliquot obliquis striata. Alarum posticarum vestigia non inveni.

Habitat *Halae Saxonum*, ubi b. *Hübnerus*, *Fabricio* teste, primus invenit. *Norimbergae* in pratis legit *Panzer*. Prope *Sickershausen* unum exemplum ad terram nemoris legi, autumno.

6. Omalus *fuscus*.

O. apterus, fuscus, antennis, thorace pedibusque rufopiceis. *Fem.*

Long. lin. $1^3/_4$. Statura linearis, Staphylini cujusdam. *Antennae* vix caput excedentes, piceo-rufae; *scapo* longitudine fere dimidii flagelli, crasso, recurvo, obconico; *pedicello* brevi, obconico; *flagello* recurvato, articulis contiguis, inferioribus subobconicis, reliquis cylindraceo-transversalibus, extremo obtuso. *Caput* thorace latius, paulo longius quam latius, horizontale, subquadratum angulis obtusis, convexiusculum, laevissimum, nitidissimum, fusco-nigrum; hypostoma brevissimum, retusum, inter antennas tuberculo instructum. *Oculi* parvi, orbiculati, immersi, nigri. *Mandibulae* validae, apice oblique truncatae, quadridenticulatae, piceae. *Ocelli* nulli. *Thorax* in universum linearis, capite angustior, sed duplo fere latior; *prothorax* subquadratus, caput versus rotundatus, convexus, laevissimus, piceo-rufus; loco *medii thoracis scutellum* semicirculare, linea recta a prothorace discretum, laeve, piceo-rufum; *metathorax* subquadratus, prothorace major, planiusculus, postice recta truncatus angulis prominulis, laevis, reliquo thorace paulo obscurior. *Abdomen* capite cum thorace dimidio longius, latius etiam, oblongum, convexum, laevissimum, nitidum, fuscum; basi in petiolum brevissimum contractum; segmentorum marginibus subsinuatis anoque acuto piceis. *Aculeus* brevis, prominulus. *Corpus subtus* pallidius, abdominis segmentis basi fuscis. *Pedes* breves, piceo-testacei; *femoribus* crassis, oblongis, posticis ovato-obclavatis, brevibus; *tibiis* apice paulo crassioribus; *tarsis* longis, pallidioribus, apice attenuatis, primo quintoque articulo longissimis; *ungues* parvi, fusci. *Alae* nullae omnino.

Vidi *feminam* unam hujus speciei in collectione cl. *Geyeri*, *Carlsruhae* lectam. *Mas* non notus est.

Adnot. *Omali* femina *aptera*, cujus cl. Jurine p. 301 praeclari operis meminit, an hujus loci?

Conferatur etiam *Sclerodermus domesticus* Klug.

7. Omalus *rufescens*.

O. apterus, rufescens, oculis abdominisque medio fuscis. *Fem.*

Long. lin. ½. Minimus hujus generis, quem equidem vidi, minutieque satis distinctus, sed quod ad corporis structuram adeo similis praecedenti, ut, praeter *mensuram* et *colorem*, vix invenias, quibus distinguatur. Totum *corpus* cum *antennis* et *pedibus* e piceo rufescens, laeve, nitidum. *Oculi* parvi, fusci. *Abdominis* segmenta media fusco-picea. *Antennae* vix caput excedentes. *Caput subquadratum. Thorax* linearis, capite paulo angustior; *prothorace* et *metathorace* aequalibus, subquadratis, hoc truncato. *Abdomen* oblongum. *Pedes* breves, validi; *femoribus* crassis, paulo obscurioribus. *Alae* omnino nullae.

Cepi unam hujus speciei *feminam* autumno a. 1809 in horto *Sickershusano* ad terram. *Mas* non innotuit.

Adnot. Genus *Meria* Latr. (Gen. Cr. et Ins. IV. p. 114. n. DXVIII). *Tachus* Jurin. et Spin. *Tiphiae* spec. Fabr., an his adsociandum? Habitus maxime convenit, sed alarum nervi, magis completi, areolas plures distinctioresque construunt. Certo certius, hoc genere intercedente, *Dryinei Mutillariis* arctissime connectuntur.

ADDENDA et EMENDANDA.

I. *Ad Volumen primum.*

P. 17. n. 2. Aphidius *brevicornis.*

Huic proximus, nisi idem:

2 b. Aphidius *obscurator* Bouché (Naturgesch. d. Ins. I. Berlin 1834. p. 162. n. 52).

A. ater, ore pedibusque piceis, petiolo abdominis piceo, terebra abdomine sextuplo breviore. Long. ½ lin.

♂ Feminae congruus, secundo segmento abdominis rufo.

Antennae 12-articulatae, extremo articulo subincrassato. *Alae* hyalinae, nervis stigmateque griseis. Articuli *pedum* pallidiores.

Larva oblonga, nuda, mollis, alba, succulenta, stigmatibus pallide luteis, long. ½ lin. Metamorphosis in Aphidibus Rosarum nonnihil tumentibus siccantibus et nigro colore obumbratis. *Bouché l. c.*

P. 18. n. 3. Aphidius *picipes* Var. *β.*

Synon. *Aphidius vulgaris Bouché. l. c. p.* 161. *n.* 50.

Larva oblonga, incurva, toruloso-marginata, dense granulata, citrea, capite subrotundo ore luteo; long. ¼ lin. (?) Metamorphosis, Augusto mense, in Aphidibus Brassicae tumentibus et colore subfusco tinctis. *Bouché l. c.*

P. 19. n. 5. Aphidius *Rosarum.*

Synon. *Aphidius xanthostoma Bouché. l. c. p.* 163. *n.* 53.

Larva similis Larvae *Aphidii obscuratoris*, long. lin. 1. In *Aphidibus Rosarum* tumefactis, post mortem lutescentibus. *Bouché l. c.*

P. 25. n. 14. Aphidius *exoletus.*

Larva forma larvae *Aphidii picipedis* Var. *β.*, differt colore pallidiore cuteque minus granulata.

Metamorphosis solitaria in *Aphidibus Rosarum*, quae denique ad volumen solito triplo majus tumentes, e griseo lutescunt. Pluribus per annum generationibus propagantur. Tempus evolutionis ab ovo ad imaginem quatuor hebdomades. *Bouché l. c. p.* 162. *n.* 51.

P. 35. n. 9. Perilitus *pallidus.*

Larva cylindrica, utrinque obtusa, alba, carnosa, granulata, toroso-marginata, incisuris profundis; caput parvum, subrotundum. Long. 2⅓ lin.

Metamorphosis solitaria in larva *Botyos sambucalis*, in cujus pupa tegmen sibi struit album chartaceum, long. 2½ lin. Imago Majo mense excluditur. *Bouché l. c. p.* 149. *n.* 26.

P. 37. n. 12. Perilitus *ictericus.*

Larva forma praecedentis, at crassior et muricata, long. 2½ lin.

Metamorphosis solitaria in larvis *Botyos farinalis.* Nectit folliculum intra larvae exuvias album chartaceum, 2½ lin. longum. Imago Majo mense prodit. *Bouché l. c. p.* 148. *n.* 25.

P. 40. n. 15. Perilitus *cinctellus.*

Larva, Periliti icterici larva minor laeviorque, in *Tortricis viridanae* larvis degit. Pupa intra folliculum oblongum laxe contextum niveum latet. *Bouché l. c. p.* 149. *n.* 27.

P. 41. n. 16. Perilitus *similator.*

Synon. *Bracon Cis Bouché l. c. p.* 149. *n.* 28.

Larva oblonga, rugosa, alba, capite subrotundo oris partibus nigro-fuscis, in *Cis Boleti* larvis metamorphosin subit. *Bouché l. c.*

P. 93. n. 54. Bracon *impostor.*

Synon. *Bracon denigrator Bouché l. c. p.* 148. *n.* 23?

Larva oblonga, mollis, carnosa, alba, nuda, subtilissime granulata; oris vestigiis fuscis; segmento anali parvo; long. lin. 4.

Metamorphosis in larva *Rhagionis indagatoris* et *inquisitoris* sub cortice pini. Versus hiemem folliculum struit ovalem fuscum, supra subtusque plano-depressum ibidemque, ubi hinc ligno inde cortici adhaeret, tenuem atque chartaceum, in ambitu autem acutum ac coriaceum. Imago proximo vere excluditur.

P. 163. n. 2. Microgaster *rugulosus.*

Synon. *Microgaster Anthomyiarum Bouché l. c. p.* 160. *n.* 47.

Fem. Terebra longitudine dimidii abdominis.

Larva subcylindrica, griseo-albida, scabra, glabra, long. lin. $1\frac{1}{2}$.

Solitaria degit in larva *Anthomyiae Ceparum* Bouch. Exeunte autumno sub terrae superficie in pupam transit albam fere nudam nec nisi lana rara laxe involutam.

P. 164. n. 5. Microgaster *rufipes.*

Synon. *Microgaster tuberculatus Bouch. l. c. p.* 159. *n.* 46.

Larva cylindrica, glabra, alba, granulata, ore fusco, degit in larvis *Tortricis laeviganae.* Pupa viridis intra folliculum album.

P. 168. lin. ult. loco „abdomine toto *rufo*" lege: abdomine toto *laevi.*

P. 169. post *Microgasterem tristem* inseras:

11. b. Microgaster *fossulatus* Bouché (Naturgeschichte der Ins. I. p. 161. n. 49).

M. ater, pedibus luteis, tarsis omnibus femoribus posterioribus tibiisque posticis fuscis, scutello laevi linea transversali fossularum profundarum discreto.

Similis est *Microgasteri dorsali* (*Ocellatae* Bouch.), sed differt egregie. *Mesothorax* porcatus. *Abdomen* laeve. *Alae* hyalinae, nervis stigmateque fuscis.

Larva anum versus magis tumet ac *M. dorsalis* larva; degit in larva *Papilionis Polychlori. Pupa* lutea.

P. 170. n. 13. Microgaster *dorsalis* Spin.

Synon. *Microgaster ocellatae Bouch. l. c. p.* 161. *n.* 48?

Antennis rufo-annulatis distinguitur; an species diversa?

Larva Microgasteris Anthomyiarum larvam refert, statura autem est graciliori; in lateribus quandoque processus carnosi prominent, formae variabilis. Gregaria in larvis *Sphingis Ocellatae* habitat. *Pupae* rufo-fuscae, sulcatae, lana parca alba contextae, sub larva matrice accumulantur.

P. 174. n. 19. Microgaster *reconditus.*

β. fuscicornis?

Syno-

Synon. *Microgaster Gastropachae Bouch.* (*Naturgesch. der Ins. I. p.* 157. *n.* 39).

Antennae fuscae. *Abdominis* segmenta duo anteriora margine laterali angusto rufo, dorso rugosa; primum lineis duabus elevatis calloque postico, secundum linea triangulari impressa; reliqua segmenta sericea, opaca. *Pedes* rufo-testacei ungue fusco.

Larva cylindrica, mollis, glabra, scabro, ore fusco, circulo punctorum nigrorum in quoque segmento thoracis, poris pallidis. Habitat gregaria in larvis *Gastropachae Neustriae*. *Pupa* pallide lutea.

An distincta species?

P. 175. post *Microgasterem reconditum.*

19. b. Microgaster *Vinulae* Bouché (l. c. p. 156. n. 38).

M. niger, antennis fusco-annulatis primo articulo basi luteo, pedibus rufo-testaceis ungue fusco, abdomine basi rufo-marginato, terebra abdomine sextuplo breviore.

Mas: Antennis longioribus.

Alarum nervi testacei. *Abdomen* sericeum; latera segmentorum secundi, tertii, quandoque et quarti, rufa; segmenta duo postica glabra et nitida.

Larva cylindrica, mollis, glabra, subtiliter granulata, lutescens, crassior quam praecedentis; os fuscum. Long. lin. 3/4. Junio mense in larva *Bombycis Vinulae* reperitur. Metamorphosin subitura sub larva glomeratim foliis glutine suo se affigit. Pupa pallide lutea.

Larvae, his parasitis laborantes, colore sunt sublurido diutiusque quam sanae in statu isto persistunt.

P. 176. ante n. 21. inseratur:

20. b. Microgaster *Blancardellae* Bouch. (l. c. p. 156. n. 37).

M. ater, pedibus testaceis tarsis fuscescentibus, abdomine laevi sericeo ventris lateribus rufis, terebra longitudine dimidii abdominis apice incrassata, nervis alarum stigmateque luteis.

Similis *Microgasteri glomerato*, sed differt *antennis* (terebraque) longioribus. *Metathorax* sublaevis.

Larva subcylindrica, postica versus paulo crassior, rugulosa, glabra, alba, stigmatibus luteis. Habitat gregaria in larvis *Elachistae Blancardellae*. *Pupa* pallide lutea.

P. 178. ante n. 24.

23. b. MICROGASTER *Stellatarum* Bouch. (l. c. p. 157. n. 41).

M. ater, palpis albidis, pedibus rufo-testaceis, unguibus omnium, posticorum femoribus tibiis tarsisque apice late nigricantibus, primo abdominis segmento lineis tribus elevatis, terebra . . ., nervis alarum fuscis, stigmate nigro.

Microgasteri glomerato similis.

Larva ut illa *M. glomerati*, degit in larva *Sphingis Stellatarum.*

23. c. MICROGASTER *picipes* Bouché (l. c. p. 158. n. 43).

M. ater, pedibus fuscis geniculis omnibus tibiisque anticis testaceis, abdominis plani lateribus fusco-marginatis primo segmento lineis duabus antrorsum divergentibus secundoque basi rugulosis, terebra . . .

Larva similis larvae *Microgasteris glomerati* sed *pupa* alba est. Solitaria degit in larva *Botyos forficalis.*

P. 178. n. 24. MICROGASTER *nigriventris.*

SYNON. *Microgaster Euphorbiae Bouch.* (*l. c. p.* 157. *n.* 40).

Larva similis larvae *Microgasteris glomerati*, sed paulo est crassior. Degit in larva *Sphingis Euphorbiae. Pupa* alba.

P. 179. n. 25. MICROGASTER *ruficornis.*

Femina: terebra longitudine dimidii abdominis, apice clavata.

SYNON. *Microgaster Ardeaepenellae Bouch. l. c. p.* 153. *n.* 34.

Atra. *Antennae* fuscae basi rufae, apice nigricantes, breviores illis *Microgasteris glomerati. Metathorax* longus, planus, obiter rugulosus. *Abdomen* planum, opacum, laeve; primum segmentum lineis duabus elevatis antrorsum divergentibus, secundum breve linea impressa semicirculari latera ventris testacea. *Pedes* lutei, tibiis posticis apice unguibusque fuscis. *Nervus marginalis alarum* basi albus.

Larva oblonga, alba, mollis, subtiliter muricata setulisque raris inspersa, long. lin. 1½.

Habitat solitaria in larvis *Tineae Ardeaepenellae. Pupa* alba.

P. 179. n. 26. Microgaster *glomeratus* Lin.

Synon. *Microgaster glomeratus Bouch. l. c. p.* 150. *n.* 29.

Larva elliptica, luteo-alba, subtilissime griseo-muricata, aculeolis verrucis impositis, setulisque raris inspersa; stigmatibus orbiculatis albidis; capite subrotundo ore fusco. Long. lin. 1½. Tracheae in segmentis posterioribus in fila multa longaque dividuntur.

Habitat gregaria in larvis *Pieridum Brassicae*, *Rapae*, *Daplidices* etc. Tempore metamorphoseos erucae et hae ad metamorphosin paratae e matrice prodeunt et in ejus superficie conglomeratae nectunt folliculos ellipticos obscure testaceos, extus filis rudibus contextos.

P. 180. ante n. 27. inseratur:

26. b. Microgaster *Liparidis* Bouch. (l. c. p. 152. n. 31).

M. ater, palpis pedibus lateribusque ventri luteis, unguibus coxisque posticis fuscis, Metathorace abdomineque sublaevibus, terebra abdomine quatruplo breviore, alis hyalinis nervis testaceis, stigmate piceo.

Microgasteri glomerato similis. Squamula alarum picea. *Alae* iridis coloribus ludentes. *Tarsi* postici toti fusci.

Larva Microgasteris glomerati larvae persimilis, at gracilior minusque muricata.

Habitat gregaria in larvis *Liparidis disparis*, similique modo metamorphosin subit. Folliculus albus, subtiliter contextus.

P. 181. n. 29. Microgaster *circumscriptus.*

Synon. *Microgaster femoralis Bouch. l. c. p.* 159. *n.* 44.

Habitat in larvis *Noctuae persicariae*. *Pupa* dilute lutea.

P. 182. n. 30. Microgaster *difficilis.*

β. Abdominis segmentis duobus anterioribus margine testaceis.

Synon. *Microgaster Cajae Bouch. l. c. p.* 151. *n.* 30.

Microgasteri glomerato similis est, at gracilior. *Metathorax* subtiliter rugulosus. *Abdomen* sericeum; segmenta tria anteriora marginata, duorum anticorum margine

laterali testaceo, dorso medio rugoso. Ultimum segmentum dorsale in femina rotundatum, ventrale magnum, carinatum. *Terebra* abdomine quatruplo brevior. *Pedes* testaceo; femora 4 posteriora fusco-obumbrata, ungues omnes nigro-fusci.

Larva subcylindrica, retrorsum paululum attenuata, subtiliter muricata, incisuris sat profundis; setae singulae, breves, truncatae in lateribus singuli segmenti. Long. lin. $1\frac{1}{2}$.

Habitat Junio mense in larvis *Euprepiae Cajae. Metamorphosis* ut in *Microgastere glomerato* vidimus supra erucam intra folliculos albos subtiliter textos.

Ibid. ante n. 31. inseratur:

30. b. MICROGASTER *Evonymellae* Bouch. (l. c. p. 158. n. 42).

M. niger, palpis pedibusque testaceis, metathorace abdomineque sublaevibus, terebra longitudine corporis.

Terebra longa bene distinguitur. *Mandibulae* nigrae. *Pedes* testacei unguibus omnium, tum posticorum tibiis tarsorumque articulis apice nigricantibus. *Alarum nervi* lutescentes; *stigma* nigro-fuscum.

Larva cylindrica, postica versus crassior, granulata, glabra, ore fusco. *Habitat* solitaria in larvis *Tineae Evonymellae. Pupa* alba.

P. 182. n. 32. MICROGASTER *emarginatus.*

SYNON. *Microgaster scapularis Bouch. l. c. p.* 159. *n.* 45.

Habitat in larvis *Geometrae* (Phalaenae) *psittacatae. Pupa* alba.

Scapulae in hac specie magis ac in reliquis prominent.

P. 184. n. 34. MICROGASTER *sericeus.*

SYNON. *Microgaster Juniperatae Bouch. l. c. p.* 154. *n.* 35.

Larva cylindrica, antrorsum aliquanto tenuior, torulosa, marginata, virescens, subtiliter fusco-irrorata, annulo setarum rigidarum in quoque segmento, et in latere intra margines tumidos verruca pellucida retractili. *Caput* parvum, subrotundum, ore fusco. Long. lin 1.

Habitat solitaria in larva *Phalaenae Juniperatae* (certo et aliarum). E media eruca egressa, mox ad Juniperi folia nectit folliculum, extrinsecus reticulatum rudemque, posteaque demum intra eum alterum tenuem. Imago vere exit.

P. 185. ante n. 35. inseratur:

34. b. MICROGASTER *Pieridis* Bouch. (l. c. p. 152. n. 32).

M. ater, palpis lateribusque ventris testaceis, pedibus nigro-fuscis, tibiis anticis totis posterioribus basi pallidioribus, abdominis segmentis duobus anterioribus porcatis, terebra abdomine sextuplo breviore, alarum nervis stigmateque pallide fuscis.

Persimilis *Microgasteri glomerato*, sed mandibulae nigrae sunt.

Larva similis est Larvae *Microgasteris glomerati*, sed crassior est et minus muricata. *Habitat* largo grege in larva *Pieridis Crataegi*. *Pupae* in larvae matricis superficie conseriatae, folliculis obscure testaceis sat subtiliter textis inclusae. *Bouché l. c.*

An Var. *Microgasteris sericeis β.*?

P. 186. ante n. 36. inseratur:

35. b. MICROGASTER *congestus*.

M. ater, pedibus nigro-fuscis, femorum anticorum apice tibiisque omnibus fusco-testaceis, abdominis primo segmento lineis duabus elevatis secundoque basi grosse rugosis, hoc leviter carinato, terebra abdomine octuplo breviore, alarum costa subtus pallida.

SYNON. Microgaster globatus Bouch. Naturgeschichte d. Ins. I. p. 155. *n.* 36 (*excl. syn.*).

Similis est *Microgasteri glomerato*. *Antennae* maris longiores, fuscae, apice rufae. *Metathorax* valde rugosus.

Larva Microgasteris glomerati larvae simillima, sed magis cylindrica, scabra, glabra, alba; ore fusco; incisuris obscurioribus. *Habitat* in larvis *Bombycum*, praesertim *Bombycis Lubricipedae* L., et gregaria quidem, centenis pluribusque in eadem larva.

Metamorphoseos tempore, quo fere semper et larva matrix metamorphosin molitur, erumpunt juxtaque et supra se invicem texunt folliculos, totum acervum filis insimul sericeis ita contegentes, ut *Eperiae Diadematis* nidum mentiantur. Utplurimum ejusmodi acervus culmis graminum aut herbarum, pedis dimidii spatio a terra, maximeque in pratis siccis, inhaeret. *Bouché l. c.*

An idem ac *Microgaster sessilis* Spin.?

P. 187. n. 39. MICROGASTER *lacteus.*

SYNON. *Microgaster Parasitellae Bouch. l. c. p.* 153. *n.* 33?

Descriptio Boucheana haec est:

Ater, antennis fuscis, pedibus obscure testaceis, tibiis posticis, coxis tarsisque fuscis, terebra longitudine abdominis.

Microgasteri glomerato similis est, sed facile distinguitur *terebra* feminae longa. *Antennae* fuscae. *Metathorax* subtiliter rugulosus. *Segmentum ventrale posterius* feminae magnum, album et pellucens. *Terebrae* vagina apice dilatata. *Pedes* obscure testacei; posticorum coxae, tibiarum apices et tarsi fusci, horum autem articuli basi pallidiores. *Alae* hyalinae, areolis cubitalibus binis. *Squamulae alarum* luteae.

Larva, *Microgasteris glomerati* larva gracilior, solitaria degit, quandoque et ternae quaternaeve sociatim, in *Tineae parasitellae* larvis. *Pupa* albida.

P. 191. n. 3. BLACUS *humilis.*

SYNON. *Bracon humilis Bouch. l. c. p.* 148. *n.* 24.

Larva torulosa, elliptica, glabra, mollis, alba, callosomarginata margine mobili variabilique. *Caput* subrotundum, ore fusco. Long. lin. 1½. Invenitur Septembre mense gregaria in larvis *Noctuae oleraceae.* Metamorphosin subeunt extra larvam matricem intra cavum ab illa in terra excavatum, paulo ante ejus metamorphosin erumpentes glomeratimque sibi cohaerentes. *Folliculus* chartaceus, pallide fuscus, ellipticus, 1½ lin. longus. Tempus quietis 6 menses.

P. 239. n. 1. ALYSIA *manducator.*

SYNON. *Bouché l. c. p.* 147. *n.* 22.

Larva oblonga, carnosa, alba, mollis, glabra, pellucens, formae variabilis. *Caput* subrotundum, oris partibus indistinctis. Segmenta dorsalia nonnihil elevata; segmentum anale paulo angustius. Long. lin. 2. *Habitat* in puppis *Anthomyiae dentipedis* Meig., *Muscae stabulantis* etc., in quibus folliculum sibi exstruit pertenuem flavescentem. Imago vere et aestate excluditur.

P. 246. n. 12. ALYSIA *ruficeps.*

SYNON. *Bouch. l. c. p.* 147. *n.* 21.

Larva ad amussim similis larvae *Alysiae manducatoris*, sed minor, long. lin. 1¼. Degit autumno et hieme in puppis *Piophilae Casei*, *Anthomyiae radicum* aliorumque Dipterorum. Reliqua ut in illa. Excluditur imago Aprili.

ADDENDA et EMENDANDA.

Ad Volumen secundum.

Dum haec inde ab anno 1829 imprimebantur, aliorum entomologiae studiosorum in lucem editae sunt circa hanc familiam observationes, quas tacito praeterire nefas, etiamsi plures rem levi tantum pede tetigisse videantur.

Inter eos autem, qui de his animalculis egerunt, eminet *Westwoodius*.

Plura hic condidit genera, in Ephemeridibus Londinensibus et Edinburgensibus (*London and Edinburgh Philosophical Magazine and Journal of Science. Third Series. Nr.* 11. *May p.* 443—445, *and No.* 17. *November p.* 342—344, 1833) exposita. Quorum pleraque nova videntur novisque speciebus instructa, alia cum aliis nostris congruentia; sed aliqua non nisi primis lineis adumbrata, ut appendicis loco addere ea satius duxerim, quam incautius miscere aut subjungere nostris.

P. 81. post

G E N U S VII.

E U P E L M U S.

Eidemque affinia.

A. M E S O P O L O B U S Westw.

Caput thorace latius. *Antennae* sensim clavatae, 13-articulatae, articulo tertio annuliformi, quarto majori. *Mandibulae* 3—4 dentatae. *Palpi* maxillares furcati. *Tibiae* intermediae fere usque ad apicem externum lobo parvo triangulari ciliato. *Thorax* elongato-ovatus. *Abdomen* parvum, angustum, depressum. Femina ignota.

1. MESOPOLOBUS *fasciiventris* Westw. (Phil. Journ. l. c. p. 443).

M. laete viridis, abdomine nigro chalybeo-cupreo viridique nitente, fascia fulva ante medium, antennis fulvis,

pedibus flavis, tarsis apice fuscis, tibiarum lobo nigro, alis hyalinis, apice areolae costalis ramoque stigmaticali fuscis. Long. lin. $^3/_4$. Coombe, May 1827. Birmingham, August 1827. Windsor, July 1830.

B. PLATYMESOPUS Westw.

Mesopolobo Westw. affinis. Differt praecipue *palpis maxillaribus* non furcatis, articulo secundo magno dilatato quartoque longissimo. *Tibiae* intermediae sensim fere ad apicem dilatatae, angulo externo apicali in fasciculum parvum terminato. *Tibiae* anticae etiam paulo dilatatae. *Abdomen* ovatum, depressum, thorace multo minus. *Antennarum* clava magna. Femina ignota.

1. Platymesopus *tibialis* Westw. (Philos. Mag. III. Ser. May 1833. p. 444).

Pl. viridis, abdomine nigro subcupreo nitente, antennis fulvis basi flavis apice fuscis, pedibus flavis, tarsorum apice fusco, femoribus tibiisque intermediis linea fusca, his etiam linea rubra, fasciculo apicali nigro, alarum nervis pallide fuscescentibus. Long. 1 lin.
Coombe Aprili, Majo 1827—1828.

Obs. Speciem? majorem a cl. *G. T. Rudd* accepi.

C. GASTRANCISTRUS Westw.

Caput transversum, thorace latius. *Antennae* mediocres, apice crassiores, 12-articulatae, articulis tertio et quarto annuliformibus quinto ad nonum cyathiformibus. *Abdomen* elongato-ovatum, depressum, apice corniculis duobus recurvis. *Terebra* exserta, abdominis dimidium longitudine fere aequans. *Alae* ramo stigmaticali longo clavato. *Tarsi* pentameri, omnes simplices, pulvillis magnis.

1. Gastrancistrus *vagans* Westw. l. c. p. 444.

G. Thorace purpureo, abdomine aeneo basi viridi, capite aeneo-nigro, pedibus piceis, genubus pallidioribus, antennis nigris. Long. $^1/_2$ lin.
Coombe Majo 1827.

Obser. Differt ab *Eupelmo tarsis* simplicibus, a *Callimomo* (Torymo) ramo stigmaticali elongato antennisque. *W. l. c.*

P. 189. post

GENUS XV.

EULOPHUM

inserenda sunt genera, *Eulopho* similia.

A. ELASMUS Westw. Vide infra.

B. COCCOPHAGUS Westw. Vide infra.

C. APROSTOCETUS Westw.

Eulopho affinis. *Caput* et *thorax* mediocria. *Antennae* octoarticulatae, articulis 2, 3, 4 et 5 longitudine aequalibus at sensim paulo crassioribus, articulis tribus ultimis clavam crassiorem formantibus. *Abdomen* elongatum, sessile thorace angustius et illo duplo longius, ad apicem sensim acuminatum. *Terebra* exserta. *Tarsi* tetrameri.

1. Aprostocetus *caudatus* Westw. (Phil. Mag. III. Ser. May 1833. p. 444).

A. nigro-aeneus, abdomine aeneo-nitido, antennis pedibusque piceis, tarsis genubusque pallidioribus, terebra longitudine $\frac{1}{3}$ abdominis. Long., computata terebra, $\frac{5}{6}$ lin.
Coombe, Majo 1827. *Westw. l. c.*

D. PTEROPTRIX Westw. *)

Corpus brevissimum, latum, depressum. *Caput* transversum, oculis magnis pilosis. *Antennae* 8-articulatae, articulis 2 et 3 aequalibus, quarto paulo minori, 5, 6, 7 multo majoribus, octavo minutissimo. *Thorax* fere quadratus. *Scutellum* magnum. *Alae* magnae, apice longe pilosae, nervo stigmaticali brevi angulum acutum formante. *Abdomen* sessile, brevissimum, apice mucronatum. *Tarsi* quadriarticulati.

1. Pteroptrix *dimidiatus* Westw. (l. c. Nov. p. 344).

Pt. piceo-niger, scutello albido, antennis flavis, articulo septimo obscuriori, alarum dimidio basali fusco, pedibus pallidis, femoribus tibiisque basi fuscis. Long. lin. $\frac{1}{4}$.
In quercu, Richmond Park, Aug. 1833. *Westw. l. c.*

E. TRICHOGRAMMA Westw.

Caput breve, thoracis latitudine et isti arcte applicatum. *Antennae* breves, sexarticulatae, articulo primo longo,

---

*) Rectius *Pterothrix* scribendum.

secundo brevi gracili, tertio quam secundo majori crassiori, quarto et quinto brevibus, sexto maximo oblongo-ovato acuminato. *Thorax* fere quadratus, postice rotundatus, abdomine longior, scutello magno. *Abdomen* breve, transversum, sessile, thoracis latitudine fere ad apicem. *Alae* anticae magnae, pilosae, ramo stigmaticali elongato, pilis in lineis circiter 12 longitudinales dispositis. *Pedes* simplices; *tarsi* (ut mihi videtur), triarticulati, pulvillis magnis. *Westw. l. c.*

1. Trichogramma *evanescens* Westw. (Phil. Mag. III. Ser. May 1833. p. 444.

Tr. fulvo-fuscescens, abdomine obscuriori, pedibus pallidioribus. Long. $^1/_7$ lin.

Chelsea, Jun. 1828. — Omnium Chalcididarum minutissimus. *Westw. l. c.*

Adnot. Conf. *Myina Atomos*, infra sub No. 4. (*Cynips Atomos Boy. de Fonsc.*)

P. 285. ex affinitate Generis *Callicerae?*

XXIX. b. STENOMESIUS Westw.

Caput lutiusculum. *Antennae* longiores, mari graciles, feminae subincrassatae, 9-articulatae, articulo secundo tertio dimidio breviori, clava triarticulata. *Thorax* antice attenuatus. *Abdomen* pedunculo brevi, mari parvum, spatuliforme, feminae majus, ovatum. *Alae* magnae. *Pedes* sat elongati, tibiis intermediis maris attenuatis, apice subclavatis.

1. Stenomesius *pulchellus* Westw. (Phil. Mag. l. c. Nov. 1833. p. 343).

St. capite nigro, antennis nigris basi subtus pallidis, collari et mesothorace fulvo-testaceis, parapteris nigris, metathorace nigro, abdomine nigro, basi macula magna fulva, pedibus fulvis, anticorum femoribus basi tibiisque apice fuscis, intermediorum tibiis apice tarsisque totis nigris, alis immaculatis. Long. lin. $^2/_3$. exp. al. $1^2/_3$.

Variat collari scutelloque plus minusve nigro-notatis.

Prope *Londinum* et *Cantabrigiam*. Mas.

2. Stenomesius *maculatus* Westw. (l. c.).

St. capite fulvo macula occipitali lineaque pone oculos nigris, antennis nigris articulo basali fulvo, thorace ut in praecedenti colorato, abdomine nigro basi fascia tenui

lineaque brevi fulvis, pedibus fulvis, tarsorum apice fusco, alis macula centrali fuscescenti. An ♀ praecedentis? Long. lin. 1. exp. alar. 1⅞.

Prope *Londinum*. *R. Lewis*. *Westw. l. c.*

Genera, *Codrineis* adscribenda.

P. 335. post *Diaprium*.

I. b. HEMISIUS Westw.

Caput thoracis fere magnitudine. *Antennae* tuberculo parvo antico impositae, longae, apice clavatae, articulis 11-discretis, tertio secundo minori, clava quadriarticulata. *Thorax* convexus, rotundatus. *Alae* thorace toto vix longiores, ramo stigmaticali elongato, clavato, in alae discum oblique descendente. *Abdomen* ovatum, subdepressum, segmento secundo maximo.

1. Hemisius *minutus* Westw. (Phil. Mag. May 1833. n. 11. p. 445).

Hem. niger, abdomine piceo-nigro, pedibus flavescentibus, antennis piceis basi pallidis. Long. ¼ lin.

P. 360. post *Codrum*.

V. b. STREBLOCERA Westw.

Caput antice bituberculatum. *Antennae* fere longitudine corporis, 16-articulatae, articulo primo longo (capite longiore), subtus dente valido armato, secundo brevi, apici prioris oblique inserto, tertio paulo majori, quarto etiam oblique inserto, hoc et reliquis filiformibus. *Collare* angustum. *Abdomen* subrhomboideum, pedunculo brevi. *Alae* anticae *stigmate* magno, *areola marginali* una brevi, areola submarginali prima cum discoidali effusa.

1. Streblocera *fulviceps* Westw. (l. c. Nov. 1833. n. 17. p. 342).

Str. piceo-nigra, nitida, capite fulvo, oculis ocellisque nigris, antennis fuscis articulis tribus basalibus fulvis, pedibus fuscis, femoribus fulvescentibus, alarum stigmate nervisque pallide fuscis. Long. lin. 1.

Coombe, Augusto 1833. *Westw. l. c.*

Adnot. An potius *Braconoideis* consociandum et hoc genus? Ob antennarum fabricam, Codrinorum quorundam subsimilem, huc retuli.

P. 364. post *Helorum.*

VII. b. BASALYS Westw.

Os haud rostratum. *Antennae* maris 14-articulatae, articulis secundo et tertio brevibus, quarto magno externe producto, reliquis subaequalibus tenuibus. *Alae* magnae nervis duobus subcostalibus tertiam alae partem accedentibus, nervo transverso, illorum apicem connectente, cum nervo ex illorum medio exeunte areolam triangularem formante; *stigmate* magno interne retro-producto, nervisque quibusdam longitudinalibus fere obliteratis.

1. Basalys *fumipennis* Westw. (l. c. p. 343).

B. niger, nitidus, pilis, longis ornatis, alis fuscescentibus, stigmate nervoque transverso nigris, nervis reliquis fuscis, apice femorum tibiarumque piceo, tibiis piceo-nigris. Long. lin. 1¼.

Prope *Londinum. R. Lewis. Westw. l. c.*

Adnot. An cum Heloro genere conjungendus?

P. 12. n. 1. Leucospis *grandis.* l. 7 inf. Adde:

Synon. *Boyer de Fonscolombe Monogr. Chalcid. Aqu. Sext. in Ann. des Sc. nat. Juill.* 1832. *p.* 273. *n.* 1.

P. 15. *n.* 6. Leucospis *dorsigera* Adde:

Synon. *Leucospis dispar Boy. de Fonsc. in Ann. des Sc. nat.* 1832. *Juill. p.* 275. *n.* 3.

P. 17. n. 7. Leucospis *ligustica.*

β. Prothoracis margine antico luteo ad latera interrupto, lineolis flavis obliquis ad alarum basin nullis, scutello subbidentato.

Synon. *Leucospis intermedia Spin.? Boy. de Fonsc. in Ann. des sc. nat.* 1832. *Juill. p.* 274. *n.* 2.

P. 22. n. 1. Chalcis *Sispes.* Adde:

Synon. *Boyer de Fonsc. in Ann. des sc. nat.* 1832. *Juill. p.* 275.

P. 23. n. 2. Chalcis *clavipes.*

Synon. *Boyer de Fonscol. l. c. p.* 276. *n.* 2.

P. 27. n. 6. Chalcis *flavipes.*

Synon. *Boyer de Fonscol. l. c. p.* 276. *n.* 3.

E. pupis Lepidopterorum.

P. 29. Chalcis *femorata* Var.

Synon. *Chalcis podagrica Boyer de Fonscol. l. c. p.* 277. *n.* 5.

P. 30. n. 9. CHALCIS *minuta* Dalm.
Synon. *Boyer de Fonscol. l. c. p.* 277. *n.* 4.

P. 31. n. 10. CHALCIS *Dargelasii* Latr.
Synon. *Chalcis nigripes Boyer de Fonscol. l. c. p.* 280. *n.* 10.

P. 32. n. 11. CHALCIS *armata* Panz.
Synon. *Chalcis bispinosa Boy. de Fonsc. l. c. p.* 279. *n.* 9.

P. 34. ante n. 13. CHALCIS *pectinicornem* inser.

12. b. CHALCIS *tenuicornis* Boy. de Fonsc. (l. c. p. 278. n. 6).

Ch. antennis, gracilibus longis simplicibus, scutello bidentato, nigra, femoribus posticis incrassatis serratis ferrugineis. Long. lin. 0,0065.

„Forma fere *Chalcidis minutae. Antennae* hypostomati infero insertae, magis exiles et longiores quam in caeteris, longitudinem thoracis aequantes; tota nigra, capite thoraceque scaberrimis, facie antica capitis argenteo subpubescente. *Scutellum* productum, denticulis duobus in medio sursum suberectis terminatum. *Metathorax* scaberrimus punctis excavatis lineisque elevatis, cristaque laterali utrinque bidentata. *Abdomen* laeve, nitidissimum, villis aliquot argenteo-griseis segmenta marginantibus. *Alae* disco lutescenti-submaculato, stigmate elongato crasso non furcato; tegulis fusco-rufescentibus. *Pedes* nigri; tarsis omnibus, anticorum femoribus (basi excepta) et geniculis, mediorum geniculis et femorum apicibus tantum, femoribus posticis totis rufis, denticulo versus apicem obtuso rotundato, basi altero acuto, intermediis minimis. Coxae posticae non elongatae, rufae; quatuor anticae nigrae.“ *B. de F. l. c.*
Ad *Aquas sextias.* Boy. de F.

Adnot. An femina *Chalcidis pectinicornis* Latr.?

12. c. CHALCIS *denticornis* B. de Fonsc.

Ch. antennarum scapo dentato, scutello bidentato, nigra, femoribus posticis incrassatis serrato-dentatis ferrugineis. Long. 0,006.

„*Antennae* versus os, paulo tamen superius insertae; scapo antice in dentem producto, longiusculae, totae nigrae. *Scutellum* postice productum, bidentatum. Atra, abdomine solo nitido, ad margines imprimis segmentorum

pubescente. *Femora* postica incrassata, rufa, basi nigra, ut in praecedente fere denticulata, denticulo supero acutiori. *Pedes* caeteri nigri, geniculis tarsisque rufescentibus. *Alarum* stigma crassiusculum, vix furcatum.“ *B. de Fonsc. l. c.*

Cum praecedente?

12. d. Chalcis *vicina* B. de F.

Ch. antennarum scapo inermi, scutello bidentato, nigra, femoribus posticis incrassatis serrato-dentatis ferrugineis. Long. 0,004.

„Praecedenti simillima, differt tantummodo *statura* paulo minore, *scutello* non producto vix bidentato, *femoribus* posticis totis rufis, *tarsis* pallidis, *scapo antennarum* inermi, *alis* macula ante stigma et apice fuscis.“ *B. de F. l. c.*

P. 34. ad calcem generis *Chalcidis* adde:

? 14. Chalcis *bimaculata* Fabr.

Ch. atra, abdomine conico acutissimo, alis albis maculis duabus nigris. Long. 0,0053.

„*Antennae* ad os insertae, fractae, longae, nigrae. Tota atra, *fronte* et *abdomine* subpubescentibus, *thorace capite*que punctatis. *Scutellum* productum bidentatum. *Abdomen* ovato-conicum, ano tubuliformi elongato acutissimo. *Alae* hyalinae, maculis duabus fuscis, una ante, altera post stigma; areola marginali fere perfecta, aperta tamen; *stigmate* fere Cynipedum vix pediculato, capitato, a margine oblique parum remoto; tegulis nigris. *Femora postica* magis ovata, quam globosa, latere interno subtiliter denticulato, dentibus seu angulis duobus versus apicem majoribus, subobtusis. *Pedes* nigri, tarsis rufescentibus.“ *B. de F. l. c.*

Habitat ad *Aquas sextias.* *B. de F.*

Adnot. An vera haec *Chalcis bimaculata* Fabr.? Fateor, melius huic, quam speciei, p. 85 sub Cleonymo descriptae, applicari posse verba Fabricii.

P. 39. Eurytoma *plumata* Ill.

Synon. *Eurytoma Serratulae Bouché, Naturgeschichte der Ins. I. p.* 166. *n.* 58.

Larva oblongo-cylindrica, alba, subtiliter undulata, incisuris profundis segmentis dorsalibus gibbosulis, capite subgloboso, long. lin. 1., habitat in larvis *Microgasteris*

Liparidis Bouch. et in iisdem metamorphosin subit. *Bouché l. c.*

P. 40. Eurytoma *Abrotani.*

Habitat in Gallis *Cyniphis Potentillae* mihi, Februario mense anni 1834, in horto botanico Vratislaviensi lectis. Exclusis primum inde a die 26. Martii Cyniphibus plurimis utriusque sexus, mox etiam *Eurytomae* multae prodiere. Differt haec species a sequente:

Statura paulo minore, corpore feminae coactiore, punctura *thoracis* subtiliore acumine *abdominis* breviore. In mare flagelli inferiores tantum articuli antrorsum sinuati sunt.

Adnot. Ad hanc speciem certo pertinet Synon. *Cynips aterrimus* Schrank, et gallam illam tuberosam plantae cujusdam incertae, cujus in describenda hac Euryptoma auctor meminit, Cyniphis Potentillae fuisse vix dubium est.

P. 41. ante n. 3. inseratur:

2. b. Eurytoma *Rosae.*

Eur. atra, antennis maris antrorsum sinuatis, tibiis anticis tarsisque omnibus geniculisque posticis in utroque sexu testaceis, alis hyalinis, acumine anali feminae conico valido. Long. maris $1\frac{1}{2}$-feminae $1\frac{3}{4}$ lin.

Differt ab *Eurytoma verticillata*, quacum olim confudi, tum *antennis* maris antrorsum sinuatis nec verticillatis, tum etiam *statura* majore et habitu. Propius autem accedere videtur *Eurytomae Abrotani*, cujus fortassis varietas. Differt imprimis *thorace* crassius punctato et *abdomine* feminae thorace longiore magis nitido, acumine longiori praedito, tum *tibiis* anticis feminae semper testaceis. Accedit propagatio diversa.

Habitat solitaria in gallis parvis globosis laevibus pisi magnitudine, primum pallidis, alterove latere roseis, demum lutescentibus, quae prima aestate in pagina inferiori foliorum *Rosae* centifoliae horti mei Vratislaviensis natae. ad unam omnes hanc *Eurytomam*, nullam autem usquam Cyniphem edidere, neque spolia larvae destructae, quotquot dissecui, monstravere, ut itaque mihi persuasum sit, gallas istas *ab ipsa Eurytoma matre* ictu plantae *esse genitas* ovuloque imposito impraegnatas.

Adnot. Ad hanc speciem referas *Feminam* illam, a cl. *Gravenhorst Brunsvici* in simili galla captam (p. 41).

P. 41. n. 3. Eurytoma *verticillata* Ill.

Synon. Eurytoma Abrotani Boyer de Fonscol. in Ann. des Sc. nat. 1832. *Juill. p.* 281. *n.* 1 (*saltem ex parte*).

Habitat in *Cyniphis Rosae* larvis.

P. 46. n. 1. Perilampus *auratus.*

Synon. Perilampus Chrysis? Latr. Boyer de Fonscol. in Ann. des Sc. nat. 1832. *Juill. p.* 301. *n.* 4.

Die 19. Sept. in floribus Peucedani Silai prope *Aquas sextias. Boyer l. c.*

P. 47. n. 2. Perilampus *violaceus* Dalm.

Synon. ♂. *Perilampus violaceus Boy. de Fonsc. l. c. p.* 300. *n.* 2.

♀. *Perilampus ruficornis id. l. c. n.* 3.

Perilampum violaceum in floribus ad *Aquas sextias,* Septembre, nusquam autem *ruficornem* se invenisse, refert cl. auctor.

P. 49. n. 4. Perilampus *splendidus* Dalm.

Synon. Perilampus italicus Boy. de Fonsc. l. c. p. 300. *n.* 1.

P. 56. n. 2. Torymus *Bedeguaris* Dalm.

Synon. Cynips Bedeguaris Boy. de Fonscol. l. c. p. 283. *n.* 2.

„E Bedeguare hirto Rosae, item e bedeguare spinosulo non hispido Rosae, etiam e galla globosa, dura Quercus Roboris, tinctoriae simillima, et ex alia lignosa dura rotunda sed parvula ejusdem arboris. *B. de F. l. c.*

„*Eurytomae* et *Cynipedes* (Diplolepides nob.) gallarum habitatores parasitici sive praedones, Diplolepidis (Cyniphis) larva, priore incola, devorata exclusi. Hinc idem Cynips (Diplolepis) e pluribus diversisque gallis obtinetur.“ *B. de F. l. c.*

P. 58. n. 4. inseratur:

3. b. Torymus *aurulentus.*

T. violaceo-coeruleus, thorace nitido aurulento, antennarum scapo, geniculis pedum tibiis anticis tarsisque omnibus flavis, terebra corpore paulo breviore. Long. 0,004.

Synon. Cynips purpurascens Boy. de Fonsc. l. c. p. 285. *n.* 6.

„Totus violaceo-coeruleus, nitidissimus. *Thorax* subtiliter punctatus, nitidus, dorso ejusdem et *abdominis* basi au-

aurulentis. *Pedes* coerulei, solis geniculis, tarsis, tibiisque anticis pallidis.

E gemmis Rhamni Alaterni, in modum gallae inflatis et Dipterum e familia Tipularum includentibus, Septembri exclusus. *Pupa* ovata, nuda, ano obtuso, dorso scabro, capite in mucronem bidentatum producto, alarum theca a corpore soluta.

Ad *Aquas sextias.* *B. de F. l. c.*

P. 58. n. 4. Torymus *Muscarum.*

Synon. *Cynips aurata Enc. meth. Boy. de Fonsc. l. c. p.* 284. *n.* 5.

E gallis fungosis Quercus Roboris. Boy. l. c.

P. 59. n. 5. Torymus *nigricornis.*

Synon. *Cynips cyanea Boy. de Fonsc. l. c. p.* 282. *n.* 13?

Varietas videtur nisi distincta species, *colore* differens viride-aeneo, *abdomine* coeruleo-aeneo, reliquis omnibus congruis.

„E gallis subconicis apice truncatis saepius aggregatis in nervis inferis foliorum Corni sanguineae nascentibus autumno, et cum foliis cadentibus. Larva *Muscae* s. *Dipteri* alius generis, quae gallam habitat a nobis visa, a Cynipede saepe consumitur, vere sequente ab ea exeunte.“ *B. de F. l. c.*

P. 60. n. 6. Torymus *caudatus.*

Synon. *Cynips affinis Boy. de Fonsc. l. c. p.* 283. *n.* 3.

E gallis subfungosis irregularibus brunneis magnis gemmarum quercus. *B. de F. l. c.*

P. 61. ante n. 7. inseratur:

? 6. b. Torymus *truncatus.*

T. coeruleus, nitens, antennis nigris scapo coeruleo, femorum apice tibiis tarsisque flavis, abdomine brevi postice truncato. Long. 0,004. *Mas.*

Synon. *Cynips truncata Boy. de Fonsc. l. c. p.* 287. *n.* 11.

„*Abdomen* lenticulare, sed postice insigniter truncatum. *Antennae* longae. Tota coerulea, nitens. *Femora*, exceptis apicibus, corpori concoloria. *Tarsorum* ungues fuscescentes. *Alae* hyalinae, stigmate majusculo quasi tridentato longe pediculato. — Mas videtur.“

Ad Aquas sextias. *B. de F. l. c.*

P. 61. n. 7. Torymus *difficilis.*

Synon. Cynips viridis Boy. de Fonsc. l. c. p. 284. *n.* 4.

P. 61. ante n. 8. inseratur:

7. b. Torymus *sapphyrinus.*

T. coeruleo-nitidus, antennis nigris geniculis tarsisque luteis, alis hyalinis, terebra longitudine corporis.

Synon. Cynips sapphyrina Boy. de Fonsc. l. c. p. 285. *n.* 7.

„Praecedentium forma. Colore a *Torymo aurulento* non diversus. *Antennae* totae nigrae. *Stigma* minutum, margini adhaerens, subsessile.

Augusto e ramis vel caule Eryngii campestris in modum gallae inflatis; e bedeguare spinosulo Rosae Eylanteriae; item e larvis." Haec cl. *Boyer de Fonscolombe.*

An Var. *Torymi nigricornis n.* 5?

P. 63. n. 11. Torymus *conjunctus.*

Synon. Cynips ventralis Boy. de Fonsc. l. c. p. 286. *n.* 10.

P. 65. n. 15. Torymus *Stigma.*

Synon. Cynips dorsalis Boy. de Fonsc. l. c. p. 282. *n.* 1.

„*Mas* differt *abdomine* depresso rotundo-ovato, *thoracis* lateribus magis viridibus, *coxarum* basi et parte *pectoris* illi contiguo usque ad sternum nigris, hinc pectore fere toto nigro, *femorum* posticorum linea externa nigra, *stigmate* minus distincte oculato, capituli basi nigriori apice pallidiori.

E galla irregulari, lobis umbelliformibus multidentatis, viscosa lignosa ramulorum Quercus Roboris; e gallis quoque multicornibus Quercus.

Mas *variat:* multo minor et coloribus a femina non diversis." *B. de F. l. c.*

P. 66. post n. 16. inseratur:

16. b. Torymus *fasciatus.*

T. niger, antennis pedibusque anterioribus, rufescentibus, abdomine nitido, terebra brevissima, alarum fascia fusca. Long. 0,0035.

Synon. Cynips fasciata Boy. de Fonsc. l. c. p. 288. *n.* 14.

„*Antennae* rufescentes. *Caput* et *thorax* punctata, ni-

gra, macula sub alarum origine rufa. Abdomen lenticulare (a latere compressulum), nigrum, nitidum; *terebra* vix exserta, *in mucronem producta. Pedes* 4 antici rufo-lutei, femorum basi nigra, postici nigri, juncturis omnibus tarsisque flavis. *Alae* hyalinae, fascia disci in medio deficiente, ad marginem nigra, deinde rufescente; stigmate pediculato capitato fere cum fascia confuso, ab ea postice vix distincte separato.

Sub hoc nomine missa a D. *de Brebisson*, Falesiano, entomologo peritissimo; in Galloprovincia etiam saepe occurrit.“ *B. de F. l. c.*

Adnot. An *Siphonurae* generis?

P. 66. l. b. inf. *Torymi Pachymeri.*

Adde. *Monodontomeri* Westw. et *Callimomi* Spin. spec.

P. 68. n. 19. Torymus *obsoletus.*

Synon. Monodontomerus obscurus. Westw. in Edinb. Philos. Magaz. III. Ser. n. 11. *May* 1833. *n.* 443.

Cynips punctata? Enc. meth. Boy. de Fonsc. l. c. p. 286. *n.* 8.

Cynips aenea Boy. de Fonsc. l. c. n. 9. *an Var. fem.?*

„E pupis Lepidopterorum apiariarumque nidis; nidum Apiariae cujusdam caementariae aculeo perforans deprehensus.“ *B. de F. l. c.*

P. 69. *n.* 21. Torymus *ater.*

Synon. Cynips Stigma Boy. de Fonsc. l. c. p. 289. *n.* 15. (*excl. Syn. Dipl. fuliginosae Sp.*).

Color nigro-aeneus. *Terebra* longitudine corporis. *Pedes* fusci. *Alae* fuscescentes, macula marginali nigra magna maculaque altera disci minima, basi paulo propiori; *stigmate* cum macula marginali confuso.

Mas abdomine supra convexo subtus concavo, lateribus non compressis, ano non mucronato, alarum puncto altero minore non aut minus distincto.

Ex utroque bedeguare Rosae Eylanteriae gregalis. *Boy. de Fonsc. l. c.*

P. 73. *Eupelmi* characteribus adde:

Mandibulae subtrigonae, apice bidentatae. *Labrum* semicirculare, ciliatum. *Maxillae* oblongae, processu interiori (mala) oblongo. *Palpi maxillares* quinquearticu-

lati, articulo primo parvo, 2, 3, 4, extrorsum dilatatis, extremo cylindrico. *Labium* parvum, oblongum. *Palpi* labiales breves, triarticulati. *Bouché Naturgesch. der Ins. I. p.* 176. *t.* 7. *f.* 36—40.

P. 74. ante *Eupelmum urozonum* inseratur:

1. b. Eupelmus *Syrphii.*

E. niger, palpis tibiisque rufis, terebra longitudine dimidii abdominis concolore, alis perfectis hyalinis. Long. lin. 1.

Synon. *Ceraphron Syrphii Bouché l. c. p.* 175. *n.* 71. *t.* 7. *f.* 41. (*pes.*)

Mas. Niger, opacus, sub lente pubescens. *Scapus antennarum* basi rufescens.

Thoracis margo anticus lineis quinque insculptis, quarum laterales longiores. *Metathorax* costis duabus, areis tribus, quarum laterales stigmate singulo annulo elevato cincto instructae. *Abdomen* laeve, nitidum; segmentum primum in margine crenulatum.

Femina. *Abdominis* segmentum ventrale extremum compressum, prominens. *Terebra* abdominis dimidii longitudine, concolor.

Pedes nigri, trochanteribus, genubus tibiisque anterioribus luteis (rufis?); ungues nigricantes; scopa articuli primi tarsorum distincta. *Alae* hyalinae, fasciis angustis iridescentes; nervis albis; stigma nigrum.

Larva oblonga, alba, mollis, rugosa, subtiliter granulata, capite subrotundo, oris rudimentis fuscescentibus. Long. lin. 1. *Habitat* auctumno et hieme in pupis *Syrphorum Ribesii* et *balteati.* Majo mense imago excluditur. *Bouché l. c.*

P. 80. n. 7. Eupelmus *rufescens.*

Adde: Typus novi Generis Westwoodio.

VII. b. ECTROMA Westw.

Caput crassum mandibulis tridentatis. *Antennae* inter partem inferiorum oculorum insertae, sensim incrassatae, novemarticulatae, articulo secundo tertio majori, nono octavo haud majori. *Thorax* oblongo-quadratus, collari attenuato. *Alae* rudimentales.

1. Ectroma *rufescens.*

Synon. *Eupelmus rufescens Dalm. l. c. Fem.*
Ectroma fulvescens Westw. in Phil. Mag Ser. III. N. 17. 1833. *Nov. p.* 344. *Mas.*

*Mas capite thorace*que pallide fulvis, aeneo submicantibus, *abdomine* obscure testaceo-metallico, *oculis* et *antennis* nigris, his corporis fere longitudine, basi subtus articulique terminalis apice pallidis, *pedibus* fulvis, tarsorum apice nigro. Long. lin. ⅔.

Coombe, Augusto 1833. *Westw. l. c.*

P. 82. n. 1. SIPHONURA *variolosa.*

SYNON. Cynips diffinis Boy. de Fonsc. l. c. p. 287. *n.* 12? *An* ♂. *hujus speciei?*

P. 83. n. 2. SIPHONURA *brevicauda.*

SYNON. Cynips tubulosa Boy. de Fonsc. l. c. p. 290. *n.* 18.

E Galla *Cyniphis Potentillae* (vide supra p. 415. cum *Eurytoma Abrotani*, at serius (die 17. Maji); ego. — E gallis lignosis duris corniformibus (sc. e corniculis pluribus conflatis), Quercus Roboris. *Boy. de Fonsc. l. c.*

P. 86. n. 2. CLEONYMUS *quadrum.*

SYNON. Cynips quadrum Boy. de Fonsc. l. c. p. 293. *n.* 24.

E larvis *Hylesini oleiperdae* in ligno olei habitantibus. *Boy. de Fonsc. l. c.*

P. 88. post n. 5. *Cleonymum depressum* adde:

? 5. b. CLEONYMUS *hemipterus Boy. de Fonsc. l. c. p.* 298. *n.* 1.

Cl. nigro-aeneus, abdomine nigro nitido, alis abbreviatis truncatis. Long. 0,0035.

„Elongatus. *Antennae* fractae, nigrae, flagello longo. *Caput* nigro-aeneum. *Thorax* antice in collum attenuatus, nigro-aeneus. *Metathorax* elevatus, postice abrupte truncatus. *Abdomen* elongatum, lanceolatum, supra subdepressum, infra trigono-carinatum, nigrum, nitidum; ano subtruncato, aculeo parum exserto brevi, crassiusculo. *Alae* brevissimae (thorace breviores), apice late truncatae, nervo nullove stigmate conspicuo, margine postico fuscescente. *Coxae*, *femorum* apices, *tibiae* (medio excepto) *tarsorum*que articuli primi albidi; femora, tibiarum medium tarsorumque apices fusca aut nigra.

In agris cursitans ad *S. Zachariae* pagum semel captus.“ *B. de F. l. c.*

Adnot. Conferas cum *Eupelmo atropurpureo* p. 78. n. 5. Sane *Eupelmis* potius quam *Cleonymis* consociandus est.

P. 88. n. 6. *Cleonymus elegans.* Adde:

Genus proprium, *Encyrtum* (pedibus) cum *Eupelmo* (alis) conjungens, a cl. *Westwood* sic descriptum.

IX. b. CHEILONEURUS Westw.

Caput sat magnum. *Mandibulae* tridentatae. *Antennae* prope os insertae, fere thoracis longitudine, versus apicem subclavatae, 11-articulatae; articulo secundo tertio majore. *Thorax* oblongo-quadratus, collari antice attenuato; *scutello* postice fasciculato. *Abdomen* ovatum, depressum, postice acuminatum. *Alae* anticae nervo stigmaticali brevissimo a loco conjunctionis nervi subcostalis cum costa paulo remoto. *Pedes* ut in *Encyrto.*

1. Cheiloneurus *elegans* Westw.

in Philos. Journ. III. Ser. 17. Nov. 1833. p. 343. *Encyrtus* et *Eupelmus elegans* Dalm. *Cleonymus elegans* quondam nobis l. c.

Richmond Park, Augusto 1833. *Westw.*

P. 95. n. 3. Pteromalus *Larvarum.*

Synon. *Diplolepis Braconidis Bouché. Naturgeschichte der Ins. I. p.* 171. *n.* 65.

Larva fusiformis, laevis, alba, mollis, stigmatibus pallide luteis, capite subrotundo, mandibulis subfuscis. Long. lin 1½. In larvis *Braconis* (Rogae) *linearis. Bouché l. c.*

P. 96. ante n. 8. inseratur:

7. b. Pteromalus *niger.*

Pt. niger, antennis femoribusque fuscis, tibiis tarsisque piceis, abdomine lanceolato, alis hyalinis. Long. 0,003.

Synon. *Cynips nigra Boy. de Fonsc. l. c. p.* 293. *n.* 23.

„Differt a praecedentibus (*Pteromalis Salicis variante, puparum* cet.) colore nigro, abdomine nitido tamen, magis quam in *Pteromalis puparum* et *Salicis* elongato. *Scapus* antennarum fuscus. *Pedes* picei, femoribus apice excepto, fuscis.

Ad *Aquas sextias.*" *Boy. de Fonsc. l. c.*

P. 99. n. 11. Pteromalus *dubius.*

Synon. *Cynips acuta var. B. Boy. de Fonsc. l. c. p.* 292.

ib. n. 12. Pteromalus *tibialis.*

Synon. Cynips acuta var. C. Boy. de Fonsc. l. c.

P. 101. n. 14. Pteromalus *Seniculus.*

Synon. Diplolepis curculionoides Bouché l. c. p. 169. *n.* 62?

Larva fusiformis, flava, carnosa, laevis et nitida, linea utrinque spinularum praedita. Caput minutum, hemisphaericum, antennis minutis conicis, ore calloso. Segmentum anale spinis quatuor parvis armatum. Long. lin. 1½.

Habitat solitaria in larvis *Gymnaetri Villosali* Gyllenh. *Bouch. l. c.*

P. 101. n. 15. Pteromalus *varians.*

Synon. Cynips acuta Var. A. Boy. de Fonsc. l. c.

P. 102. ante n. 16.

15. b. Pteromalus *fungosus.*

Pt. viridi-auratus, antennis fuscis, tibiis flavis, abdomine ovato-conico aeneo, capite thorace angustiore, puncto marginali ante stigma alarum. Long. 0,0035.

Synon. Cynips fungosa Enc. méth. Boy. de Fonsc. l. c. p. 291. *n.* 20.

„Forma *Pteromali puparum.* Differt capite minus lato et imprimis puncto alarum satis distincto e nervis anastomosantibus formato, ante medium alae, tum vero et stigmate ordinario pone medium. *Caput thorax*que viridi-aurata; *abdomen* in maribus ovatum, in feminis acutum, longius quam in *Pteromalo puparum*, aeneum. *Pedes* flavi, femoribus aeneo-fuscis.

E gallis aggregatis fungosis gemmarum Quercus Roboris.“ *Boy. de Fonsc. l. c.*

P. 103. ante n. 18. inseratur:

17. b. Pteromalus *Microgasteris.*

Pt. aeneo-viridis, antennis fuscis scapo pedibusque testaceis, abdomine ovato-oblongo, maris plaga pallida, alis hyalinis.

Synon. Diplolepis Microgastri Bouché l. c. p. 168. *n.* 61.

„♂. *Caput* aeneo-viride grosse et dense punctatum; oculis fuscis. *Antennae* quatuordecimarticulatae, fusco-testaceae, pilis clavatis subappressis dense sericeis; pedicello fusco. *Thorax* punctato-rugosus. *Pro-* et *Metatho-*

rax chalybeo-micantes. *Alae* hyalinae, micantes. Pedes fusco-testacei. *Abdomen* aeneo-virens, chalybeo-infuscatum, macula media communis segmentorum secundi et tertii testaceo-pellucida.

♀. Mari similis. *Antennae* tredecimarticulatae, nigro-fuscae, basi scapi testacea. Totum corpus aeneo-virens, concolor, punctatum. *Abdomen* laeve et interdum subauratum.

Larva oblonga, postice attenuata, alba, nitida, laevis, glabra, subtiliter rugulosa. *Caput* subrotundum *antennis* exiguis conicis. *Os* ut in *Pteromalo puparum.* Long. lin. ³/₄.

Habitat gregaria (3 — 4) in pupis *Microgasteris glomerati.* Folliculi, his parasitis foeti, sanis pallidiores sunt. Aprili mense excluduntur imagines.“ *Bouché l. c.*

P. 105. n. 20. Pteromalus *Salicis.*

Synon. *Cynips Capreae Boy. de Fonsc. l. c. p.* 293. *n.* 22.

E gallis Salicis amygdalinae foliorum, larvam Tenthredinis vulgo includentibus. *B. de F. l. c.*

P. 107. n. 21. Pteromalus *puparum.*

Synon. *Bouché l. c. p.* 167. *n.* 60.

Cynips puparum Boy. de Fonsc. l. c. p. 291. *n.* 19.

„Larva fusiformis, laevis nitidaque, glabra, carnosa, sordide alba, in juventute virescens. Caput subrotundum, ore leniter excavato, mandibulis immersis fuscescentibus. Anus acutus. Stigmata alba, ramis lateralibus brevibus trachearum principalium, ut apud Ichneumonides, imposita. *Pupa* oblonga, sordide alba, laevissima, vaginis membrorum pellucidissimis liberis. Caput thorace paulo latius; oculis ocellisque pallidis. Thorax ovatus, inaequalis, linea dorsali pallida super abdomen procurrente. Abdomen ovatum, obsolete marginatum, segmentorum margine postico pallide fusco. Long. lin. 1¹/₂. *Bouché l. c.*

Adnot. *Varietatis*, pedibus rufis, femoribus fusco-aeneis apice rufescentibus, e bedeguare spinosulo Rosae meminit cl. *Boyer de Fonscolombe.*

P. 112. ante n. 25. inseras:

24. b. Pteromalus *rotundatus.*

Pt. nigro-subaeneus, antennis pedibusque nigro-fuscis, abdomine ovato-rotundato depresso, alis hyalinis. Long. 0,0023.

Synon. Cynips rotundata Boy. de Fonsc. l. c. p. 294. *n.* 26.

„Totus nigro-subaeneus, *capite thorace*que punctato-scabris. *Abdomen* subtus subcarinatum, nitens. *Alae* hyalinae, subgrisescentes, stigmate parvo brevius pediculato.“

E galla cylindrica ramorum Quercus cocciferae, ad *Aquas sextias*. Mas videtur. *B. de F. l. c.*

P. 114. ante n. 28. inseratur:

27. b. Pteromalus ? *Gemmarum.*

Pt. nigro-cyaneus, antennis pedibusque nigris, tarsis albis. Long. 0,0015.

Synon. Cynips ? Gemmarum Boy. de Fonsc. l. c. p. 296. *n.* 29.

„Forma *Pteromali variantis* et *Salicis*, mucrone anali minore; *capite* magno transverso, *antennis* non aut vix fractis sed thoracis saltem longitudine, articulis vix distinctis, nigris. Nigro-cyanea, subaenea. *Pedes* nigri, tarsis albis. *Alarum* stigma brevius pediculatum. Sic *femina.*

Mas multo minor, abdomine rotundo non acuminato, depresso, pedibus luteis.

Ex ovis *Lepidopterorum.*

Varietas nigra nitida potius quam cyanea; e calycibus florum *Verbasci nigri* inflatis et abortivis.“ *B. de F. l. c.*

Species suspecta, vix hujus generis, caeterum cum *Pteromalo tarsato* comparanda. Varietas nigra distincta videtur species, cui conferas *Pteromalum Aphidium* hic sequentem.

P. 115. ante n. 29. inseratur:

28. b. Pteromalus *Aphidis.*

Pt. obscure viridis, antennis piceis apice subclavatis, tibiis tarsisque luteis unguibus fuscis, abdomine ovato-subrotundo laevi, alis hyalinis. Long. lin. ²/₃.

Synon. Diplolepis Aphidis Bouch. l. c. p. 170. *n.* 64.

„*Oculi* fusci. *Alae* iridis coloribus micantes. *Scutellum* oblongum, prominens. *Abdomen maris* suborbiculare, planum, *feminae* magis ovatum, convexiusculum. *Pedes feminae* obscure fusci.

Larva oblonga, alba, rugosa, capite parvo subrotundo, antennis exilibus conicis. Long. lin. ³/₄.

Habitat in *Aphidibus graminis.*“ (*Bouché l. c.*)

P. 120. ante n. 38. inseratur:

? 37. b. Pteromalus *bifasciatus.*

Pt. nigro-aeneus, antennarum scapo geniculisque lutescentibus, abdomine rotundato depresso, alarum fasciis duabus integris.

Synon. *Cynips bifasciata Boy. de Fonsc. l. c. p.* 294. *n.* 25.

„*Antennae* fractae, capitis cum thorace conjuncti longitudine, apice crassiore et acuto, fuscae, scapo luteo. *Abdomen* breve. *Pedes* nigro-aenei, geniculis lutescentibus. *Alae* fasciis duabus fuscis, ante et post mediam partem alae, transversis, marginem internum attingentibus, secunda stigma breviter pediculatum includente.

Ex ovo lepidopteri, Julio; in herbis volitans Augusto." *Boy. de Fonsc. l. c.*

Adnot. *Encyrti* generis esse videtur.

P. 121. ad calcem Pteromalinorum, inserantur:

? 39. Pteromalus *Quercus ramuli?*

Pt. ferrugineus, abdomine lanceolato nigro, fasciis duabus anoque ferrugineis. Long. 0,0025 — 0,0015.

Synon. *Cynips Quercus ramuli ? Boy. de Fonsc. l. c. p.* 296. *n.* 30. (*excl. syn. Fabr.*)

„Ferruginea, oculis antennis stemmatibusque nigris. *Antennae* submoniliformes, articulis distinctis, maris longis subciliatis. *Abdomen* lanceolatum, trigonum, nigrum, fasciis duabus versus et post basin anoque ferrugineis.

In maribus *pectus* nigrum fasciaque abdominis singula ferruginea. *Alarum* stigma ut in plerisque.

E calycibus gemmisve inflatis Verbasci nigri, cum *Pteromalo gemmarum* (n. 27. b.).

Ob abdominis formam *Cynips* (Pteromalus) nec *Eurytoma.*" *B. de F. l. c.*

? 40. Pteromalus *Chermis.*

Pt. rufus, abdomine fusco, antennis albo-annulatis, pedibus albidis. Long. 0,001.

Synon. *Cynips Chermis Boy. de Fonsc. l. c. p.* 297. *n.* 31.

Garidelli. Hist. des pl. des env. d'Aix p. 251. *t.* 54. *f.* 9.?

„*Caput*, *pectus*, *pedes* albida, *oculis stemmatibus*que nigris. *Antennarum scapus* nigerrimus, *flagello* fusco al-

bidoque annulato. *Thorax* rufus. *Abdomen* fuscum, forma aliorum, v. c. *Pt. variantis* et *nigri*.

E cocco Ilicis tinctoriae, Junio mense, quo tempore colligitur, observante *D. Fontanier*, occitano.“ *B. de F. l. c.*

P. 128. n. 4. Chrysolampus *tristis*.

Synon. *Cynips Bombycum. Boy. de Fonsc. l. c. p.* 295. *n.* 27.

Ex ovo *Bombycis Neustriae*. *B. de F. l. c.*

P. 135. ad calcem articuli de *Chrysolampis*, adde:

? 16. Chrysolampus *binotatus*.

? Chr. fulvus, abdomine subpediculato postice nigro, terebra exserta brevi, alarum macula fasciaque arcuata fuscis. Long. 0,003.

Synon. *Cynips binotata Boy. de Fonsc. l. c. p.* 289. *n.* 16.

„*Antennae* vix fractae, fulvae. *Caput* fulvum. *Thorax* antice fulvus, postice niger, pectore fulvo. *Abdomen* subpediculatum, rotundum, lenticulare, antice fulvum, postice nigrum; terebra exserta brevi. *Pedes* fulvi, apicibus femorum tibiarumque nigris. *Alae* macula magna fusca transversa stigmati adhaerente, pauloque post basin fascia arcuata etiam fusca; apice alarum grisescente.

E galla cylindrica ramulorum Quercus cocciferae, seu potius ramulo ipso gallae in modum turgido.“

Variat *thorace* toto *pedibus*que fulvis immaculatis.

E gallis rotundis rubris amentorum Quercus cocciferae.“ *B. de F. l. c.*

? 17. Chrysolampus *rufus*.

? Chr. fulvus, abdominis pediculati dorso anoque fuscis, alarum macula marginali nigra. Long. 0,0018.

Synon. *Cynips rufa Boy. de Fonsc. l. c. p.* 290. *n.* 17.

„Praecedenti proximus. Luteo-fulvus. *Antennae* fuscae. *Oculi* et *stemmata* nigra. *Thoracis* dorsum maculis majusculis nigro-fuscis. *Abdomen* longius pediculatum, lenticulare, ano truncato dorsoque fusco-nigris; pediculo quoque fusco. *Alarum* macula marginalis magna, nigra, stigma pediculatum emittens.

Junio mense e gallis rotundis rubris amentorum Quercus cocciferae. Ad *Aquas sextias*. *B. de F. l. c.*

P. 146. n. 17. ELACHESTUS *albiventris* Var. α.*)

Abdomine supra toto fusco.

Synon. Spalangia ? flavipes Boy. de Fonsc. l. c. p. 299. *n.* 1.

P. 152. n. 1. EULOPHUS *ramicornis.*

Synon. Eulophus pectinicornis Boy. de Fonsc. l. c. p. 297. *n.* 1.

E gallis Salicis amygdalinae, *Tenthredinis* larvam includentibus. *B. de F. l. c.*

P. 164. n. 14. EULOPHUS *flavovarius.*

Synon. Entedon scutellaris Dalm. in Act. Holm. a. 1825. *p.* 365.

Coccophagus scutellaris Westw. in Phil. Journ. III. Ser. No. 17. *Nov.* 1833. *p.* 344.

Var. *β.*

Coccophagus pulchellus Westw. l. c.

Exclusus e *Cocco Aceris.* Jun. 1833. *Westw. l. c.*

P. 178. n. 36. EULOPHUS *impeditus.*

Synon. Coccophagus obscurus Westw. l. c. Cum praecedente. *Westw.*

Adnot. Species n. 13, 14, 36, et aliae, *Westwoodio* genus constituunt proprium, cui nomen

COCCOPHAGUS.

Antennae octoarticulatae, articulo secundo tertio minori, hoc et duobus sequentibus fere aequalibus, ultimis tribus clavam vix articulo praecedente crassiorem formantibus. *Tarsi* quinquearticulati. *Nervus stigmaticalis* brevis apice conoideus.

Vita larvarum in Coccis.

P. 185. In fine Sectionis *Eulophorum* primae Subdivisionis B. b. sequentes addendae sunt species, quas, cum e certis suis notis dignoscere non potuerim, appendicis loco hic addere cogor.

48. b. EULOPHUS *Blancardellae Bouché* (*Naturgeschichte der Ins. I. p.* 171. *n.* 66).

? E. viridi-coeruleus, nitidus, antennis nigris, pedibus fusco-testaceis nigrisve genubus tarsisque luteis ungui-

bus nigris, abdomine lanceolato obscuriori, in mare ad latera pallido, alis lutescenti-hyalinis. Long. lin. 1.

Oculi et *antennae* nigra.

♂. Ventre pubescens. *Feminae pedes* nigri sunt genubus tarsisque luteo-albis. *Abdomen* fusco-cupreum.

Larva elliptica, granulata, alba, mollis, lin. 1 longa. *Habitat* in larvis *Elachistae Blancardellae.*

48. c. EULOPHUS *Upupaenellae* Bouché (l. c. p. 172. n. 67).

E. coeruleo-viridis, nitidus, scapo antennarum hypostomateque laete viridibus, tibiis luteis, tarsis albis, alis hyalinis. Long. lin. 1½.

Antennarum flagellum nigrum, 5-articulatum. *Thorax* laete coeruleus, sparse pilosus. *Pedes* virides, femorum apicibus, tibiis, tum tarsis anterioribus luteis, unguibus nigris. *Tarsi* postici albi. *Abdomen* laete viridi-cyaneum, apice nigro-piloso.

Larva praecedentis larvae similis, paulo graciliori corpore. *Habitat* in larvis *Tineae* (Ornicis) *Upupaenellae. Bouch. l. c.*

48. d. EULOPHUS *Evonymellae* Bouché (l. c. p. 172. n. 68).

E. obscure aeneo-viridis, sparsim punctatus, antennis fusco-testaceis, tibiis tarsisque luteis unguibus nigris, abdomine lanceolato, alis hyalinis, thorace lineis tribus scutello duabus insculptis. Long. lin. 1. *Mas.*

Antennarum flagellum sexarticulatum. *Os* piceum. *Lineae* thoracis et scutelli parallelae. *Alarum* costa lutescens. *Pedes* lutei, coxis fuscis, femoribus nigro-viridibus apice luteis. *Abdomen* valde attenuatum, supra planum, nonnihil adscendens.

Larva Eulophi Blancardellae larvae persimilis, paulo tamen major grossiusque granulata, habitat in larvis *Yponomentae Evonymellae. Bouché l. c.*

? 48. e. EULOPHUS *Cecidomyiarum* Bouché (l. c. p. 173. n. 69).

E. aeneo-viridis, antennis fuscis, pedibus flavis, coxis, femoribusque basi viridibus. Long. lin. ½.

„♂. *Antennae* septemarticulatae, fuscae; flagellum compressum, articulo secundo et tertio setis longis paten-

tibus barbatis. Lineae duae impressae in dorso thoracis. *Alae* hyalinae, venis (?) fuscescentibus. *Tarsorum* duo extremi articuli fusci. *Abdomen* planum, ovatum, nitidum, glabrum.

♀. *Antennae* pilis brevibus, articulis tribus extremis clavam formantibus. *Abdomen* acutum.

Larva formae praecedentis, at multo minor graciliorque. Habitat in larvis *Cecidomyiae Artemisiae* (Bouch. l. c. p. 27).

48. f. Eulophus *Chrysomelae.*

E. fusco-aeneus, abdomine nigro, antennarum scapo tibiisque pallidis, alis hyalinis. Long. 0,004.

Synon. *Pteromalus gallarum Boy. de Fonsc. l. c. p. 301. n. 1. excl. syn.*

„*Caput* latum punctatum; *antennarum scapus* luteus. Viridi(?)-aeneus, *Thorax* punctatus. *Abdomen* breve, depressum, ovato-lanceolatum, laeve, nitidissimum, mucronulo anali brevi et sub mucronulo terebra brevissima. *Pedes* lutei, femoribus aeneo-fuscis, tibiis medio fuscescentibus. *Alarum* stigma pediculatum, capitulo minimo.

E pupa *Chrysomelae*.

Varietas *abdomine* magis ovato, non lanceolato, *tibiis* luteis totis." *B. de Fonsc. l. c.*

? 48. g. Eulophus *Galerucae.*

E. nigro-subcyaneus, antennis fuscis, pedibus flavis femorum medio fusco, alis hyalinis. Long. 0,0009.

Synon. *Pteromalus Galerucae Boy. de Fonsc. l. c. p. 302. n. 2.*

„Videtur ex hoc genere. *Capite* latiore, *abdomine* thorace non longiore, alis multo breviore, ovato, vix subtus carinato, mucronulo exserto.

Oculi magni, fere contigui. *Antennae* latae, compressae, fuscae. *Alae* hyalinae, stigmate ordinario pediculato-capitato. Statura minimus, vix perspiciendus.

Ex ovis seriatim agglomeratis *Galerucae calmariensis.*" *B. de F. l. c.*

48. h. Eulophus *aeneus.*

E. viridi-coeruleus, antennis fuscis, tibiis anticis luteis posticis fuscis, alis hyalinis. Long. 0,002.

SYNON. *Pteromalus aeneus Boy. de Fonsc. l. c. p.* 302. *n.* 3.

„*Caput* et *Thorax* viridi-coerulea, nitida, punctata. *Antennae* fuscae, scapo concolore aut aeneo. *Abdomen* aeneo-coeruleum, mucronulo longiusculo terminatum. *Pedes* lutescentes, femoribus omnibus tibiisque posticis fuscis. *Alarum* stigma ut in caeteris, sed brevius.

Differt a *Pteromalo gallarum* (*Eulopho Chrysomelae*) statura minore, abdomine paulo longiore et angustiore, colore magis coeruleo-aeneo scapoque antennarum non luteo." *B. de Fonsc. l. c.*

P. 186. n. 9. EULOPHUS *ater*.

SYNON. *Diapria Cecidomyiarum Bouch. l. c. p.* 176. *n.* 72. ?

Larva elliptica, glabra, rugosa, luteo-alba, in singulo segmento utrinque spinula, armata. Long. lin. 1/2. *Habitat* in larvis *Cecidomyiae Artemisiae* Bouch. *l. c.*

P. 188. ante *Eulophum tristem* inseratur:

40. b. EULOPHUS *Eurytomae*.

E. obscure nigro-coerulescens, opacus, antennis fuscis, pedibus pallidis, abdominis ovati dorso medio basin versus ventreque basi rufis, terebra longitudine ultimi segmenti, alis hyalinis. Long. lin. 1.

Caput latitudine thoracis, vertice angusto, fronte excavata, cum *thorace* nigro-coerulescens, punctatum, uti totum corpus pubescens. *Antennae* capitis cum thorace vix longitudine, fuscae, pubescentes, scapo fronte humiliori, pedicello conico, flagelli articulis quinque subaequalibus cylindricis, extremo fere ovato. *Abdomen* ovatum, depressum, acutum, supra fusco-subcupreum plaga media rufa, subtus basin versus totumve rufescens. *Terebra* brevis, hirta. *Pedes* lutei, coxis basi obscure aeneis, unguibus fuscis. *Alae* hyalinae, pubescentes, ramo stigmatis mediocri tenui.

Variat: *β*. Macula thoracis ante scutellum subquadrata lutea, abdomine in dorso latius ventreque fere toto luteis.

E gallis Rosae, *Eurytomam Rosae* (vid. p. 415) foventibus, Eurytomarum loco prodiere aliquot horum *Eulophorum*, et singuli quidem e singula, quos larvam Eurytomae inhabitasse eaque destructa exclusos esse persuasum est.

P. 189. Ante Genus XVI. inseratur:

GENUS XV. b.

ELASMUS Westw.

Antennae maris articulis 3, 4 et 5 brevissimis fere coalitis, singulo ramum longum emittente, sexto longo, reliquis clavam formantibus; *feminae* ut videtur decemarticulatae, articulis 3 et 4 annuliformibus, 5, 6, 7, oblongis, 8, 9, 10 clavam formantibus. *Alae* angustissimae, stigmate sessili (ramulo stigmatico nullo). *Metathorax* utrinque ad latera in laminam magnam concavam postice productus. *Pedes* longissimi, femoribus magnis.

1. Elasmus *flabellatus* Westw. (in Phil. Mag. Ser. III. 17. Nov. 1833. p. 343). — *Eulophus flabellatus* Boy. *de Fonsc.* (*l. c. p.* 298. *n.* 2. excl. *syn.*).

Long. 0,002. Niger, nitidissimus. *Corpus* trigono-compressum. *Antennae* fractae. *Pedes* grisescentes, femoribus posticis crassis, lamina magna ante et supra eorum originem.

Mas. Abdomen mucronuli terminatum, antennis ramosis.

Femina. Abdomen subtus trigono-carinatum, supra depressum mucrone ani subsoluto (ut Pteromalinorum aculeo), sed brevissimo; *abdominis* medio rufo.

Ex eruca, folliculum paleis parallelis vestitum incolente, Bombycis hucusque ineditae, ad *Aquas sextias. Boyer de Fonscolombe; Coombe,* Augusto 1833. *Westwood.*

P. 192. Myinis adde:

? 3. Myina *ovulorum.*

? M. aenea, pedibus luteis. Long. 0,001.

Synon. *Pteromalus ovulorum Boy. de Fonsc. l. c. p.* 303. *n.* 4 (excl. syn.).

„Aeneas, *antennarum* scapus aeneus. *Abdomen* depressum, rotundatum, thoracis magnitudine, mucronulo anali exserto. *Pedes* lutei. *Alae* grisescentes, stigmate subdistincto a costa vix separato.

Ex ovo *Bombycis Neustriae.*“ *B. de F. l. c.*
An *Mas?*

? 4. Myina *Atomos.*

? M. rufescens, abdomine fusco. Long . . .

Sr-

SYNON. *Pteromalus? atomos Boy. de Fonsc. l. c. p.* 303. *n.* 5.

„Vix perspiciendus, hinc genus incertum; abdomine tamen *Pteromali*, mucronuloque ad anum exserto, videtur ex hoc genere.“

Antennae fractae, rufescentes. *Thorax* rufescens. *Abdomen* fuscum, vel fusco-rufescens. *Pedes* longiusculi, rufescentes. *Alarum stigma* vix ullum aut potius fere margini adhaerens, non, aut brevissime pediculatum. Gregatim ex ovo unico Lepidopteri exclusae, numero 5—6, ad *Aquas sextias. B. de F. l. c.*

P. 212. ante n. 7. inseratur:

10. b. ENCYRTUS *intersectus* Boy. *de Fonsc.* (*l. c. p.* 305. *n.* 4).

E. viridi-auratus, abdomine nigro-aeneo, antennis medio apiceque albis, alarum fasciis tribus nigris. Long. 0,0014.

„*Caput* thoracis latitudine, postice subexcavatum, viridi-auratum, fronte producta paululum compressa, linea circulari elevata clypei basin terminante; prominentia in faciei medio (haec omnia propter insecti parvitatem vix distincta). *Antennae* fractae, articulo primo (scapo) longo subcylindrico basi attenuato; flagello (ut mihi visum) compresso, in medio albo intersecto, apice etiam subalbido, articulo ultimo obtuso, sed non truncato, faciei parti inferae insertae. Segmentum primum *thoracis* transversum, breve, arcuatum, secundum subtrigonum; *scutellum* magnum; thoracis totius color viridi-auratus. *Abdomen* ovatum, aeneo-nigrum, mucrone ani elongato. *Pedes* longiusculi, non lati, nec compressi, nigri, tibiis vel totis vel saltem in medio, tarsisque albidis. *Alae* hyalinae, maculis tribus nigris transversis, a costa incipientibus.

Similis *Cynips* (Pteromalus) *bifasciata*, sed diversus et non ejusdem generis.“ *B. de F. l. c.*

P. 221. n. 22. ENCYRTUS *scutellaris* Dalm.

SYNON. *Encyrtus scutellaris Boy. de Fonsc. l. c. p.* 304. *n.* 2.

Garid. plantes des env. d'Aix p. 251. *t.* 54. *f.* 8?

E cocco tinctorio Quercus cocciferae, Junio. *Boy. de Fonsc. l. c.*

Adnot. Basis scutelli *albida* perhibetur. Reliqua ad amussim congruunt.

P. 223. n. 23. Encyrtus *obscurus* Dalm.

Synon. *Encyrtus longicornis Boy. de Fonsc. l. c. p.* 305. *n.* 3?

„*Antennae* capite thoraceque longiores."

„In foliis Tiliae frequens in praedio nostro *Monteviridi* in *S. Zachariae* pago." *B. de F. l. c.*

P. 229. ante n. 31. inseratur:

? 30. b. Encyrtus *coeruleus* Boy. de *Fonsc. l. c. p.* 304. *n.* 1.

E. punctatus, coeruleus, scutello abdominis longitudine, scapo antennarum tibiisque rufis, alis hyalinis. Long. 0,0024.

„*Caput* trigonum, transversum, postice concavum, facie punctato-scabra. Corpus totum punctatum, coeruleum. *Scutellum* ovatum, longum, fere anum attingens. *Abdomen* subrotundatum, mucronulo anali exserto. *Pedes* nigrocoeruleo, tibiis rufis. *Alae* hyalinae, stigmate pediculato capitato vix a costa remoto.

Ad *Aquas sextias. B. de F. l. c.*

P. 232. Encyrtus *chalconotus* Dalm.

Synon. *Cynips Agrotis Boy. de Fonsc. l. c. p.* 295. *n.* 28?

„Gregatim exclusus ex eruca generis *Agrotis* in nido subterraneo jam at metamorphosin occulta, parasitis istis farcta et in spiram contorta.

Item, e gemmis seu calycibus inflatis Verbasci nigri." *B. de F. l. c.*

P. 236. n. 40. Encyrtus *fuscicollis* Dalm.

Synon. *Pteromalus cyanocephalus Bouch. Naturgeschichte der Ins. I. p.* 167. *n.* 59.

Larva flavescenti-alba, elliptica, rugosa, capite subrotundo. Habitat gregatim (centeni haud raro), in eadem larva *Yponomentae Evonymellae*. Erucae, his parasitis infestatae, versus metamorphoseos tempus tument liventque, textoque sanarum ad instar, cocco tamen in pupam haud mutantur, sed prius obeunt. Ex quibus quatuor hebdomadum intervallo undique vespae erumpunt. *Bouché l. c.*

P. 263. Scelio *rugosulus* Latr.

Synon. Boy. de Fonsc. l. c. p. 306. *n.* 1.

P. 270. n. 1. Spalangia *nigra* Latr.

Synon. Bouché l. c. p. 173. *n.* 70.

Larva ovata (dum extenditur, fusiformis), alba, mollis, cute tenuissima pellucida intestina monstrante. Caput parvum, subrotundum, in parte obtusa corporis situm, intra thoracis segmentum retractile. Segmentum hoc valde inaequale, torulosum, forma variabili. In latere ventrali utrinque ad singulum segmentum verruca pellucida, guttiformis, globosa, haud retractilis, quae verrucae simul sumtae pedum seriem duplicem fingunt. Long. lin. 1.

Habitat auctumno in pupis *Muscae domesticae*, intestina comedens. Motus larvae segnis. Imago exit Aprili et Majo mensibus. *Bouché l. c.*

P. 277. n. 5. Ceraphron *rufipes.*

Synon. Teleas rufipes Boy. de Fonsc. l. c. p. 306. *n.* 1. *Mas.*

P. 287. n. 1. Teleas *phalaenarum.*

Synon. Teleas ovulorum Bouch. l. c. p. 177. *n.* 73?

Congruerent omnia, nisi terebram exsertam, licet abdomine quatruplo breviorem describeret auctor, qua nota haec species non modo nostro *Teleade phalaenarum*, sed fere omnino a Teleadum genere recedit, ubi terebra vix prominens apiculae forma apparet, aut omnino recondita latet.

Larva elliptica, alba, glabra, rugosa, subincurva, long. ⅓ lin., in *Bombycis Neustriae* ovis degit. Mater ovulo singulo dum recens ac molle, singulum ovum inserit, omnemque ovorum unius partus annulum pluries hac prole ita impraegnatum vidi, ut ex singulis ovis unum horum animalculorum prodiret. *Bouché l. c.*

INDEX.

Verba litteris majusculis impressa genera indicant aut gradus systematis ampliores. Specierum, in textu expositarum, nomina typis communibus (antiquis) excusa sunt; synonyma autem litteris obliquis sive italicis.

Micro-

ERRATA.

P. 227 l. 3. inf. del. nigro-viridis.
— 233 l. 16. — verruginosus, lege: aeruginosus.
— 273 in paginae inscriptione communi loco Heterolepis, lege: *Anteon.*
— 280 nota lin. 9. longus, lege: longe.
— 285 l. 8. Sceliduis, lege: Scelionis.
— 288 l. ult. oculis, lege: ovulis.
— 293 l. 14. del., post Teleadis.

Augustae Vindelicorum.
Ex officina typographica J. G. Cottae.